ALLOQVIORVM OSIECENSIVM

Siue

VARIORVM FAMILIARIVM SERMONVM LIBRI QVINQVE.

IN quibus præter examen Anatomiæ Cichocianæ, pro Societate IESV ante triennium editæ, Hæreticismi, progressus, & regressus, siue fluxus & refluxus repentini, præcipue per Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lituaniæ, & alias adiacentes prouincias in amplissimis familijs historicè narrantur. Tum eiusdem propositi continuatio, Angliam, Germaniam, Galliam, Hungariam, Silesiam, Morauiam percurrit, ad extremum & ipsam attingit Italiam.

Ad laudem Dei omnipotentis.

Ad consolationem Catholicorum, & confusionem omnium quotquot sunt Hæreticorum, & Schysmaticorum.

AVTHORE EODEM GASPARE CICHOCIO,
Canonico, & Parocco Sendomiriensi.

Impius facit opus instabile, seminanti autem iustitiam merces fidelis. Prou. xi.

CRACOVIÆ,
In Officina Basilii Skalski, Anno Domini,
1615.

IN STEMMA
Illuſtris Domus Oſſoliniæ.



EXcellens atauis Topororum ſtemma vetuſtum,
Non iam magnanimos iactet Oſolinios.
Nec fortunatis toties elata trophæis,
Aſcia Mauortis bella ſecunda ſonet.
Infula pro meritis, ſola eſt potis immortale,
Gentis Oſoliadûm ferre ſub aſtra caput.

Ioan: Gutouij.

In Stemma Illustris & Praeclarae

OSSOLINIÆ GENTIS,

Epigrammata, nonnullorum Studiosorum Sendomiriensium, ex classe humaniorum literarum Collegij Societatis Iesu.

VIDIT Osolinios Mauors horrenda ciere
Bella manu, & Turcas sternere cæde feros.
Nunc mihi quantumuis Pompei Roma triumphos
Obyce, & illa tuę prælia gentis, ait.
Si primæua tuę iactas insignia stirpis,
Ascia Osolinijs, Ascia, Stemma, meum est.

A L I V D.

CEsset Roma suas vltra iactare secures,
Pro multis nobis vna securis adest.
Hanc sibi præsidio sumpsit gens Lechica primum
Vix dum bissenos fecerat ante Duces.
Nec spes lusit eam steterat ceruice ferocis,
Sæpe hostis patrię sæpe trophæa tulit.
Quid modo Osolinii dum se pro stemmate iactat,
O quantum Lechis parturit illa decus.

A L I V D.

IVra, Magistratusq; Creo sanctumque senatum,
Romula sic olim fata securis erat.
Ast ego Osolinii nomen cum Stemmate gesta,
Sic tua, sic Præsul magne, bipennis ait.
Præsulis & Romę confer nunc stemmata priscę,
Plus licet illa ferant, sanctius ista notant

Encomium Illustr: & Reueren: Domini Abbatis.

O Magne Lechis Osolini decus,
Clarûm creatus progenie patrum.
Cur tollor audax ad propinqui,
Lumina suspicienda solis.
Quo me timentem splendor agit tuus?
Quo nota Virus, quo rapit arduum.
Me Phœbus, his efferre iussit,
Carminibus tua gesta rerum.

* ɓ Dicam

Dicam ne per te magna negotia
Transacta Regum, compositos status.
Magnatium tot dissidentum,
Tamque graues positos tumultus.
Dicam ne Præsul Concilio vt sacro,
Abbatis altos promeruit gradus.
Virtute, qui rebusque gestis,
Tergeminę prope tiarę est.
Tu pacis almę factor & arbiter,
Custos piarum sedulus ædium,
Nec rebus inflatus secundis
Nec dubia tumefactus aura.
Sed conscius me plura pudor vetat.
Parcęq; tantum. Musa potens rei;
Qui rore Pindi vos lauatis,
Osolini celebrate gesta. *Hyacintus* Cichocki *nepos.*

Ad Authorem Alloquiorum.

Lechicæ famę decus ô Cichoci
Victus es tandem precibus potentum
Vt tuus longum liber expeditus
Surgat in auras.
Nam velut Curru radiante Titan,
Aureos terris reuehit Colores
Sic redit sospes duce te vetustis
Gloria Lechis.
Hic dat & famæ tua penna pennas,
Quando maiorum seriem Dynastûm
Scribis, & quo quis genitore cretus,
Ordine pandis.
Hic propinantis Stygium Lutheri,
Virus ad Ditis Phlegethonta mandas,
Hic tuus præbet Latiam iuuentę,
Sermo Mineruam.
Ille vibrabat sua tela quondam,
Nubis in morem, grauidę trisulcis,
Dum malus vellet Socios Iesu
Perdere liuor.
Ergo iam vento nimium secundo,
Audeas tantis dare vela rebus,
Laudes æternam feret hæc Cichocis.
Pagina vitam.

Ad

Ad Illustrem & Reuerendissimum

HIERONYMVM OSSOLINSKI,

Abbatem Copriunicensem inclytum.

PRÆFATIO DEDICATORIA AVTHORIS.

CVM varia & temeraria plerunque sint hominum iudicia, maximè Hęreticorũ, quibus peculiare est Catholicos scriptores, hostilitate sibi connata, carpere & proscindere, ita vt etiã minima quęque, quibus dentes suos infigant, perscrutentur, mihi tamen pro minimo fuit, cùm meam pro SOCIETATE IESV editam Anatomiam, variis iudiciorum turbinibus iactari accepissem. Noueram enim, exactos rigidosq; Catholicorum Scriptorum, Hęreticos esse censores, at suorũ faciles clementesque esse iudices. Quibus euulgato altero scripto vt responderem, amicorum persuasionibus non poteram adduci, quandoquidẽ nemo adhuc in publicum prodierit, cum quo mihi foret congrediendum. Quis enim cum vmbris ignotis altercari voluerit? Alia igitur via mihi insistendum esse putaui, dedique operam vt collatis amicorum inter se alloquiis suplerem ea, quæ in Anatomia desiderari videbantur. Demum vt religionis Catholicę firmum inconcussumq; consensum, Hęreticismi verò, fluxam instabilemque vicissitudinem, quasi in scęnam omnibus conspuendam & execrandam, producerem. Nec vlla mihi nunc, de pugnãtibus inter se

Doctrinarum erroribus,controuersia erit, cùm multi ante me satis abundè id prçstitere, sufficit, si declarẽ, plurimos & genere, & ingenio sublimes viros, relictis Hæreticorum dissidentibus circa fidem opinionibus, iterũ ad securiorem & firmiorem portum, Ecclesię Catholicę, quam nos Romanã dicimus,conuolasse. Animaduerterunt enim viri optimi, fluctuationem in rebus Diuinis, prçsertim vbi de perenni & nunquam inter moritura vita agitur periculosissimam esse, ne dicam stultissimam. Omnis enim stultitia laborat fastidio sui, inquit, Seneca, illi enim nunquam velle, & nolle, decretum est, variat enim quotidie eius iudicium, & in contrarium vertitur, ita Hęreticis, agitur vita quasi perlusum. Doctrina enim eorum aliquando supernatat, aliquãdo mergitur,prout tulit ventus, crescit decrescit, propagatur profligatur, euehitur reuehitur, inflammatur restinguitur, sursum deorsumq; versatur & miscetur, & semper quasi reciproco Maris ęstu iactatur. Et vt quidam non inscitè annotauit, Hęresim esse, formam alteram formam penetrantem,transeuntem quaquauersum atq; vndecunque huc illuc,alio aliorsum commeantem, Luthero certe, post hominum memoriam chamęleonte versi colore, ad omnem auram tam familiare fuit moueri, quàm æneis gallis gallinaceis,qui in acroterijs siue verticibus turrium collocari solent: vnde volubiles in religione tot mutationes subsecutæ sunt, vt etiam memoriam confundere videantur, nam quis ministrorum cõcionum, desultorium genus enumerauerit? At cum vbiq;

vbique vigilet diuina prouidentia, nec vltra certos limites sinat progredi consilia hominum & conatus, quos multoties restringit, & certis interuallis circumscribit, voluit contra omnes incursus, Catholicę fidei robur semper stare immobile. Nam etsi labefactare illud conētur politici Machiauelistę, & Hęretici coniunctis propè viribus excindere; efficient tamen nunquā, vt illud subruant & extirpent strenuè se opponente toto ordine Ecclesiastico præsertim Societatis Iesu religione, quam totis viribus plaustrisq́; calumniarū subuertere conantur, homines ad quiduis mentiendum proiectissimi, & in solam tanquam nouitiam, omnia sua venabula, si quomodo ex statione sua eam deijciant, contorquentes. Quorum ex numero Anonymus ille meus prodierat, sed cùm sua consilia vel potius deliria de pellendis Iesuitis profligata esse sensisset, abdidit se, ne agnosceretur, cùm fraudes & imposturas eius ante trienniū detexissem. Hinc quoque alloquia ista mea profluxerunt. Quę cùm priuato cubiculo hactenus cohercerentur nec permitterentur quoquā offere pedem. Tu Illustris & Reuerendissime Abbas, illa in publicū extrahenda censuisti, & tandem triennali squallore delitescentia iam blatis perpetua esca futura, lucem vt intuerentur iussisti. Prodeant itaq; vt sub patrocinio Ossolinię gentis per manus quorumuis vagentur. An tuę stirpis splendor, ab antiquissima Topoiorum gente deriuatus, & tot sæcula cùm pręclarorum factorū gloria emensus, non facilè quoduis ingeniū male feriatum, & ad quiduis carpendum, prom-

)(2 ptum,

ptum, compescuerit? Cuius enim oculos non perstrinxit Ossolinij nominis amplitudo: Nec difficile foret, maiorum tuorū summos in Repub. gestos magistratus enumerare, si modò nō haberemus Ossolinię Familię præclarum lumen, Illustrem Zbigneum Palatinum Sandomiriensem, tibi fraterna propinquitate coniunctum, virum & meritis in Rempub. insignem, & prudentissimis Senatusconsultis percelebrē; Pietate verò tanta, vt nihil antiquius putauerit sibi faciendum, quàm vt Ciuitatis Climuntouiensis à se iacta fundamenta, excitato Ordini Prædicatorum insigni Cœnobio & liberaliter dotato, firmiora & stabiliora redderet. Quid verò de eius præclarissimis filijs sentiendum est, quos ad Rempub. ornandam, & propagandam natos, fatentur omnes, quos stupor non præpedit aut liuor; Inter quos nō mihi prętereundus est natu minimus, meus ille Georgius, quem ego proprijs manibus Sandomirię, idq; in mea Parochiali Ecclesia cui præsum, fonte sacro baptismatis abluerā, quid enim prohibebit, ne & ille filius meus in Christo renatus vocetur? cuius maternum genus Firlegia quoq; domus sibi vendicat. At verò quali acumine & industria præditus sit, illa oratio Monarchica Louanio huc transmissa, mihiq; à te communicata, tum à celebribus viris laudata, satis indicat, quid de ipso imposterum sperandum sit, quanquam ætatem illam teneriorem superauisse, cuilibet videri posſit, nisi tot virorum clarorum testimonia accesserint. Adiungo & his Nicolaum Fratrē tuum germanum, in quo amando & obseruando nemi-

ni

ni ego concesserim, cuius modestissimos mores, sobrietatem cum verecundia summa coniunctam, si quis intueri vellit, haberet in promptu vnde flosculos virtutum fragrantiores decerperet. Quales putas fructus producturos, si religionis Catholicę radicibus subnixi, maturuerint? Sed hos omnes maiorum suorum gloriam adæquaturos, multò mihi iam antè persuaseram, at cuilibet per antiqua stirpis tuę decora oculos circumferenti, an non relucebunt, in te ipso, ea omnia, quibus domus tua perpetua scaturigine affluebat? Emines probitate, excellis singulari humanitate, trahis quemq; illo tuo benignissimo pectoris hamo. Discordes verò animos quanta sollicitudine & studio in pacta & fœdera cogis? paucę sine te instauratę amicitię, paucę sine opera tua grauissimę discordię, etiam in amplissimis familijs sopitę. Quid verò dicam de illis turbulentis & exulceratissimis temporibus, cùm à Rocosianis pene obsidebaris, quibus placuit consiliorum vel potius conspirationum suarum, apud tuam Copriunciam, ad quam proiectę audacię hominum confluxus fieret, nidum cōstituerê; non tamen potuit animus tuus disturbari maximis calamitatum tempestatibus, præsertim cùm Confęderatorum illam inconditam colluuiem, varijs nationibus permixtam, perferre necesse haberes, quam & benignitate demulcebas, & profusiori sumptu deuinciebas: reuerentia autem vultus tui sic comprimebas, vt non auderet insolentia per licentiam quæsita, tantum quantum sibi libuerat, permittere. Illud tamen omnium

um animos in admirationem rapit, quòd cùm plurima extent, tua in Rempub. merita, nullos tamen sublimiores honores appetas. An non patuisset tibi ad secundam in hoc regno dignitatem aditus, si animum reluctantem, persuasionibus amicorum parere iussisses. Sed & tuorum propinquorum, qui ad illustrandam familiam suam hoc etiam pertinere putabant, offensionem te incurrisse, non magni faciebas. Quid opes & diuitię accumulandę nunquid tuũ coquunt recoquuntq; animum? cum spreueris etiam illas, quę stirpi tuę optimo iure debebantur, tantum abest vt eas nunc in arca recondere cogites, quin potius id totum quicquid prouenit, vel in sustentandis religiosis egentioribus, vel in pauperibus, & inopibus subleuandis, vel in structuris, vel fabricis excitandis, vt prætercam tot litium in recuperandis & tuendis Ecclesię bonis sumptus ingentes, erogas & expendis. Liberalitatem verò tuam, & munificum illud pectus, experiuntur omnes, qui eo vti voluerint, inter quos ego non postremus sum, quem sæpius & benignitate foues, & subsidijs sustentas. Cui igitur potius hanc Alloquiorum meorum congeriem consecrauerim, quàm tibi ipsi inclyte Præsul? Tibi enim quod lucem aspexerint, debere se plurimum fateantur necesse est. Quę etsi fortasse multis videbuntur non ad palatum, satis erit si tibi non displicuerint, cum neque & tu ab eiusmodi Alloquijs abhorreas, & plurima acutissimis sententijs referta dicta, adferre soleas, quę mirifice auscultantiũ aures recreant & detinent. Est namq; recreati-

recreationi honestę aliquid indulgendum, præsertim à curis grauioribus vacuo tempore. Quanquam & in hisce Alloquijs multa seria aliquis rigidior censor inuenerit, in quibus occupari poſsit. Dedi quidem operam, ne quis se vel offensum, vel pętermissum conqueratur, sed difficile fuerit, obgannientium linguas euitare. Nō autem putare debes hanc Alloquiorum congeriem, tantum commentitiam fuisse, vt à plurimis factitatum est, multa enim verè & seriò tractata reperies, locis & statis temporibus distincta, quę quasi intranscursu, inter mihi amicissimos Cochleuium & Marcissouium, quorum pietatem & eruditionem perspectam habes, coaluere. Immutata quidem & addita sunt nonnulla prout ratio temporis succeſsiui ferebat, sed continuatio propositi argumenti non interruptè producti, excreuit in eū quē cernis librum. Accipe igitur hunc, illo sereno vultu, quo soles vel minimum grati animi significationem accipere. Fruere quandoq; cùm à grauioribus te subduxeris occupationibus. Prius verò à me excidam, quàm ex animo effluas meo inclyte Abbas, cuius erga me animi propensionem eximiam nulla vnquam deleuerit dies. Deus Opt. Max. totum id quod tibi opto faciat ratum & approbum, pro quo vota mea frequentia interpono, semperque interponam.

IN ALLOQVIA REVEREN: GASPARIS CICHOCII, AD LECTOREM.

Lector aue, exiguumq; videns ne sperne libellum,
Quem dat Cichocij docta Minerua tibi.
Non tot splendidulis micat ingens floribus Hybla,
Grandia quot præsens lucra propinat opus.
Si te culta iuuat Latiæ facundia linguæ,
Hinc Marci genio proximus esse potes:
Sanguine si illustri interdum laudarier optas,
Fulget & hic passim nobilitatis apex.
Hic Reges Clerusque suo bene munere gaudent,
Hic suus ex merito quemq; tuetur honos,
Si te igitur tangit tantarum copia rerum,
Hinc velut è largo singula prome penu.

Ioan: Gutouij

Liber

LIBER PRIMVS,
continens Capita viginti quatuor.

CAPVT XIIII.

Quid intersit intér conuitium & contumeliam & quibus probris se mutuò Hæretici conficiant.

CAPVT XV.

Quàm iniquè Anonymus reformationem Concilii Tridentini carpit, & qualis sit reformatarum Ecclesiarum, si Diis placet apud Hæreticos informis deformitas.

CAPVT XVI.

Altercationes Hęreticorum ; de suis reformatis Ecclesiis.

CAPVT XVII.

An etiam in moribus reformatas habeant alicubi Ecclesias, nouitii reformatores.

CAPVT XVIII.

Ex occasione dictorum, Erasmus Rotherodamus vtcunq; defensus.

CAPVT XIX.

Excutitur Erasmi Rotherodami, in religione fluctuans ingenium, & ad Arianismum propensum.

CAPVT XX.

Iudicia Doctorum Virorum de Erasmo, eius origo, arrogantia, mordacitas, Caluini iudicium, & testimonium de Romana Ecclesia.

CAPVT XXI.

Examinatur Caluini iudicium de Romana Ecclesia, quàm benè sibi cohęreat, tum quibusnam artibus in propaganda sua secta vsus sit, & quàm vafrum leue, & inconstans ingenium habuerit.

CAPVT XXII.

De Confessione Sendomiriensi, eiusque initio & progressu, de ridicula & discordi cœtuum hæreticorum, concordia, & de impugnatione eiusdem, ab ipsis hæreticis.

CAPVT XXIII.

Vilnę quomodo successerit inter Caluinistas & Lutheristas, tentata concordia, & quàm benè Gedani inter eosdem conueniat, Sendomiriensis Ciuitas ab hæresibus semper immunis.

CAPVT XXIIII.

Confessionem Sendomiriensem magna ex parte in Racouianam defluxisse, & ab ea, ad Ecclesiam Catholicam plurimorũ locorum, receptus.

LIBRI

LIBRI PRIMI, CAPVT PRIMVM.

Introductio ad Alloquia. Edendi tempora, antiquis quæ fuerunt. Actus conuiuiorum quales. Causæ congrediendi.

C*VM superioribus annis Anatomiam meam Cochlevij & Marcisovij iudicio permissurus, ante vesperum Osiecum venissem, atq; ab vtroq; humanissimè, & animi promptissimi non obscura significatione, fuissem exceptus, comitate & beneuolentia, præsertim ipsius hospitis illectus, fessum è calculi infestatione corpus, non solum recreaui, verum et animo, ita obsequi volui, vt par illud amicorum intelligeret, quidquid supercily erat, me domi deposuisse. Postquam verò assedimus, ac nonnihil pro more sumus locuti: tum Marcisovius: Ecquid nos hìc tam sereno et sudo cælo, etsi iam ad occasum inclinante se sole, intra hos parietes detinebimus? quinpotius ad nemus hoc domui propinquum dum apparatus cœna secedimus? Probè facis Marcisoui, inquit Cochlevius, quòd hunc euocas: nosti enim sine me et coquinam algere, etsi quid obsoniorum est, à famulitio potius corrumpi, quàm apparari solere. Sed heus Cochleui, subintulit Marcisouius, etiam atq; etiam vide, ne dum Cicbocium cautiùs excipere contendis, ipso*

apparatu eundem percellas: fieri enim potest; vt ab ista cæna, totam tui victus rationem æstimet, & quasi demenso mensæ pretio, te nimis sumptuosum vocitet. Tibi id sanè metuendum est, inquit Cochleuius, qui domi tuæ nulla adhuc Cichocium cæna, ex qua æstimationem facturus sit, exceperis, apud me tot iam præteriere censuræ, vt nouis non amplius habeamus opus. At verò si deambulandum est properè assurgitote, ne cùm signum accubitus dedero, in mora sitis? Assurreximus igitur, & dum nemoris spatia pedibus metimur, & inambulando confabulamur, puer adesse nos iubet, cænam instructis mensis; mox apponendam: & quoniam Cochleuius μονάνθρωπος non est, et eos qui soli conuiuari solent fastidit: etiam suos, qui tum circa Ecclesiam versabantur sacrorum ministros; eidem adhibet mensæ, & assidere omnes ex ordine iubet: tum cibus inferri cæptus, quem summa hilaritate & amica inuitatione, condire magis consueuit, quàm exquisito aliquo vel sumptuoso apparatu. Lætabatur vero impensius, dum cerneret me, suauius præter solitum morem, vescentem, præsertim cùm non ignoraret, vel raro vel perparcè, cænam me sumere solere. Cui ego: ne mirere Cochlevi, quod auidius obsonantem videas Cichocium, impransus enim huc ad te venit; ut lautius cænaret: scimus enim Romanorum antiquissimos noctu cænasse, & apud priscos seruatum esse, ut prandia in vsu non essent: sed qua boni cæna apparatur, ea prandium fieret. Ante mediam verò diem pransum fuisse, vel antelucanam cænam fecisse, crimini dabatur: obsonium verò, idem quod cæna, ab ὀψὲ quod est sero, deductum.

De

De Domitiano Imperatore Suetonius refert, quod conuiuabatur frequenter & largè, sed pene raptim, sed non vltra solis occasum, nam ad horam somni, secreto solus ambulabat. Cicero ante solis occasum raro discubuisse fertur. Cur et mihi Ciceronem imitari dum sum apud te, non liceat? subridens respondit Cochlevius, quinimo licet; et tanto magis licet quanto minus mihi, ut te ab edendo auocem, licere existimo. Sed ego adferam in medium, quod me apud Muretum legisse memini: qui dicit se in Romanis scriptoribus reperire, quatuor comedendi tempora, silatum siue ientaculum, prandium, cænam, vesperum. Alexander vero ab Alex: scribit Romanorum antiquissimos, licet noctu cænasse nonnulli opinati fuerunt, constare tamen, post multas ætates in vsu habuisse, ut meridianis horis vescerentur: & licet plurimi diuersis temporibus prandebant, vel edebant: vespere tamen omnes eiusdem familiæ in vnum coibant: hinc cæna Latinis quasi κοινὰ dicta videtur. Apud nos vero mos inoleuit, ut lautius prandium, cæna parcius præbeatur, quod et apud me factum nunc experiris Cichoci, perparcum enim id est, quod appositum cernis: tamen summa cum alacritate illatum mensæ. Ego vero, inquio, apud te templum saturitati dicauerim, libenter Siculorum morem secutus, quibus in vsu erat, bis in die epulis saginari: sed non satis est cibos apposuisse Cochleui; nisi aliquod ἀκρόαμα, siue festiua narratio, siue spectaculum, aut ludus suauiores eos reddiderit. Bona verba quæso Cichoci, inquit Cochlevius, ab his cauendum est, ne procaces appellemur. Clemens Alex: nos admonet, nec putitur, ut in conuiuijs Christianorum, maximè verò

Lib: 4. variarū lectionū.

Lib. 5. cap. 25.

Lib: 2. cap: 2. Pedag.

verò Sacerdotum aliqua se ludicra ingerant. An non illu d ludicrum & ineptum, ut si præses conuiuij (qui apud antiquiores Græcos, etiam mulctas irrogabat, si ludicrum quid indicebat se pr.eeunte exercere recusassent) iubeat balbos cantare, vel caluos caput pectere, vel in vno pede saltare, claudos. Sic *Agamnestori Academico, cui crus erat gracile, & emaciatum, compotores omnes insultantes pr.eceperunt, ut dextro pede insistens poculum exhauriret, vel mulctam penderet: ut verò vices imperandi ad illum delatæ sunt, omnibus iniunxit, ita biberent ut ipsum viderent, ac pede mutilato in Amphoram, quæ in triclinium illata erat, demissa, ebibit poculum. Quod vbi reliqui omnes experirentur, & facere se non posse animaduerterent, mulctam dependerunt: ludicra quidem hæc sunt, sed magis histrionibus quàm Academicis conuenientia, nam timendum est, ne fortè nos quandoq; alijs simile spectaculum fiamus, & ridiculi euadamus. Quanto rectius nonnulli principum, fecisse leguntur, qui epulas & conuiuia, lectionibus, vel propositis serijs quæstionibus, condire solebant: quemadmodum Tiberius Imperator, ex lectione quotidiana, quæstiones discutiendas proponebat. Adrianus comædias, lectores, et poetas admisit, qui aliqui recitarent, quod animum post conuiuia recreare posset. Alexander seuerus interdum inter edendum, vel ipse aliquid legit, vel cæteris legentibus, benignas aures præbuit. Omnium optimè Alphonsus Siciliæ Rex, post prandium vel Antonium Panormitanum, vel aliquem ex doctis viris, audiebat, vt quod dignum iudicaret, animum quoq; cibo suo post pastum corporis, reficeret, ut refert Pontanus*

nus de conniuentia: vide et Alex: Si hi itaq; viri Principes eam ex conuiuijs retulere laudem, quanto magis decet Episcopos, et Sacerdotes, dare operam, ut eorum conuiuia non solum sobria et moderata, verum et docta, atq; lectione sacra, vel alloquijs pijs, aut etiam ad Remp: pertinentibus, sint magis quàm dapibus referta? Ista adhunc modum Cochlevius. Postquam paulò liberius depellendæ fami, et siti se dandæ indultum est, nec tamen à modestia discessum, mensas remoueri iussit hospes, et blandius itineris mei causas cepit inquirere. Tum ego nihil libentius fecero, quam ut tibi obsequar. Anatomiam consilij editi de stabilienda pace Regni Poloniæ Iesuitis pulsis, iam typis excussam, en attuli vobis, ut unam nondum prælo commissam, et adhuc distortis apicibus informem, legistis, et examinastis; nunc iudicio vestro, sole liberiori fruentem, approbetis: subrisit Cochlevius, arreptoq; libello, et curriculo inspecto, næ tu inquit Cicboci strenuum te Iesuitarum propugnatorem præstas, cum nec sumptibus; multo minus laboribus parcis, nec metuis; ne a tot oppugnatorum incursibus proteraris. Difficillimum equidem prælij genus, inquio, cum nocturnis depugnare vmbris, ut cum exceperis vulnus, cui referas videre non possis: eiusmodi fere sunt omnes dæmonum sattellites, iacto lapide, illico brachium recondunt, nam et ille cum obseuisset zizania, abysse legitur, nec postea comparuisse. Ego vero nec tantilum ab istis metuo laruis, quin potius fixus stat animus, campo non decedere, modo congrediendi detur copia. At tu Cochleui, & tu Marcisoui; si hanc pugnam benè pugnauisse videor: hanc Anatomiam legendo per-

Cap: 1. ab Alex: libr: 5: cap: 21.

percurritote, cras iudicijs paribus, vel dispa ribus mecum decertaturi, nunc enim ad somnum capiendum ab hora seriore, inuitamur.

CAPVT SECVNDVM.

Piscationum occupationes iucundę, antiquis etiam usitatę.

POstridie postquam è templo reditum est; video Cochlevium meum, ab angulo ad angulum propere discursantem, familiam cientem, & tanquam ad venatum inuitos educentem, canes. Et quoniam ille dies pisculentus erat, in quo fas non erat carnibus vesci, retia complicari iubet, & ad piscinas extra quercetum deferri: mox & nos simul inuitat, ad piscandum, recreationem enim hanc apud Romanos, principum virorum fuisse maximam, & fieri solere, petitis ab antiquitate exemplis, probare nitebatur, si verò ita hac occupatione oblectari affirmabat, ut non solum capiendis, verum & apparandis ac condiendis piscibus, si amici adsint, libenter se operam dare profiteretur. Tum ego, nihil obstat Cochlevi, quominus vnà tecum eamus, et istum tuum ἰχθυοτροφεῖον *videamus: sed cum arenosum locum illum esse cernamus, cauesis nobis imponas, ut Pythius quidam C. Canio* Lib: 3. Offic. *equiti Romano, Syracusis apud Ciceronem impofuisse legitur, quem ut ad emendos à se hortulos alliceret, conductos piscatores, in lacunis ex imbre collectis, ad horti ingressum pisces ibidem immissos, iubet præsente Canio piscari, incen-*

sus

sua Canius cupiditate, emit quanti Pythius voluit: tibi quidem piscinas non esse venales scimus, veremur tamen, ne inde tua quæras oblectamenta, si nobis illuseris, mihi præsertim, quem scis rei familiaris esse ignarum et imperitum. Audiueram enim heri sub cœnam, allatos quosdam fuisse pisces, & à te in piscinam immitti iussos, fortasse vt ex hodierna piscatione, laudem aliquam apud nos promerearis. Ad hæc ille egregiam verò laudem ex piscibus ementitis reportauerim: cum nullam vnquam vanitate inflatam, appetierim: & miror vnde Cichocius hanc de me opinionem conceperit: fortasse animi gratia, id dictum esse voluit. Dicam & ego si ludere piscibus delectat, quidpiam in eam rem. Refert Plutarchus in Antonio, Marcum Antonium triumuirum, Alexandrinis illecebris captum, solitum esse sæpius cum Regina Cleopatra piscari, habuisseq; vrinatores paratos, qui occultè vicissim pisces ipsius piscantis hamo affigerent. Admonuit frequens captura reginam vanæ ostentationis, quàm vt maiore quodam risu eluderet, præmisit, qui fumosum piscem, piscanti appenderet, qui attractus ingentem materiàm videndi præbuit Cleopatræ, & legatis qui aderant, erubuit Antonius suis elusus artibus, ad quem Cleopatra, Alexandrinorum est, inquit Antoni piscari, tuum bellando vincere: Ego vero dixerim, Regum & Principum esse, feras syluestres venari, cruentisq; viscerationibus se oblectare, at sacerdotibus piscatio conuenit, nam & piscatores, ad Apostolatus in Ecclesia supremam præeminentiam assumpti sunt, et dominus non carnes sed pisces, vnà cum panibus multiplicasse legitur. Quin quod magis mire-

Lib: 1. de var: Hist: *re, apud Rhodios vt refert Æmilius, illi qui pisces in delicijs habebant, à popularibus quasi liberales commendabantur: quibus vero magis arridebat carnium esus, ij aggrestes, et ventres, calumniæ causa appellabantur. Et vt amplius & augustius quid ad commendationem piscium adferam, Tertulianus Iesum Christum* ἰχθὺν *vocare non veretur, et proinde Christianos, pisciculos etiam appellat, eò quod in aqua nascuntur, nec aliter quam in aqua permanendo salui fiant. Hinc infert Quintilam optimè nouisse pisciculos necare, dum eos de aqua aufert, quod idem nunc faciunt Anabaptistæ, vt non immerito idem Tertul: viperis, aspidibus, regulis, serpentibus, qui arida et inaquosa sectantur illos comparet. Ad intellectum huius Beatus Optatus Afer, sic de Christo loquens inquit: Est piscis qui in baptismate per inuocationem, fontalibus vndis inseritur, vt qua aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem Græcam, in vno nomine per singulas literas, turbam sanctorum nominum continet:* ἰχθὺς *enim Latine Iesus Christus Dei filius, Saluator, quod ipsum repetit, Beatus Augustinus: voces autem Græcæ, quæ singulis vocis* ἰχθὺς *literis indicantur, hæ sunt:* ἰησοῦς χριστὸς, θεοῦ υἱὸς, σωτήρ. *Habere suas causas Cochlevium, credo, cur tantopere oblectetur piscibus: nam cum reliqua animalia vna cùm terra maledictioni diuinæ obnoxia fuerint; ita vt diluuio obruerentur illa maledictio aquatilia non tetigit, vt tradit S. Augustinus, redditâq; causam, quod non aquam contra interdictum Dei haberet homo, sed de terræ fructu comedit. Tum in aqua, & in Spiritu, aquis incu-*

Aduers⁹ Quintilã

Libr: 3. aduersus Parmen.

16. de ciuit: Dei, cap: 23.

Lib: 1. de mirabi. lib⁹ scri. cap: 4.

incubante, cuncta humana corporalia & spiritualia crimina, purgari, quæ non debuit maledicto subyci, vnde nunquam legibus ceremonialibus permittebatur piscem in sacrificium offerri ad expiationem, sicut cætera animantia, tanquam maledicto carentem. Quin & Deus cum mortis humanæ maledictum resurgendo deposuisset, non terrestrium sed aqualitium carnem, hoc est, piscem assum comedebat, vt igitur pisces diluuio non fuerunt interempti, sed proprio loco seruati, ita quoq; maledicto non fuerant subiecti: sicut neq; aqua quam inhabitabant. Si enim aquis terra, et quæ in terra degunt deleta sunt, aquæ ipsæ deleri dignæ non habebantur per quas cætera delerentur. Accessit et illud, vt qui primi ad Apostolatum euocabantur ex aquis tanquam aere piscium ad hominum procurandam in terra salutem, per aquam Baptismi administrandam accerserentur. Vnde sacra scriptura redundat frequentioribus mysterijs in piscibus, vt in Tobia et Iona videre est, maximè vero in noua lege, vt in multiplicatione illa duorum piscium: tum in captura piscium in stagno Genazareth: & quando in alia piscatione numerati sunt 153. magni pisces, ijs enim exemplis magna Euangelicæ prædicationis fæcunditas signata est: ita vt veri Dei cultores, piscibus comparari viderentur. Illud autem præ cæteris insignius est, cum Dominus iussit Petro, vt piscem piscaretur, è cuius ore peccuniam inuentam publicanis persolueret, indicans illos qui Euangelio seruiunt ex piscibus sua emolumenta capturos: Recte igitur Cochlevius, magnam suæ recreationis partem, ex piscibus decerpit. Quòd vero dicis pisces in viuarium, immitti iussos, ridicu-

Mat: 15.
Luc: 5.

 lum

lum te exhibes nobis œconomum, non enim hîc nascuntur, verum immittuntur, vt eo facilius cum opus fuerit prebendantur: asseruatorius enim siue promptuarius, non vero natiuus piscium est hîc locus. Igitur iube retia expandi Cochlevi, subintuli ego, nec imperitia mea tuum moueat stomachum. Sed quantum hîc piscium cassibus inuolutum est? Pro me hunc lucium minorem, hic enim alter excipiendo alicui principi conuenit, ita magnus & delicatus est: reliqui minores inferantur in coquinam, non enim decet, te nostri causa facere, tantum piscium dispendium. Quasi vero inquit Cochlevius, aliquis hospes te gratior superuenire possit? quin & hunc carpionem tollito puer, & hanc capturam reliquam, tincarum, percarum, rubiculorum, fundulorum, pro familia inferte: minuti vero isti, vt crescant, remittantur in aquam, videbis in his apparandis & coquendis meam artem, & sollicitudinem, vsq; ad sudorem. Neq; id interpreteris mihi ignominiosum: factitasse idem summos viros non necessitatis, sed exercendi corporis, addam ego & appetittus ciendi, causa. Nam & plerosq; sacerdotes ab hoc officij genere non abhorruisse, imo quasi peculiare ipsis fuisse: at vero cuperem, vt nonnunquam torporem tuum istum senilem ex multa lectione contractum, eiusmodi exercitio discas excutere: sed difficilè fuerit id tibi persuadere, cum antea non assueueris. Procedamus vero nunc, deambulationem adhuc continuaturi, quandoquidem meridies, vna aut altera bora abesse, videtur.

CAPVT TERTIVM.

Columbariorum

Columbariorum vsus, Columbarum encomia & illarum cura. Templi Osiecciani laus.

TVm ego quæso περιστέριον illud tuum, adeamus, forte nobis περιστερίδιον aliquod inde implume ceciderit: at quantum hic quæso nidamentorum? vide quamprimum sibi persenserunt parari insidias vt denso agmine sese proripuerunt. Ego vero Cochlevi, hoc genere aucupij nonnunquam me oblectare consueui: tibi cordi sunt pisces & armentum, me columbæ & auiculæ recreant, cùm aliquando à grauioribus curis, quibus plerumq; distrahor, me subducere soleo; te vero demiror, quod procurandis, quibusvis etiam minutissimis, domesticarum rerum sollicitudinibus, parem animum adhibeas. Nec tamen in postrema rei familiaris parte, commoda, quæ ex columbario proueniunt, ponenda sunt: Refert Plinius Lucium Axium, equitem Romanum, denarijs quadringentis, ante bellum ciuile Pompeianum, singula paria venditasse, hoc idem tradit Varro, dicitq; columbarum amore insaniuisse multos, ita vt supra tecta, turres eis ædificauerint, & libenter nobilitatem singularum, & origines earum, quibuslibet narrauerint. Tum Cochlevius: Iam video Cichocium ad rem attentiorem factum, cùm etiam ex columbis emolumenta, & lucra quærere velle videtur. Non inquio Cochlevi, cùm magis visu & volatu quàm pastu earum delecter, nec gemitus et murmura illarum aspernor, & quod præcipuum est, auem boni ominis, & insignis alicuius sanctitatis indicem, passim fuisse reperio. Nam præter id, quod in columbæ effigie Spiritum sanctum, supra ver-

ticem domini apparuisse; Euangelium tradit: legimus etiam plerosq; Sanctos, indice columba, quid de ipsis statuisset Deus, proditos esse. Dum Antero in Pontificatu successor quæreretur, columba super caput Fabiani astitisse fertur. In Dialo. *S. Gregorius scribit, Spem Abbatem, oculis captum, tandem in quadraginta annis visui restitutum, diuinitus monitum fuisse, vt vicina monasteria reformaret, & perfecta videndi præcepta eisdem traderet, tamq; id domino gratum fuisse, vt etiam columba ab eius ore morientis, egressa,* Mat: 10. *testimonium eius sanctitatis daret. Euthymius adnotauit columbas, etsi pullis orbentur, nihilominus ad eosdem dominos, ad easdem ædes redire, ex quo intelligimus illud Chri-* Mat: 10. *sti:* Estote simplices sicut columbę, *vt scilicet, nemini noceamus, nec memores simus iniuriarum: sed placide ad eos redeamus, à quibus læsi vexatiq; fuerimus. Habet hoc quidem columba, vt sicut volatu est velocissima; sic corde tardissima sit: nec magnopere aucupem retia tendentem vi-* Oseæ 7. *dere aut vitare curet. Vnde illud:* Et factus est Ephraim, quasi columba seducta: *vbi notat stultitiam Ephraim, cæteræ enim aues pugnant: vt pullos defendant; sola columba ablatos pullos non dolet, & non requirit; ita Ephraim vastatum populum non sentit; vel hæc verba aptissimè possunt etiam referri ad peccatorem: Peccator enim verè est, quasi columba seducta. Et cùm multa habeat columba, quæ laudat scriptura, vt quòd celerrime volat, quòd felle & amaritudine caret, quòd limpidas aquas amat, quòd cadauerum pastum refugit, hoc solum in ea peccator imitatur, quòd facile seducitur, quòd non habet cor. Fallaci quadam boni*

boni specie capitur, & breui, caducaq; voluptatula illectus, vltro se in laqueos, & in ipsas crudelissimorum hostium manus conijcit: spoliatur, laceratur, nec irascitur spoliantibus: sed libenter ad easdem ædes reuertitur, in quibus mala hæc pertulit, & grauiter vulneratus est. Non habet profectò cor, vtinam saperet, intelligeret, & nouissima prouideret: vitaret certè laqueos paratos & caueret, intelligeret sæpe sececidisse, nec fortiorem esse nunc, quam cum cadebat. Illud verò penè prodigiosum, Sigonio referente, quod cum Mediolanensis, Friderico primo Imperatori ad obsidionem vrbis se accingenti, in occursum progressi essent, eum auspicio trium columbarum magno prælio fuderunt. Is erat dies, quo Sanctorum Martyrum, Sisinij, Martyrij, & Alexandri, natalitia celebrantur, ante congressum tres columbæ ad ipsorum Martyrum altare euolauère, ac mirificè in malo Carocij Ducis consedère, & is dies in perpetuum ciuitati festus decretus. Et ego inquit Marcisovius aliquid apponam, quod ad commendationem columbarum etiam pertinuerit, tametsi magis prophana quam sacra sint. Legimus apud scriptores de columbis tabellarijs: Plinius scribit, quod epistolas pedibus annexas, obsidione Mutinensi in castra consulum pertulerint D. Bruto mittente. Sed magis illud obseruatu dignum, videre est apud Egnatium, Gallis, & Venetis Ptolomaidem obsidentibus, columbam tabellarium, castra præteruolantem, clamore militum in terram depressam, epistola sub alis alligata, indicasse. Soltanum intra triduum cum ingenti exercitu adfuturum, obsidionem interea fortiter tolerent; qua re animaduersa Christiani, eidem columbæ contrarias

Lib: 4. regno Italico.

Lib: 7. Cap: 4.

triarias alligauerunt litteras, quibus significabatur Soltanum grauiorib⁹ periculis impeditum, obsessis opem ferre non posse, rebus suis vt consulerent permittere, confestimq; vrbs Soltano referente pedem, dedita: boc idem refert Æmilius de Hierosolymis a Latinis obsessis, sed columbam accipitrem fugientem, decidisse in castra scribit. Solebant autem ad bellum profecturi secum domo apportare columbas, præsertim à suis pullis non dum involucribus abstractas, quas iterum cum opus fuerat remitterent. Quanquam non solum internunciorum officium, præstitere columbæ, sed & perniciem quibusdam oppidis attulere: pedibus enim columbarum ignis alligatus, ab Olba Russorum Regina, Droulanorum vrbem, hostili animo incendit. Ecquid vero tam diu circa has vestras columbas occupamini? quasi indignabundus subintulit Cochlevius, quin potius versus templum paulisper progrediamur. Age vero Cichoci, num satis tibi videtur nostrum hoc Osiecianum templum splendescere? Illud quod e regione huius, vltra Istulam conspicitur, magis splendidum apparet inquio; tum Cochlevius, imo vero nihil eo turpius & fætidius, quamvis externa specie videatur oculos perstringere, nidus est ille hæreticorum ad quem conuolant inauspicate aues, qui fætidis blasphemijs, suggestus & subsellia sua conspurcant: nihil enim intus inueneris, quod spectare delectet, nec quæras vbi nam sit illa cultui diuino dedicata supellex, vbi calices, qui ex rapinis Ecclesiarum in scyphos redacti, faciunt ministros esse disertos, imo ex vestitu sacro direpto, etiam suas Catherinas, Elsas, vel Bertas, egregie mundo muliebri exornatas, faciunt

Lib: 4. — Barro in Russia.

unt

unt in publicum prodire. Dolendum est illam insignem in Repub: & rei militaris exactissima peritia: illustrem familiam, fascinationibus prædicantum eo esse perductam, vt maluerit sentinam colluuiei istius primariam, in templa Deo Opt: Max. dicata deriuare, quàm maiorum suorum in fide prisca profitenda, vestigijs insistere: quanquam ne id quidem de tota familia dictum velim. Tum ego, Quanto igitur tuum Osiecianum magnificentiùs & splendidiùs censeri debet templum, in quo non solùm ritè sacra administrantur; verùm & parietes ipsi, ad deuotionem vel inuitos excitare possunt: adeò illud picturis & laquearibus inauratis, & quasi stellulis quibusdam intermicantibus exornâsti, vt è cælo petitæ videantur, vidi quoq; copiosam, nec vulgarem ornamentorum supellectilem, tum & vasorum cultui diuino inseruientium, non exiguum numerum. Sed & organorum quàm suauem concentum audire licuit, tum Cantorum æquam & proportionatam melodiam? perplacent omnia Cochleui, nec mirum cùm teipsum semper tibi similem præstes: hoc est, elegantem nitidum, promptum, ad res agendas, liberalem, optimè reditus Ecclesiæ expendentem, & amore hominum quaqua versus diffluentem. Quantum tibi debet Osiecum? quòd propagato tam strenue cultu diuino, supra nobiliora circumquaq; oppida te illud extulerit, atq; ignominiosum adagium, quo Osiecenses actiones vulgo carpi solent, pene sustuleris. Sed iam tandem redeamus, vt antequam prandium apponatur, intro de Anatomia aliquid inter nos conferamus.

CAP. IIII.

Quis ille Anonymus cōsultor fuerit, tum quàm horrendum & turpe monstrum.

POsteaquàm assessum est, tum Marcisouius primùm Anonymi incunabula inuestiganda esse censuit, ne scopus ipse, in quem tot tela iacta sunt, irritos ictus excepisse videretur. Et omninò quale illud portentum fuerit, statuere se non posse testatus, ex me quæsiuit, num vel odoratu saltem, hanc pestilentissimam feram assequi potuerim, sibi enim videri istum, vel ex ganeo, vel saltem ex aliqua tonstrina prodiisse, quo concurrunt ciues, qui omnia simulant se scire, nec quicquam sciunt. Id quod in aurem rex reginæ dixerit, sciunt: quid fabulata sit cum Ioue Iuno, quæq; neq; futura, nec facta sunt, tamen illi sciunt, falsò; an vero laudent, culpent quem velint, non flocci faciunt, dum illud quòd lubeat, sciunt. Ita hic impostor, vno momento percurrit, Angliam, Scotiam, Hyberniam, Italiam, Hispaniam, Galliam, Moschouiam, Indiam, & quid in qualibet Prouincia agatur, consultatur, decernitur, optime se scire, ac imperitis pro talibus tanquam vera sint, obtrudere non veretur. Monstrum certe aliquod oportuit esse, ex diuersis specierum formis constans. Non aberras inquam à vero Marcisoui: en exhibeo tui Ioannis Gutouij Emblemma, appositè vt reor Anonymum proprijs & viuis coloribus depingens, statura quidem homini proxima, sed faucibus diductis, atq; exerta lingua, ad instar lupi, prædæ inbiantis,

Plautus.

inhiantis, vsq; ad vmbilicum protensa, aquilinis pedibus insistens: tibiæ tamen tibialibus Germanicis, quæ à Plutone nomen habent, circumductæ: nec desunt incurui militares calcei, quibus rapacissimæ auis vngues inserti sunt. Manus ab humeris ex militari breuiusculo sagulo, eoq; rubicundo exertæ, in digitos prædatoriæ auis desinunt; chartas laceras & sibi inuicem non cohærentes, vna tenet manu, altera pennam, qua virus pestiferum chartis illinire solet, ostentans, totum autem monstrum caudæ hirsutæ ad talos dependentis immane: obuersum autem gerit vultum ad mensam in qua Anatomiam cum instrumentis scriptoriis, repositam videt, vt quasi dentibus contra eam fremere videatur: nihilominus toto corpore ad antrum & specum profundum, recto gressu fertur, puto vt latebras suæ impudentiæ quærat, postea cum maiori rabie forsitan emersurum, præsertim cum videat lupum ab agno et prostratum et discerptum esse, metuens ne & suæ cuti idem eueniat. Quòd totum hisce carminibus noster Ioannes vt est ad Poesim propensi & elegantis ingenij, expressit, vos si placet legitote. Anonymus discolor e pugna recenti firmissimis quibusque argumentis de mendacio confossus, in specum sese conuertit.

Viderat imbellem lupus olim callidus agnum
    Cum quo, dura statim prælia dente mouet.
Dilaniat: frustra gemitus, vocesque ciebat
    Præda truci haud facilè, heu eripienda lupo
Dispar pugna fuit, successu temporis, agnus
    De prædone lupo, denuo victor erat

Exijt ecce ſpecu, cupiens tentare priorem
Fortunam hæreticus, proxima larua lupo.
Obiicit huic ſeſe intrepidus Cichocius artes
Vlturus, ſæui cum ratione lupi,
Hoſtis latrat iners, heu, figmentisque laborat
Hîc in ſacrilegum commouet, arma lupum,
Pugna fit: hæreticus calami proſternitur ecce
Vulnere, cui victo talia victor ait,
I, quò te tua mors, quò te tua peſsima virtus
Ducit, cum ſcriptis commoriare, tuis.

AD ANONYMVM.

Dum vîxti tacitus, furtimque latere ſolebas
Tunc obſcura nimis, lux tua mentis erat,
At dum prodîſti quodam comitante libello
*I*am doctis mendax incipis eſſe viris.

VERITAS LATERE NESCIT.

Tum Cochleuius ſatis aptè nec ineleganter inquit, huic Typo, hæc carmina reſpondere cenſeo, quæ rem totam non ſolum illuſtrârunt, verùm & Anonymum iſtum, omnibus conſpuendum & exſibilandum quaſi in proſcenium pertraxêrunt. Nec verò difficulter qualis ſit depingi poterat: ſed quinam fuerit ſi coniecturas remoueas, non facile ex antro hominem eduxeris. Memini ego, ſub illo Rocoſiano deplorato, & tumultuoſo tempore, per Sendomiriam tuam Cichoci, & turbulentorum hominum ædes quendam diſcurſantem, & conſilia inſanis hominibus obtrudentem, palam

vt

vt iactaret, se ex meditullio Prussiæ, ad partes hæreticorum, et Machiauelistarum fouendas, accurrisse, et multa quidem effutire solitum, apud imperitum vulgus, latina Germanicis et Polonicis miscuisse verba; à ciendis turbis nomen mutuatum esse ferunt. Sed non hunc auctorem fortasse nec interpretem esse crediderim, Polonico enim idiomate, hic Anonymus liber, prodijsse dicitur, deinde à quopiam alio in latinum versus. Nuper tamen inaudiui, non ex promiscua plebe, sed magni momenti virum, libri fuisse auctorem: eiusq; sumptibus euulgatum, et per Germaniam distractum, nec non ignobilis oppidi ad Prussiæ fines præfectum, atq; opinione multorum, eruditione quidem præstanti esse, iudicio tamen non æquè pollere. Sed cùm dicatur esse Catholicus adduci non possum, vt credam, virum Catholica religione à teneris imbutum, eò impietatis prolapsum, vt à partibus hæreticorum, contra summum Pontificem, contra religiosum Societ: ordinem; imò contra conscientiam propriam, stetisse videri velit. Certè hæreticum vel insignem aliquem ex Machiaueli schola, impium antagonistam oportuit esse. Sed quisquis ille sit, vix dignum censeo, vt de eo, quis tandem fuerit, inquiratur.

CAPVT V.

De Anatomia, Illustrissimi Episcopi Plocensis, iudicium.

QVin potius percunctemur: an Cichocius istius Anatomiæ suæ habuerit, eruditione et autoritate aliquem eximi-

um virum approbatorem vel censorem. Nos enim metuimus, ne si quid iudicij nostri interposuerimus, auribus illius dedisse, vel amicitiæ aut amoris rationem habuisse, dicamur: securius enim à remotioribus exquiruntur iudicia, quàm à vicinioribus, præsertim conuersatione et familiaritate deuinctis. Hic ego planè erubui, existimans multa eos reperisse, quæ reprehensione digna esse iudicarent, nec enim omnia omnibus placere possunt; resumpto tamen animo: Quid inquio vobis in mentem venit amici, quod iudicia vestra subtrahere cupiatis? Ego verò censuras non subterfugio vestras; noui enim nihil vos vnquam simulatè egisse, & veritatis adeò studiosos esse, vt ne amicissimorum quidem, indecernendo vero, aliquam rationem habere velle existimemini. Recenter verò edita Anatomia non poterat adhuc multorum manibus teri: nihil tamen potius habui; quàm vt eam statim à prælo præsertim occasione commodissima oblata, Illustrissimo Martino Siscouio, *Episcopo Plocensi, quem erga me semper liberalem et beneuolum animum gessisse non ignoraueram, examinandam mitterem: illius enim fermè auspicijs, ad Anatomiam edendam, incensus sum: hic enim dum tantùm Canonicus Cracouiensis esset, equitem Polonum, Societati Iesu petulanter insultantem, ita repressit, vt ex equo deiectum, ne quidem inter gregarios milites, consistere passus sit. Quid verò putatis, qualis iste vir sit? cuius eruditionem, industriam, & ingenium, etiam ipsa Italia admirata est, & Aldus Manutius, Pauli filius, ita eum in præfatione libri de antiquitatibus Romanis, ad Stephanum Regem editis, extulit, vt quòd sciam, paucis*

paucis Polonis, à doctis per Italiam viris, ad eum modum laudari contigerit. Nec suo iudicio deceptus est Serenissimus Rex noster Sigismundus, qui eundem primum ad Episcopatum Luceoriensem, demum Plocensem, ob insignes eius virtutes, & in rebus agendis dexteritatem, euexit: & in amplissimo Senatus consessu, locum suum obtinere iussit. Hic mihi est instar multorum, cuius iudicio non solum ego qui subrudior sum; verumetiam quilibet doctissimus, scripta sua secure subijcere poterit. Vultis proferam litteras eius, quæ ad me celeri cursu, dum adhuc Cracouiæ inter amicos hæreo, perlatæ sunt? his lectis facile colligere poteritis; quid sibi de Anatomia mea sentiendum putauerit. Præbe eas ait Marcisouius, audiente Cochleuio, legam, & percurram diligenter. Admodum Reuerende Dñe & obseruande. Et nominis tui fama, & præstantis doctrina, aliarumque virtutum tuarum ornamentis commotus, ex quo te primum die cognoui, amore prosequi non cessaui. Verùm nunc ad eum amorem tanta accessio est facta; vt singulari prorsus in te animi propensione ferox: cùm, scilicet, lecto tuo libro, incredibile in te studium Religionis Catholicę aduersus pestiferas huius temporis sectas, defendendę, aduerti, & in Societatem Iesu, cui me quoque plurimùm debere profiteor, ab iniurijs obtrectatorum, alienę virtutis laude frementium, vindicandam, peculiarem affectum. Neq; verò meliùs ista præclara Dei dona, collocari possunt, quàm in his rebus, litteris ornandis, quibus Christianę pietatis ratio continetur. Quòd autem illud quoque

ticem domini apparuisse; Euangelium tradit: legimus etiam plerosq; Sanctos, indice columba, quid de ipsis statuisset Deus, proditos esse. Dum Antero in Pontificatu successor quæreretur, columba super caput Fabiani astitisse fertur. In Dialo. *S. Gregorius scribit, Spem Abbatem, oculis captum, tandem in quadraginta annis visui restitutum, diuinitus monitum fuisse, vt vicina monasteria reformaret, & perfecta videndi præcepta eisdem traderet, tamq; id domino gratum fuisse, vt etiam columba ab eius ore morientis, egressa,* Mat: 10. *testimonium eius sanctitatis daret. Euthymius adnotauit columbas, etsi pullis orbentur, nihilominus ad eosdem dominos, ad easdem ædes redire, ex quo intelligimus illud Christi:* Mat: 10. Estote simplices sicut columbę, *vt scilicet, nemini noceamus, nec memores simus iniuriarum: sed placide ad eos redeamus, à quibus læsi vexatiq; fuerimus. Habet hoc quidem columba, vt sicut volatu est velocissima; sic corde tardissima sit: nec magnopere aucupem retia tendentem vi-* Oseæ 7. *dere aut vitare curet. Vnde illud:* Et factus est Ephraim, quasi columba seducta: *vbi notat stultitiam Ephraim, cæteræ enim aues pugnant: vt pullos defendant; sola columba ablatos pullos non dolet, & non requirit; ita Ephraim vastatum populum non sentit; vel hæc verba aptissimè possunt etiam referri ad peccatorem: Peccator enim verè est, quasi columba seducta. Et cùm multa habeat columba, quæ laudat scriptura, vt quòd celerrime volat, quòd felle & amaritudine caret, quòd limpidas aquas amat, quòd cadauerum pastum refugit, hoc solum in ea peccator imitatur, quòd facilè seducitur, quòd non habet cor. Fallaci quadam*

boni

boni specie capitur, & breui, caducaq; voluptatula illectus, vltro se in laqueos, & in ipsas crudelissimorum hostium manus conijcit: spoliatur, laceratur, nec irascitur spoliantibus: sed libenter ad easdem ædes reuertitur, in quibus mala hæc pertulit, & grauiter vulneratus est. Non habet profectò cor, vtinam saperet, intelligeret, & nouissima prouideret: vitaret certe laqueos paratos & caueret, intelligeret sæpe se cecidisse, nec fortiorem esse nunc, quam cum cadebat. Illud vero pene prodigiosum, Sigonio referente, quod cum Mediolanensis, Friderico primo Imperatori ad obsidionem vrbis se accingenti, in occursum progressi essent, eum auspicio trium columbarum magno prælio fuderunt. Is erat dies, quo Sanctorum Martyrum, Sisinij, Martyrij, & Alexandri, natalitia celebrantur, ante congressum tres columbæ ad ipsorum Martyrum altare euolauêre, ac mirifice in malo Carocij Ducis consedère, & is dies in perpetuum ciuitati festus decretus. Et ego inquit Marcisouius aliquid apponam, quod ad commendationem columbarum etiam pertinuerit, tametsi magis prophana quam sacra sint. Legimus apud scriptores de columbis tabellarijs: Plinius scribit, quod epistolas pedibus annexas, obsidione Mutinensi in castra consulum pertulerint D. Bruto mittente. Sed magis illud obseruatu dignum, videre est apud Egnatium, Gallis, & Venetis Ptolomaidem obsidentibus, columbam tabellarium, castra præteruolantem, clamore militum in terram depressam, epistola sub alis alligata, indicasse. Soltanum intra triduum cum ingenti exercitu ad futurum, obsidionem interea fortiter tolerent; qua re animaduersa Christiani, eidem columbæ con-

Lib: 4. regno Italico.

Lib: 7. Cap: 4.

trarias

trarias alligauerunt litteras, quibus significabatur Soltanum grauiorib⁹ periculis impeditum, obsessis opem ferre non posse, rebus suis vt consulerent permittere, confestimq; vrbs
Lib: 4. *Soltano referente pedem, dedita: hoc idem refert Æmilius de Hierosolymis a Latinis obsessis, sed columbam accipitrem fugientem, decidisse in castra scribit. Solebant autem ad bellum profecturi secum domo apportare columbas, præsertim à suis pullis non dum involucribus abstractas, quas iterum cum opus fuerat remitterent. Quanquam non solum internunciorum officium, præstitere columbæ, sed & perniciem quibusdam oppidis attulere: pedibus enim*
Barro in Russia. *columbarum ignis alligatus, ab Olba Russorum Regina, Droulanorum vrbem, hostili animo incendit. Ecquid vero tam diu circa has vestras columbas occupamini? quasi indignabundus subintulit Cochlevius, quin potius versus templum paulisper progrediamur. Age vero Cichoci, num satis tibi videtur nostrum hoc Osiecianum templum splendescere? Illud quod e regione huius, vltra Istulam conspicitur, magis splendidum apparet inquio; tum Cochlevius, imo vero nihil eo turpius & fætidius, quamvis externa specie videatur oculos perstringere, nidus est ille hæreticorum ad quem conuolant inauspicate aues, qui fætidis blasphemijs, suggestus & subsellia sua conspurcant: nihil enim intus inueneris, quod spectare delectet, nec quæras vbi nam sit illa cultui diuino dedicata supellex, vbi calices, qui ex rapinis Ecclesiarum in scyphos redacti, faciunt ministros esse disertos, imo ex vestitu sacro direpto, etiam suas Catherinas, Elsas, vel Bertas, egregie mundo muliebri exornatas, faciunt*

unt in publicum prodire. Dolendum est illam insignem in Repub: & rei militaris exactissima peritia: illustrem familiam, fascinationibus prædicantum eo esse perductam, vt maluerit sentinam colluuiei istius primariam, in templa Deo Opt: Max. dicata deriuare, quàm maiorum suorum in fide prisca profitenda, vestigijs insistere: quanquam ne id quidem de tota familia dictum velim. Tum ego, Quanto igitur tuum Osiecianum magnificentiùs & splendidiùs censeri debet templum, in quo non solùm ritè sacra administrantur; verùm & parietes ipsi, ad deuotionem vel inuitos excitare possunt: adeò illud picturis & laquearibus inauratis, & quasi stellulis quibusdam intermicantibus exornâsti, vt è cælo petitæ videantur, vidi quoq; copiosam, nec vulgarem ornamentorum supellectilem, tum & vasorum cultui diuino inseruientium non exiguum numerum. Sed & organorum quàm suauem concentum audire licuit, tum Cantorum æquam & proportionatam melodiam? perplacent omnia Cochleui, nec mirum cùm teipsum semper tibi similem præstes: hoc est, elegantem nitidum, promptum, ad res agendas, liberalem, optimè reditus Ecclesiæ expendentem, & amore hominum quaqua versus diffluentem. Quantum tibi debet Osiecum? quòd propagato tam strenue cultu diuino, supra nobiliora circumquaq; oppida te illud extulerit, atq; ignominiosum adagium, quo Osiecenses actiones vulgo carpi solent, pene sustuleris. Sed iam tandem redeamus, vt antequam prandium apponatur, intro de Anatomia aliquid inter nos conferamus.

inhiantis, vsq; ad vmbilicum protensa, aquilinis pedibus insistens: tibiæ tamen tibialibus Germanicis, quæ à Plutone nomen habent, circumductæ: nec desunt incurui militares calcei, quibus rapacissimæ auis vngues inserti sunt. Manus ab humeris ex militari breuiusculo sagulo, eoq; rubicundo exertæ, in digitos prædatoriæ auis desinunt; chartas laceras & sibi inuicem non cohærentes, vna tenet manu, altera pennam, qua virus pestiferum chartis illinire solet, ostentans, totum autem monstrum caudæ hirsutæ ad talos dependentis immane: obuersum autem gerit vultum ad mensam in qua Anatomiam cum instrumentis scriptoriis, repositam videt, vt quasi dentibus contra eam fremere videatur: nihilominus toto corpore ad antrum & specum profundum, recto gressu fertur, puto vt latebras suæ impudentiæ quærat, postea cum maiori rabie forsitan emersurum, præsertim cum videat lupum ab agno et prostratum et discerptum esse, metuens ne & suæ cuti idem eueniat. Quòd totum hisce carminibus noster Ioannes vt est ad Poesim propensi & elegantis ingenij, expressit, vos si placet legitote. Anonymus discolor e pugna recenti firmissimis quibusque argumentis de mendacio confossus, in specum sese conuertit.

Viderat imbellem lupus olim callidus agnum
Cum quo, dura statim prælia dente mouet.
Dilaniat: frustra gemitus, vocesque ciebat
Præda truci haud facilè, heu eripienda lupo
Dispar pugna fuit, successu temporis, agnus
De prædone lupo, denuo victor erat

Exijt ecce specu, cupiens tentare priorem
  Fortunam hæreticus, proxima larua lupo.
Obiicit huic sese intrepidus Cichocius artes
  Vlturus, sæui cum ratione lupi,
Hostis latrat iners, heu, figmentisque laborat
  Hîc in sacrilegum commouet, arma lupum,
Pugna fit: hæreticus calami prosternitur ecce
  Vulnere, cui victo talia victor ait,
I, quò te tua mors, quò te tua pessima virtus
  Ducit, cum scriptis commoriare, tuis.

AD ANONYMVM.

Dum vîxti tacitus, furtimque latere solebas
  Tunc obscura nimis, lux tua mentis erat,
At dum prodîsti quodam comitante libello
  Iam doctis mendax incipis esse viris.

VERITAS LATERE NESCIT.

Tum Cochleuius satis aptè nec ineleganter inquit, huic Typo, hæc carmina respondere censeo, quæ rem totam non solum illustrârunt, verùm & Anonymum istum, omnibus conspuendum & exsibilandum quasi in proscenium pertraxêrunt. Nec verò difficulter qualis sit depingi poterat: sed quinam fuerit si coniecturas remoueas, non facile ex antro hominem eduxeris. Memini ego, sub illo Rocosiano deplorato, & tumultuoso tempore, per Sendomiriam tuam Cichoci, & turbulentorum hominum ædes quendam discursantem, & consilia insanis hominibus obtrudentem, palam

vt

vt iactaret, se ex meditullio Prussiæ, ad partes hæreticorum, et Machiauelistarum fouendas, accurrisse, et multa quidem effutire solitum, apud imperitum vulgus, latina Germanicis et Polonicis miscuisse verba; à ciendis turbis nomen mutuatum esse ferunt. Sed non hunc auctorem fortasse nec interpretem esse crediderim, Polonico enim idiomate, hic Anonymus liber, prodijsse dicitur, deinde à quopiam alio in latinum versus. Nuper tamen inaudiui, non ex promiscua plebe, sed magni momenti virum, libri fuisse auctorem: eiusq; sumptibus euulgatum, et per Germaniam distractum, nec non ignobilis oppidi ad Prussiæ fines præfectum, atq; opinione multorum, eruditione quidem præstanti esse, iudcio tamen non æquè pollere. Sed cùm dicatur esse Catholicus adduci non possum, vt credam, virum Catholica religione à teneris imbutum, eò impietatis prolapsum, vt à partibus hæreticorum, contra summum Pontificem, contra religiosum Societ: ordinem; imò contra conscientiam propriam, stetisse videri velit. Certè hæreticum vel insignem aliquem ex Machiaueli schola, impium antagonistam oportuit esse. Sed quisquis ille sit, vix dignum censeo, vt de eo, quis tandem fuerit, inquiratur.

CAPVT V.

De Anatomia, Illustrissimi Episcopi Plocensis, iudicium.

QVin potius percunctemur: an Cicbocius istius Anatomiæ suæ habuerit, eruditione et autoritate aliquem eximi-

um virum approbatorem vel censorem. Nos enim metuimus, ne si quid iudicij nostri interposuerimus, auribus illius dedisse, vel amicitiæ aut amoris rationem habuisse, dicamur: securius enim à remotioribus exquiruntur iudicia, quàm à vicinioribus, præsertim conuersatione et familiaritate deuinctis. Hic ego planè erubui, existimans multa eos reperisse, quæ reprehensione digna esse iudicarent, nec enim omnia omnibus placere possunt; resumpto tamen animo: Quid inquio vobis in mentem venit amici, quod iudicia vestra subtrahere cupiatis? Ego verò censuras non subterfugio vestras; noui enim nihil vos vnquam simulate egisse, & veritatis adeò studiosos esse, vt ne amicissimorum quidem, in decernendo vero, aliquam rationem habere velle existimemini. Recenter verò edita Anatomia non poterat adhuc multorum manibus teri: nihil tamen potius habui; quàm vt eam statim à prælo præsertim occasione commodissima oblata, Illustrissimo Martino Siscouio, *Episcopo Plocensi, quem erga me semper liberalem et beneuolum animum gessisse non ignoraueram, examinandam mitterem: illius enim fermè auspicijs, ad Anatomiam edendam, incensus sum: hic enim dum tantùm Canonicus Cracouiensis esset, equitem Polonum, Societati Iesu petulanter insultantem, ita repressit, vt ex equo deiectum, ne quidem inter gregarios milites, consistere passus sit. Quid verò putatis, qualis iste vir sit? cuius eruditionem, industriam, & ingenium, etiam ipsa Italia admirata est, & Aldus Manutius, Pauli filius, ita eum in præfatione libri de antiquitatibus Romanis, ad Stephanum Regem editis, extulit, vt quòd sciam, paucis*

paucis Polonis, à doctis per Italiam viris, ad eum modum laudari contigerit. Nec suo iudicio deceptus est Serenissimus Rex noster Sigismundus, qui eundem primum ad Episcopatum Luceoriensem, demum Plocensem, ob insignes eius virtutes, & in rebus agendis dexteritatem, euexit: & in amplissimo Senatus consessu, locum suum obtinere iussit. Hic mihi est instar multorum, cuius iudicio non solum ego qui subrudior sum; verumetiam quilibet doctissimus, scripta sua secure subijcere poterit. Vultis proferam litteras eius, quæ ad me celeri cursu, dum adhuc Cracouiæ inter amicos hæreo, perlatæ sunt? his lectis facile colligere poteritis; quid sibi de Anatomia mea sentiendum putauerit. Præbe eas ait Marcisouius, audiente Cochleuio, legam, & percurram diligenter. Admodum Reuerende Dñe & obseruande. Et nominis tui fama, & præstantis doctrina, aliarumque virtutum tuarum ornamentis commotus, ex quo te primum die cognoui, amore prosequi non cessaui. Verùm nunc ad eum amorem tanta accessio est facta; vt singulari prorsus in te animi propensione ferox: cùm, scilicet, lecto tuo libro, incredibile in te studium Religionis Catholicę aduersus pestiferas huius temporis sectas, defendendę, aduerti, & in Societatem Iesu, cui me quoque plurimùm debere profiteor, ab iniurijs obtrectatorum, alienę virtutis laude frementium, vindicandam, peculiarem affectum. Neq; verò meliùs ista præclara Dei dona, collocari possunt, quàm in his rebus, litteris ornandis, quibus Christianę pietatis ratio continetur. Quòd autem illud quo-

que

que meum de eadem Societate testimonium, seu potius benè merendi studium, in illo litterario conatu, tibi ad tam præclari operis exitum, profuisse arbitreris, beneuolentię potiùs ergà me tuę, tribuendum puto. Illud enim quidquid tandem fuit, non tam par rei grauitati, quàm debitum pietati officium præstitum esse, volui, vt pote in tenera & nondum confirmata ætate, iudicioq; fortasse adhuc immaturo productum. At verò in hoc eximio opere tuo, ita elegantis ingenij elucent signa, vt omnis eruditionis qua Theologicę, qua politicę scientię floribus, respersum esse videatur. Perge itaq; cæptũ glorię insistere callẽ,& à Deo Opt: solidã laborum tuorum mercedem reportabis: me autem quacunq; in re studium meum tibi probare potero, nunquam defuturum confidas; cuius me amicitię diligenter commẽdo. Datum Viscouię 1. Iulij, Año Dñi, 1611. Admodum Reuerentię vestrę, frater & amicus, addictissimus Martinus Siskowski, Episcopus Plocensis. *En subscriptio, & signum integrum. Adhæc Cochleuius: Nescio quid prius admirer, in tanto viro, humanitatemne tam eximiam, an in respondendo celeritatem. Quid igitur necesse tibi fuerit Ciboci aliorum iudicia exquirere: en habes in vno, quod ne in multis quidem inuenias. Sed puer vocat me, vt adsim; vos si in parandis piscibus, non me iuueritis, saltem spectatores adeste.*

CAPVT VI.

Piscium

Piscium apparatus iucundus, conuiuandi probatus vel improbatus, modus.

NON ad spectandum sed ad vescendum & fruendum nos esse inuitatos arbitrabamur, dixit Marcisouius; tuas delicatas occupationes, tibi habeto Cochleui: non enim tanti pisces tuos facimus, vt propter eos, fumo excæcari, & igni torreri nos permittamus. Quis enim ferat, tuas istas in familiam obiurgationes & toties exprobratam ignauiam, ac inscitiam rei culinariæ? Hoc inquit salsum est, hoc insulsum, hoc acidum, hic piperis modicum appositum, iterum plus satis intritum, hoc amarum sacaro diluendum, tum plus æquo ingestum crocum: in congerendis verò, & in vnam massam conglomerandis aromatibus, quæ sollicitudo? quæ expostulationes, quæ inuectiones, in familiam discursantem? Fer vinum inquis, porta & creticum, ne insipidum sit, baccas oliuæ, poma citria, adfer propere, puer, succus limonum expressus adsit, subde minuta ligna abeno, finde plura, remoue iterum, & quid non? Tantine tibi constat Cochleui excepisse amicos hospites? quin verò isthæc missa fac, permitte reliqua familiæ, quæ magis fumo & foco delectatur, quam istis tuis opiparis condimentis. Tum Cochleuius, ô ingratum hospitum genus, Plutarchus scribit in Antonio, coquum quia lautissimè instruxisset conuiuium, ab eo amplissimis ædibus donatum, vos vero quid mihi donaturi estis? At cùm ego, neq; coquus sim, nec eas lautitias præbeam, quæ modum & rationem superent: sed oblectandi animi vestri, id causa faciam, à vobis me traduci & quasi irri-

 si irri-

si irrideri, quì patiar. Quin potius abite hinc desidiosi, & aliquantulum operimini, dum expono in discos, qui vobis illico adferentur pisces: me verò nunc animo meo indulgere permittitote, neq; enim decet hospites in aliena domo esse curiosos. Secedamus igitur inquimus, quando tu ita vis, sed vide ne longiori inedia nos torqueas, quin ite inquit, ecce iam subsequuntur vos patinæ; vos interim pueri lymphas manibus infunditote. En ego & ipse adsum, vos verò ex ordine singulos accumbere iubeo: Benè precari cibus priùs decet Cochleui, quam imperia capessere tua, ait Marcisouius: Vide vt precatione peracta, non solum ad discumbendum, sed & ad vescendum, iam succreuit animus, cùm nulla hìc ὑπαναστάσεις, *id est, honor habitus in loco cedendo intercedat. Adhæc Cochleuius, apparatus quidem vt videtis tenuis admodum est; sed quem modestia ipsa præscribit: malus enim vt quidam inquit, qui amici affectum sumptu ponderat prout & reprehensione dignus, qui facit sumptus, vt æstimetur. Ne metue inquam Cocbleui, ne nimis parcus nobis videare, non enim quid apponitur, sed quis apponit considerare solemus, placet enim illius dictum, qui tum demum illud conuiuium laudem mereri censuit, in quo nihil meliùs hospite est: multos quidem reperias, qui seueras in luxum orationes intorquent; sæpe discrepante ab oratione mensa. Pulchrè idem Plautus expressisse videtur, inuitati inquit, vbi cæna apposita est solent dicere: quid opus fuit hoc sumptu tanto, nostri gratia? nam idem hominibus sat erat decem: culpant et comedunt tamen: sed ijdem homines nunquam appositum ampliter dicunt: iube illud demi,*

Plautus in milite glorioso

mi, tolle hanc patinam, remoue pernam, nihil moror. At tu non eiuſmodi nactus es hoſpites, qui etiam ſi parcè quid appoſueris, non in cibos, ſed in te vnum oculos defigere conſueuerunt, vt tui prandij amicorum oculos, teſtesq; habeas, non æſtimatores: optimum autem condimentum ciborum eſt, quibus adhibetur lepida aliqua confabulatio, non illa moroſa, et per aures prurigino ſas oberrans; ſed quæ vel tempori, vel perſonis, vel loco ita ſubſeruit, vt nihil procax, nihil turpe, nihil petulans admiſceat, ſed quæ in laudes aliquarum virtutum excurrat, vel vitia deteſtetur, vel etiam animum interſertis dicterijs, facetis tamen & honeſtis ad hilaritatem prouocet. Comeſſationes verò iſtæ, quæ nunc paſſim percrebuêre, tantum abeſt, vt laudem aliquam mereantur, vt potius ſumma deteſtatione dignæ iudicentur. Subintulit Cochleuius: Ergo Cicboci noſtratium conuiuia diſplicent tibi? mihi quidem qui tot annis in aula verſatus ſum, meritò diſplicuêre: qualia enim ea ſunt in quibus ille, qui præbet, nimium exigit ſumptum, quis enim maior extorqueri poteſt, cum tot dominis obedire iubearis, quot ſunt conuiuæ vocati, vt niſi parueris, illico diſpendium valetudinis: plerumq; etiam & ipſius vitæ ſubeundum tibi ſit. Maximo autem damno conuiuatur qui vtrumq; hoc impendit, & nimis ſumptuoſum hoc conuiuium eſt, quòd multos inducit morbos, quibus curandis, magna vis pecuniæ in Medicos & pharmaca ſit tibi inſumenda. Hic ego interrupi ſermonem, patere inquam Cochleui quandoquidem in eum incidimus ſermonem, vt adferam ea quæ nuper in Como Puteano, memini me obſeruauiſſe, modo memoria

moria me adiutum velit, puto istum Puteani Comum, in his nostris horis apprimè versatum esse, ita adamussim Sarmaticum nostrum conuiuium expressit, vt non solum interfuisse, sed et fortè benè tractatus, alterius pedibus domum rediysse videri possit. Ecquid aliud circa hanc mensam, aptius dici poterit? & interrupto proposito nostro sermoni immisceri? nam illa quæ magis seria sunt, commodius postulant tempus. Adhæc Marcisouius, libenter equidem sumus auscultaturi, si tu quoq; patiare aliquem concentum musicum in medium prodire: rectè enim & hæc in conuiuijs adhiberi & colloquijs concitatoribus, ne in tumultum excrescant (quanquam in eo consessu metuendum est nihil) interponi solet, tamen cum naturali propensione ad hanc artem feror, & non minimo dispendio peculij mei, ad decantandas laudes diuinas, vndiq; concentores conquiro, quid mirum si cæptum vestrum sermonem; vt alacrior redeat, interturbare cupiam: quandoquidem et noster Cocbleuius non admodum à Musica abhorrere videtur, imò etiam non leuibus impensis, eandem fouet, & in posterum vt Ecclesia cantores habeat, prospicit. Quid verò Cicbocius num Musicam contempsisse videbitur? qui in sua Sendomiriensi Ecclesia nobilissimum organorum opus, structura eleganti conspicuum, omnibus spectandum exhibuit?

CAP. VII.

Musices laus, eius apud plurimos vsus, & neglectus, Organa, cantus ad numeros.

Ego.

EGO verò inquio, inter cæteras functiones sacerdotales, non postremum locum musicæ putauerim assignandum, in qua & Summi Pontifices, & multi principes & præcellentes viri excelluerunt. Gregorius Magnus, quamuis æger in lecto decumbens, puerorum cantus moderabatur: Leo 2. Pontifex vir doctissimus Musices peritus, psalmodiam composuit, hymnosq; ad meliorem concentum redegit, artem exercitatione confirmans. Vitalis 1. Pontifex, regulam Ecclesiasticam composuit, & cantum ordinauit, adhibitis ad consonantiam, vt quidam volunt organis. Robertus Carnotanus Episcopus, celebris in arte Musica fuit, doctrina et sanctitate vitæ insignis. Legimus apud Cranzium in Metropoli, Ludouicum pium Imperatorem Theodolphum Episcopum Aurelianensem perduellem suum captum, carceri inclusisse, in quo cum hymnum quem in carcere dictarat, in festo Palmarum, plena voce cantaret: Gloria & honor tibi sit RexChriste redēptor, &c. motus Imperator, iussit conscriptum carmen, voce Pontificis decantatum, signari, eiusq; dulcedine permollitus, veniam Theodulpho dedit. Sed et Imperatores & Reges nonnulli, vt non commemorem Dauidem sanctissimum Regem, Musices studiosi fuēre Carolus Magnus vt tradit Sigebertus, dissonantiam psallendi, per legatos ad Adrianum Pontificem missos, in Ecclesia correxit: similiter & Pipinus, Romanorum cantus, & ritus in Gallias attulit, nec alio consilio id fecisse scribuntur, quam vt Ecclesia verba scripturæ, congruentibus sonis exprimere possit, et concentuum suauitate, conspectiores in cætu Christianorum, redderentur. Maximilia-

Lib: 1. Cap: 27. & 40.

nus Primus Imperator ita Musicam colebat, vt in Curia eius Musicorum principes, velut in fertilissimo agro succreuerint. Emanuel 2. Lusitaniæ, et Ethodius Scotorum reges Musici insignes fuêre. Hoterus Hæbrodi, Sueonum regis filius, canticæ omnigenæ peritissimus, ad quoscunq; volebat motus, varijs modorum generibus, humanos impellebat animos: gaudio, mæstitia, miseratione, vel odio, mortales afficere nouerat. Theodosius Imperator ad mensas semper habebat, pueros musicos; qui cùm à Flauiano Episcopo Antiocheno instructi, carmina quædam luctuosa, et ad commiserationem mouendam idonea, quibus in supplicationibus Antiocheni vtebantur, cecinissent, ita fuit eis Imperator commotus, vt cùm phialam manibus teneret, lachrymis abstinere non potuerit, eaq; ratione vrbi, cui grauissimè ob negatum tributum, et per seditionem ob deiectam vxoris Placillæ statuam, succensebat, reconciliatus est. Testimonium autem Dominum Deum insigne dedisse Musicæ testatur Gregor: Turonen. Burdegalenses inquit quandocunq; in templo clerici conueniunt, ad implendum psallendi officium ex sepulchro, suam vocem cæteris canentibus, et psallentibus adiungit, ita vt clarè intelligi et discerni possit: ac suauitate concentus, mirum in modum animos audientium oblectat. Istud verò non possum præterire quod Zonaras tradit, de Theophilo Imperatore, qui multum impēdit operę, et cantilenas, hymnos quosdam et carmina componens, de quibus est Benedicite 4. toni, quod, Ex, Audi filia, octaui toni translatum à se atq; concinnatum, in Ecclesia clara voce, cani mandauit. Ac ferunt eum carminis amore

illectum

illectum in sollennibus, ad magnam ædem conuentibus, ne manus quidem ad cantus artificiosam agitationem, detrectâsse, clerumq; musicæ exercendæ causa, centum libris argenti donâsse. Quid verò dicturi sunt adhæc nostri Cathedralium, imò & Collegiatarum Ecclesiarum plerīq; Prælati, & Canonici, apud quos ita viluerunt musices studia, vt non secundam nedum quartam eleuare norint, de tonis ne interroges quidem, tantum abest vt quid inter Diapente & diatesseron intersit, inquiras. Dum verò canunt vicaria voce, suorum substitutorum vti eos necesse est, quos præcinentes, ne quidem assequuntur, distorto ore, & plerumq; voce rauca et obliqua, risum potius mouent, quàm vt quis ex eorum cantu, ad deuotionem excitatus esse credatur. Italis Prælatis, et Canonicis: scimus non esse indecorum, si in Psalmodijs, alternis versibus occinuerint, apud nos introductum vicariorum genus, qui stertentibus Canonicis, et somno depressis, non solum mediæ noctis, verùm et omnium horarum officia; insuper et Missarum sacrificia, per vices absoluunt: atq; vtinam saltem, penes Ecclesias commorentur. Sed plures in aula, in tribunalibus, in villis, in pagis per amicos discursantes, quàm in Ecclesia (apud quam opulentissima sacerdotia obtinent) vel sacra peragentes, vel diuinas decantantes laudes videas. Non ineptè noster Grochouius semel pro concione Sendomiriæ, vicarios comparauerat, minutioribus et subrusticanis equis, quibus solent vti agasones, ad subuehenda pabula, vt potè, fæni, et auenæ, pro Tracys, vel Turcicis, aut verò Hispanicis, Cabalis, qui ad præsepia alligati, vt tanto nitidius

tidius

tidius saginentur, vix loco mouentur, portitoribus inedia et macie penè enectis: eandem rationem esse, vicariorum & Canonicorum, illi enim laboribus consumuntur, cùm vix habeant quo sustententur: hi verò ea præmia, quæ laboribus debentur, abliguriunt & consumunt, canere verò & psallere in templo, omnino in decorum sibi existimant, quòd tamen non de omnibus posse intelligi, neq; enim extra Sendomiriam nostram per alia primaria templa diuagari animus est, affirmare ausim. Sed ad organa nostra redeamus,
Lib: 12. *Hector Boetius historiæ Scotorum asserere non dubitat, Iacobum 1. Scotorum regem, primum nouum cantandi ritum musicum (qua in arte plurimum ipse pollebat, virosq; domi in ea peritissimos habebat) cum organis introduxisse, Regis exemplo Scoti deinceps cum Anglis in ea arte certare potuere. Sed Marianus Scotus & Aimonius, & Auentinus lib:*
Lib: 4. *3. vnanimiter scribunt, anno 757. Constantinum Copronymum*
Cap: 64. *num Imperatorem Orientis, inter alia munera, quæ Pipino Francorum Regi per legatos miserat, addidisse instrumentum musicæ maximum, Germanis & Gallis incognitum, organum appellant, circulis ex albo plumbo compactum: follibus inflatur, & manuum pedumq; digitis pulsatur. Hinc sunt propagata in nostris quoq; Ecclesijs, frequentia organa, vt non mirum sit, me quoq; ferre non potuisse, vt Ecclesia mea eisdem careret, prout et Cochleuium, tametsi minori impendio fecisse video: non tamen solo aspectu organa mea æstimetis, adeò suauibus implent concentibus aures, vt si contigisset vos audire Adamum Mosieskouium, qui ab ære nomen sortitus est, ea arte & facilitate personantem, ingenium*

ingenium ipsis inerrare digitis censeretis, ita mulcet aures, mouet animos, discordes numeros in amicitiam cogit, vt animam ipsis inanimatis vocibus, inspiràsse videatur. Quòd si attendissetis canticum ex Bentianis carminibus de Beata Virgine depromptum alternis modulis personantem, diffluerelis profectò cantus ipsius suauitate. Tùm Marcisouius: quam vellem horum carminum & nunc qualemcunq; adumbratam harmoniam audire, præsertim cùm non desunt qui canant, nec ego, ad laudes B. Virginis decantandas remisso soleo esse animo. Accingamur igitur: Tu occentor præi; vos cæteri arte aggregetis numeros, sed non inconcinnos. Domine inclina cælos tuos & descende. Psa: 143

Ornare insigni Mariam, Deus ardet honore
  Tanto oneri Virgo, se negat esse parem
Hinc lis iucunda; an summis magis efferat ille
  Laudibus, an de se, sentiat illa minùs
Hic illam extollit, donisque ingentibus auget
  At se parte alia, deprimit illa magis.
Maiorem facit hic: at se gerit illa minorem
  Certat nec paribus, certat vterque modis
Hic trahit, hæc rursus, fundo se condit in imo
  Artibus & sese, despicit innumeris
In se tota abijt, penitusque abstrusa recessit
  Hanc Deus vt vincas vna relicta via est.
Si vis namque potes sublimem extollere, cælum
  Inclina, cælo labere victor eris.

CAPVT VIII.

E Conui-

Conuiuiorum Luxus, Asseßio, Incißio, Effectus, Potationes belluinæ.

AVribus iam satis datum est, quin potiùs ad interruptum è Como Puteano depromi cæptum sermonem redimus: præstabo igitur quòd me facturum promiseram, præsertim cùm apud te Cochleui longè sit dispar ratio, qua amicos conuiuio excipere soles, vt enim viuit sapiens, ita & amicum curat, nec minus exemplo, quàm sermone ad sobrietatem se componit. Placent enim sobrij calices, & einsmodi lances patinæque, in quibus præter cibum nil æstimes, imò ne cibum quidem, vbi tantundem apparatur, quantum soli hospiti sat fuerit: frugalitate namq; nemo nisi intemperans offenditur. Placet cibus, nihil habens accersiti preciosiue, nec patrimonio grauis, nec corpori, nec rediturus qua intrauerat. Quid enim opus est, vnum aliquod conuiuium tantis sumptibus onerare? citra luxum hilaritatem inueniam, et delicias honestæ voluptatis; odi illud conuiuium, in quo mille iniurijs temperantia expugnatur, et eo inprimis officiorum genere obligantur, quo læduntur conuiuæ; ó fatuam necessitatem, ad fercula imò ad pocula damnantur, qui accumbunt, non gustanda solùm, sed spectanda; nam minimum est quòd edimus, quasi totam crapulam gula non capiat, etiam oculis prandemus, in ipsis oculis gula est, et tanquam auguria placeant, cùm pennis alijsq; altilia inferuntur, vt viuere dicas, et vt non edantur, sed vt edant, in mensam inuolasse. Pauus ipse omnis conuiuij verna est, et vix iam floridam illam pictamq; tot oculis caudam pandens,

pandens, oculos mulcet. Quid, quòd veluti pugna ipsa cæna est, milites et castra cibi sunt, arces et vrbes expugnamus ac diruimus, toto conuiuio: bellaria sunt, tanquam à bello dicta. In tanto et tam vario luxus spectaculo, colores hæc oculorum insatiabilis gula, etiam poscit, sordentq; cibi, nisi auro, argento, aut minio maculentur. Cùm vero ad ipsam ventris gulam ventum fuerit, tum demum varietate ciborum ita distenditur venter, vt periculum sit ne rumpatur; confundit fercula, cupediarum indagine defessa luxuria, et cum desint, quæ addantur, miscere lautitias cupit, ciborumq; et condimentorum, velut adulterijs, noua monstra mensæ dare, etiam quæ piget edere singula, coguntur in vnum sapores. E culina quidquid promitur, aut origine, aut fuco, peregrinum est, aut vtroq;, vt si quærere pudor, quod comedas, quomodo comedas cogaris; omnes epulæ luxu constant, et quasi delicijs parum molles, pertinaci sessione effæminantur: in noctem prandium ducitur, in diem cæna, quietem cibi non inueniunt, vt concoquantur. Pulchrè Seneca in Consolatione ad Heluiam. Quid opus est inquit tot artibus ventri seruientibus: quid vastatione syluarum, quid profundi perscrutatione, passim iacent alimenta, quæ rerum natura omnibus locis disposuit. Sed hæc velut cæci transeunt, et omnes regiones peragantur, maria traijciunt, & cum famem exiguo possint sedare, magno irritant. Recitabatur ad mensam Matthiæ Pannonum regis Historia de Alphonso rege Neapolitano, auo reginæ Beatricis eiusmodi, viuebat Alphonsus Tyburi, Oeconomus autem regius subinde comeabat in forum Romanum: vrbs inde mili-

aribus sedecem Italicis non magnis distat. Quodam autem die orta est nobilis & ambitiosa altercatio, inter Oeconomum regis, & Pontificis, qui simul ad forum conuenerunt: exposita erat venum in macello vna muræna, eaq; pro natura piscis, qui quatuor libras nunquam excedit, satis grandis, expetebat eam vterq; Oeconomus, piscator ansam hanc arripiens: auferat inquit murænam; qui plurimùm nummorum offert. Pontificius obtulit aureos tres, Regius sex: rursus Pontificius decem, Regius viginti, crescente altercatione, inquit Piscator: tollat piscem, qui numerauit triginta aureos. Obmutuit Pontificius; Regius verò data pecunia murænam abstulit. Laudauit factum Oeconomi sui Alphonsus, illiq; munera dedit. Matthias finita narratione, subiecit: Noluissem ego Oeconomum, si meus fuisset, magnificentiam, in tali re ostendere: quòd si omnino fecisset, laudassem, si murænam emptam donasset Pontifici, eaq; re docuisset Regem suum, nec gulæ, nec auaritiæ esse deditum. Videtisne quo luxus processit; vt quasi in Scæna de eo magni principes, quasi id ad magnificentiam pertineat, certare non erubescant? Sed ad nostratia conuiuia redeamus. Prima est & molestissima de sessione hercíscunda velitatio: locum quisq; fugit vt occupet, modestè, grauiter, officiosè adsidet, vt quam dissimillimus surgat. Etiam scissoris munus controuersiam facit: nec minimo sanè discrimine refert, quo gestu lepores, aut quo gallina secetur; arte igitur opus est, & erudita quadam manu, quam vt promptam alij cum ostentatione habent, sic morosam alij ne peccent, vt etiam non gustare malint, quàm secare: si

verò

verò intacti cibi aliqui remanent, & vulnus effugiunt, mox famulorum manibus discerpuntur & lacerantur. Clemens Alexandrinus pulchrè istos commessatores expressisse videtur, dum eos miseros qui è conuiuijs temperantiam exigunt, appellat, quorum quidem vita nihil aliud est, quàm comessatio, crapulæ, balnea, matulæ, lotium, potus: videre autem licet aliquos eorum semimortuos, cespitantes, in collis coronas habentes, non secus atq; amphoras, merum inter se fundentes, sub nomine beneuolentiæ. Alios autem sordidatos & vultu pallentes, & liuidos, & hesternæ temulentiæ, aliam infundentes temulentiam. Tum Cochleuius: quis existimâsset tam rigidum censorem epularum factum Cichocium? tollite discos & lances pueri, & quod reliquum epularum est, ne & in nos incurrat, hæc quam attulit, Puteana inuectio, submouete. Ego verò subridens, nedum hæc fabula acta est Cochleui, alioquin iube et pocula tolli; namq; epulæ superfluæ, etsi nos belluis similes reddant, verùm pocula frequentia hominem redigunt ad insaniam. In comessationibus enim prima illa ebrietas nisi adsit, nec lautum, nec lætum vllum triclinium censetur, scilicet, vt insanire sine verecundia liceat: ac profectò titubantem gradum à mensa nisi referas, parùm lautè aut amicè videaris acceptus, tam qui propinat exemplo suo cogit, nec poculo alienæ fauere videtur valetudini posse, nisi suam mergat, tot scyphi, tot pateræ, calices, velut radiantes quædam stellæ, tota mensâ sparsæ, nec in vnam aliquam formam, erronei, deniq; veteri illi conuiuali ritu in orbem aguntur, quibus nec sapiens quidem reluctetur. Ex more atq; adeò

lege sic viuitur, & poculis velut gradibus ad stultissimum furorem itur: alius salutem propinat, alius vitam, alius fortunam quisq; Cyatizat, nisi hauris & numina & amicos lædis. Tum demum plerunq; vasa viuere & saltare ebria videntur, cùm volant lances, & vitrum capiti illisum, in omnes disilit partes: tum tanquam pro victoria pugnaturi, strenuè ad æquales accinguntur haustus; ille enim titulis, Encomio, corona dignus, qui vino victos ac prostratos compotores cernit, mox & ipse casurus, nam cum superstes toti conuiuio fueris, vinceris à dolio, vt Senecæ verbis vtar. Nec putetis huius insaniæ breue spacium esse, diem quandoque spernunt, & tanquam suauius lucis vsura in tenebris frui existimantes noctes conuiuiis occupant, præ sole faces æstimant, nocte fruuntur vt diem perdant. Et cum somni tempora vigiliis destinantur, diurnæ omnes horæ, somno pereunt, & vt Cato dicebat, nec orientem vnquam solem vident, nec occidentem. Certè illi, qui sub noctem vino se ingurgitant, iusta sibi iam facere videntur, an adumbrata hæc funeris quædam imago? Hominem ceu mersum cadauer videre est, lectulum tanquam sepulchrum, iam tedæ accensæ, & acclamantium voces, quod nisi hominem vixisse indicant? ita vixisse vt resurgat, pari quotidie fato periturus. Sed quo fato? cùm transit ab homine in brutum, nam rationem ipsa vita meliorem suffocat sua manu, ac vigilat: tanto etiam in seipsum crudelior, quia sæpius moritur: quia quid semel natura facit, quotidie imo continuo ipse. Nam vnde pallor membrorum vino madentium; tremor artuum, & miserabilior ex crudelitatibus, quam ex fame macies?

vnde

vnde retorti digiti, articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu iacentium torpor? Quid capitis vertigines dicam? innumerabilia præterea febrium genera; quæ omnia nihil aliud ſunt niſi ſupplicia ebrietatis. Deus bone, quàm acriter læſa iniuriam natura plectit: trahuntur dolores vt creſcant, vt ad mortem non niſi per longos cruciatus eatur. Dum parumper ſubſiſto; ſubintulit Marciſſouius: quis non videt Cichoci his dictis veram & expreſſam effigiem ebrioſorum hominum contineri, ita vt nihil iam addi poſſe videatur? At ſi aliquid adhuc habes quod addas, ex tuo deprome Como.

CAPVT IX.

In Commeſsationibus frequentes rixæ, conuitia, garrulitates, ludicia peruerſa, & de religione diſputationes.

M*Vlta quidem conſulto prætermittuntur inquio. Sed quomodo rixas, iurgia, garulæ linguæ volubilitates, contumelias, conuicia ne dicam cædes prætereunda cenſes? facili negotio ibi conuicium inuenitur, temulentum virus, ridens calumnia effundere ſolita. Quot linguæ tot plagæ, vibices, voces, vix etiam Cynico animo concoquendæ; peccare ille videtur, qui non peccet. At verò ſtigmate dignus cenſetur qui opportuno fræno linguam coercet: garrulitas eò in verecundiæ proceſſit, vt etiam pro virtute habeatur: linguæ morbus vi accenditur, tum impudentia præcipiti verba ore deuoluuntur. Hoc enim præcipuum vitium vini eſt, quæ dicas effutire, quæ in ore nata: quod enim in corde*

de sobrij; hoc ipsum in lingua ebrij. Certè verborum fertilis lingua, quæ madet & simul prodiga verborum, sed futilium, anilium. Quid mirum? vt à nimbo præcipites & lutulenti riui, sordes vnà vehunt; ita sermo à vino: qualis vniuscuiusq; animus, talis oratio temulentiæ illo igni euaporat: alius merces, lites, diuitias crepat: alius voluptates, & libidines, alius fastum, & inflati pectoris bullas. Quæ quisq; fecit, dixit, cogitauit, in comessatione tanquam tribunali ventilantur, et temulenti censores cùm ossibus abstinent, rodunt alienam famam. Qui suis ipsi in rationibus hallucinantur, alienas dispungunt: quanti viuat quisq;, quanti sapiat, curiosis calculis supputatur, sunt profectò, qui cùm præter aurum nihil æstiment, præter se neminem honestum, omnem doctrinam tanquam sordes vmbratiles fastidiunt, tam eruditi scilicet vt eruditionem possint contemnere: calumniæ autem tam irriguæ sunt vt ne perpluant, aures obtegere necesse habeas: hic foro cessit, ille patrimonium prodegit, iste pudorem prostituit, aliena vitia quisq; fingit ac denudat, sed nouo vitio, & simul conuitio. Atq; vtinam saltem distinctæ voces sint, ac indicantium vices: nunc clamant, miscent, turbant, cum litigio fere aut rixa, & sæpe in conuiuijs non conuiuium, sed prælium fit, nec vinum amplius sed sanguis funditur, alius lance manus armat, alius scypho, putares iam quoq; vulnera propinari. Etiam mulier blaterat, aut puer, pluriumq; sermones, velut decussatim præliantur: dubites profectò mares ebrij an fœminæ sobriæ magis delirent, aliorum ingenia tetrica subtilitate torquentur, vt suum ostentetur: tunc spinosi Philosophi,

ſophi, diſertisſimi Theologi, emergunt, & inter pocula à benè potis, ſcilicet & corona cinctis de Deo, de religione quæritur. Hæc Comus omnia, in noſtrum inuexit orbem, & plura alia, quæ longum foret recenſere. Certè Lutherus nullibi diſertior; quàm ad menſam & pocula, inde etiam eius ſermones conuiuales pro ſacroſanctis habentur, & circumferuntur, in quibus præter crapuloſos ructus, eosq; peſſimè olentes, nihil lectu dignum inuenias, qua inſania ita ſuos imbuit ſectatores, vt nullibi vehementiùs de præcipuis noſtræ religionis controuerſiis diſputetur, imò altercetur, plerumq; etiam ad pugnas, & cædes, pertinax illud vincendi ſtudium decurrit. Vt certè quidam affirmare non dubitauit, hæreſes, & impia dogmata, non tam ex ſuggeſtibus; quàm è temulentorum menſis, in eam varietatem blaſphemiarum excreuiſſe. Fœminas ipſas nullibi procaciores reperias, cùm quæſtiones, de Theologia, de ſacris de ritibus, ad menſem ventilandas afferunt, & petulantiore lingua, in vitam cleri et miniſtrorum Eccleſiæ, acerbiùs inuehuntur, ſuas turpitudines interea occultantes, quarum ſpurcitiem ne maritus quidem ferre quiuerit. Sed iubeamus tandem hunc Comum incomptum ſe hinc ſubducere, interea verò aſſurgamus, & in hortum proximum, prius tamen ſupremo numini gratijs peractis, ſecedamus.

CAPVT X.

A cibo ſumpto, honeſta recreatio, circa vincta, Diſcurſus de apum cura, & alueorum diſpoſitione.

POsteaquam assurrectum est, & deambulationibus aliquatenus indultum, pertæsus ego longioris moræ, cur non Cochleui inter vineta tua, vel ad aluearia apum: considemus? dormiturine? absit, abhorreo, ab hoc desidiæ sepulchro, quieti enim, non torpori hìc locus inseruire debet, quem tu industria tua, et rei familiaris peritia, ita excoluisti, vt in hoc nostro Sendomiriensi procinctu, nullibi inuenias parem: quanquam hæc quæ in hortis nascuntur, breuia quædam & fugacia censentur, delectant nihilominus, in quibus & actio ipsa sine labore, & labor sine fatigatione, laxat & recreat animum: modò vt rectæ rationi ac Deo subijciatur. Nec tam admiror vites istas tuas, & racemos, & botros, palmites suos vsq; ad terram deprimentes, Hungaris hanc solam relinquamus curam. Aluearia tamen apum in ordinem disposita, ita recreant me, vt tanquam in speculo alicuius Reipub. optimis legibus institutæ, formam adumbratam, mihi videre videar: & ita laboribus earum recreor, vt nisi aculei, non tam nobis quàm ipsis apibus fatales, terruissent me, considendi & colloquendi locus, non alibi aptior reperiretur. Submoueamus tamen hinc sessionem nostram: hospes enim punctiones has apum videtur contemnere, quas externis altiùs cum irritantur infigere consueuerunt. Sed antequam aggrediamur de propositis Anatomiæ discursibus verba facere, addam vnicum quòd mihi ex hac aluearium dispositione venit in mentem: hi tam densi per interualla locati stipites, varios in Ecclesia ordines videntur mihi repræsentare, et tantum abest vt varietas ista aliquem offendere existimetur, vt potius delectet, & mirifice

ficè animos afficiat. Nam præter eximia commoda, quæ inde scaturiunt, si solus cultus diuini nominis spectetur, nonne istæ varietates ad finem vltimum consequendum, tanquam media proportionata, instituta esse censebuntur? Nam propter diuersos in Ecclesia status, inuicem sibi cohærentes, verè ac propriè istos alueolos, varios religiosorum status esse dixerim, qui per familias suas in tali vnitate et comunitate, cum alijs eodem instituto viuunt, vt cum illis omnibus vnum cor habeant, ac fere vnum vt cum D. Augustino loquar, hominem efficiant. Et licet distincta officia exerceant, illa tamen vnitatem non discindunt, vnus est qui præest, qui tanquam rex apum, aculeo carere debet, vnaquæq; tamen earum à sua functione non discedit, alias videas excubitrices, quasdam excitatrices, exploratrices itidē, reliquæ operi insistunt & aliæ fucos arcent, vnam tamen domum & familiam constituunt: quemadmodum & in statu religioso videmus. Adhæc Marcisouius, peritior harum rerum noster est Cochleuius, si de apibus differendum est, vides quantam sollicitudinem earum gerit, & quanta industria mella legat: & tametsi singuli alueoli suos habeant reges, non tamen dixeris, omnibus his stipitibus vnum præesse, quare si oeconomiam apum, ad ordinem Ecclesiasticum retuleris, vide ne non satis æqua comparatione vsus esse videare.

CAPVT XI.

Religionum diuersarum ratio ab alueariis apum deducta.

Satis æqua inquio, hic enim ipse Cochleuius eiusmodi regis quem omnibus aluearijs præesse debere, si recta applicatione vtendum sit, affirmas, vices et officia supplet: satis enim industriæ a natura apibus inditum est, si quilibet alueolus vnum habeat regem, sed vt vnus tot alueolos regat, vermiculis non ratione, sed tantum naturali instinctu vtentibus, non est concessum; nec inde sequitur Cochleuium debere vocari, caput & regem apum, vt rectè dicimus, eundem suarum ouium, quæ in vnam speciem cum ipso concurrunt, caput et regem esse, sed quod apibus deest, illum non tanquam regem, sed tanquam dominum et patrem familias; si integras conseruare cupiat, supplere debere, hoc est quod dicimus, ipsum video domunculas apum excauatas, suo ordine disponere; Reges ipsos in arctiorem custodiam includere: examina nunc fumo, nunc strepitu in officio continere, tum aluearia perpurgare, ac putridis veteribus deiectis noua substituere, fucos arcere, vespas pedibus obterere, vt mirum sit, quo instinctu persentiscant, hunc regem et dominum suum esse, nec aculeos ob reuerentiam et pietatem, infigere ipsi audere. At in Ecclesiastico statu, qui ex hominibus constat, necesse est vt ille qui supremi capitis vice fungitur, homo sit, ea potentia et prudentia præditus; qui sciat familiæ domini sui, non solùm præesse, sed de commodis eius prospicere: qui non ignoret, quæ familia, quo tempore, quo in loco, collocanda sit. Nam cùm omnis ordo à sua prima institutione à feruore, et deuotione sensim et paulatim deficiat: hic rex; hic pater familias, quem dominus constituit gubernatorem regni sui, subinde nouos ordines

a Deo

à Deo excitatos conseruat, vel veteres iam planè collapsos restaurat, erigit, confirmat. Dicit sponsa, vetera & noua poma se sponso seruâsse, si illius sunt & noua, nonnè habebit facultatem ea depromendi, cùm voluerit, vel cùm commodum ipsi videbitur? An non tam veteribus quàm etiam nouis canticis delectari consueuit sponsus? non imeritò tam sæpe inuitat psaltes ad noua cantica ipsi occinenda, Ver tam pulchrum, tam nitidum, ex nouitate suam concinnitatem habet, & hominum aspectus ad hilaritatem allicit. Tamnè inops est legum et sanctionum sponsus, et rex noster, vt nisi veteres promulget, nihil iam ipsi ad noua instituta condenda, potestatis relictum esse videatur? Ex vna Repub. diuersas Colonias, nonnè educere ipsi licebit? et multifarias sacrorum ordinum propagines dilatare? vt animos hominum, noua beneuolentia ad sui amorem pertrahat, vel recentioribus antidotis inuentis, auersos à se, curet, et ad sanitatem reuocet. Habet ille reconditos thesauros, atq; veteribus expensis, nouos proferre ipsi nunquam est difficile, cùm de ingratissimo hominum genere, nouas semper benè merendi conquirat occasiones. Igitur nemo iustam habet causam conquerendi, cur eam ordinum varietatem, Deus præpotens in suam introduxerit Ecclesiam, quam voluit varietate circumuestitam esse: atq; proportionata quadam inæqualitate, et dispari pulchritudine, amabilem et gratiosam reddere. Offenderis variorum institutorum diuersitate? atqui istæ agendi differentiæ, et si sint dissimiles, sed tamen sanctæ, atq; pro ratione temporum, cuilibet statui et ordini aptissimæ, et accomodatissimæ, ita quælibet familia

 reli-

religiosa, suas proprias leges, et procedendi modos habet, omnes tamen ad eundem scopum, et finem tendunt, sicut in hoc orbe, varietas rerum multiplex, vnum constituit vniuersum, veluti et hi frequentiores alueoli, vnum apiarium faciunt, & mella diffluentia, in vnum vas, ab vno patre familias, conduntur. Cautum tamen apibus censuerim, ne temerè cuilibet dum exardescunt insigant suos aculeos, alioquin ipsæ interituræ, pari ratione, qui ordines quarumuis religionum approbatarum ab Ecclesia persequuntur, & extinctos cupiunt, metuant, ne perpetuum sibi exilium comparent, & æterna more intereant. Et certè hanc occupationem, sacerdotum, siue liberorum, siue inclusorum, conuenientissimam crediderim esse, qui castitatem professi, habent quod et in apibus imitentur; sunt enim perpetuo virgines; ita enim S. Cyprianus: Quid,inquit, mirum videtur, si virgo conceperit, apes certè nescire coniugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam est. *Idem habet Ambrosius: idem B. Augustinus: sed omnium clarissime B. Gregorius, super septem Psalmos pœnitentiales, ad illa verba*: Scribantur hæc in generatione altera. *voluit inquit immaculatus dominus, vt homo sine macula nasceretur peccati, & absq; vitio carnalis delectationis, humanæ sobolis propageretur successio, & ideo talem fecit Adam, vt absq; peccato filios ederet. Si in conditoris obedientia perstitisset, posset namq; fieri, vt sicut absq; delectatione fructus suos terra germinet ita filium mater pareret, quod homini inesse incredibile videatur, cum apibus* Geor. *etiam hoc ipsum conferat. Sed & Virgilius carmine suo*

idem

idem cecinit:

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt
Verum ipsę è folijs natos, & suauibus herbis
Ore legunt

Si quæras an etiam artes ingenuas nouerint, D. Basilius ita respondit: Geometriæ non est rudis sapientissima apis, omnes enim fauorum cellæ, sexangulæ sunt, & æqualia latera habent, quod etiam eleganter explicat. Ælianus Apes, inquit, Geometriam pulchritudinem fingendi, sine circino figuras sexangulas, & sex laterum æqualium, conficiunt. Cum autem ex sobole alueus redundat colonias in alia aluearia deducunt quod idem fecere Sancti, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij multi tot coloniarum, quarum vix numerus iniri potest, propagatores. Illud verò non minus animaduertendum, quod ceram cum melle apes conficiant, qua & templa & altaria diuûm illustrant, et quasi quoddam diuinum adesse præsentiunt, humanis oculis; maiestatem quandam coruscare faciunt. Neq; sine sacrilegio diuina cum exercentur subtrahi cera potest. Refert Surius, Rusticum quendam ex altari ceram furto sustulisse, eamq; in lapidis duritiem conuersam. Propterea in cera aliquot diuinum latens est animaduertendum, quod in Ecclesiasticis ritibus vbiq; ferme adhibeatur: Nam et Paschalis cereus fit, et ad omnes aduersarias potestates propellendas consecratio adhibetur ceræ, quæ agnus Dei dicitur, qua et maris æstus,

Li. 5. ca. 13.

Tom. 5. Octob.

et

et pluuiarum inundationes, et flammarum incendia cobibita memorantur. Sed & à politia monastica apes non multum discrepare videntur Diuo BASILIO *teste.*

In Exa. hom: 8. *Sunt quædam, inquit, ex brutis etiam et politiæ & Reipub. studiosa: si quidem politiæ proprium est, vt ad vnum communem finem, singulorum actiones sint destinatæ velut in apibus id videre est. Nam illarum communis est habitatio opificium omnium vnum, et quod maximum est sub vno Rege et quædam ordinis duce, operas attingunt. Tace, tace, Cicboci, ait Cochleuius, quasi non videamus quò tendat tuus iste conceptus, vel ista ab apibus deprompta comparatio. Ordinis religiosi Patrum Soc.* IESV, *rem agere velle videris, sed eo te labore absoluimus, qui idem tecum et sensimus et sumus semper sensuri. Quin age potiùs ad id quod proposueramus reuertamur. Igitur primas mihi quærendi assumo partes, tu verò, cum hoc adiutore tuo Marcisouio, fac vt strenuè respondeas: quanquam et Marcisouio ipsi, quæ voluerit, per me proponere licebit.*

CAPVT XII.

Modesténe tractandi sint hæretici, an vero acriùs & vehementiùs obiurgandi.

AC primùm ex te quæro Cicboci; num Anatomiam hanc tuam, intra fines modestiæ et affabilitatis Christianæ continueris? nuper enim exhibuisti litteras à Generoso viro, Ioanne Lipnicio ad te datas, qui cum probauisset studium

dium hoc tuum in exornanda Sparta, quam tuendam susce-pisti: tametsi quò ad religionem à nobis longè dissitus est: probare tamen se non potuisse ait illud genus dicendi perferuidum, quo vehementiùs incurrit in suæ sectæ ministros Caluinianos, quos ille suos pastores appellat. Et certè istius viri exploratum habeo animum, ad omnem modestiam, & humanitatem compositum; ita vt aliquam spem conceperim, illum reiectis quandoq; tam absurdis, de Deo, de cælitibus, de vnica in terris Ecclesia, de Sacramentorumue & efficacia ac numero, discrepantibus & inuicem se collidentibus tot opinionibus, ad veram agnitionem sponsæ Christi, sub vno, vnicoq; in terris Ouilis Christi Pastore, quanquam nonnullis obstinatior videatur, & placitis suorum ministrorum im̃ersus, perductum iri: tum etiam plerię; alij poterant suauioribus verbis, in rectam pertrahi fidei professionem, nisi tam crebræ in sectariorum dogmata, mores, placita, obstitissent inuectiones, & illorum infirmum exulcerâssent animum. Audiui & ego ex Illustri ac Magnifico Domino Lescinio vicino nostro; nunc Castellano Vislicienſi, viro ex moribus mansuetissimis; tum ex non vulgari eruditione, præsertim in rebus polyticis, nisi eam hæresis infecisset, com̃endatissimo, tuum igneum zelum, in propugnanda Societate, *& Caluinianis dogmatibus conspuendis, vehementer sibi displicuisse, neq; intra fines sacerdotalis modestiæ, te continuisse: & ne putes ab istis tantum, qui à nostra abhorrent religione, id tibi obiectum, non defuerunt quidam ex Catholicis & primarijs ex Senatu viris, inter quos acerrimi iudicij Illustris Palatinus, Posnanien-*

 sis

ſis de Oſtrorog cenſetur, qui cùm non improbauiſſet Anatomiam meam; id ſolùm in ea deſiderari, quòd non mitiori animo, ſuſceptum negotium tractaueris, annotauit. Nam cùm de miniſtrorum Caluinianorum fœcunditate Bibliothecis, ſeu Bibiothecis, veſtitu ſupellectili, eruditionis profectu, vel de lenocinijs verborum, & concionibus, vel de ſtatu, & conditione eorundem, quæ cum cerdonibus & ſartoribus, aut vt tu vocas cum officinis Boiarum, *ſolet eſſe communis, diſputas, mirum videri non debet, ſi plurimi minus æquo erga te ſint animo, & qui tuis ſcriptis in viam rectam reuocari, vel ſaltem emolliri debebant, tanto magis irritantur et exacerbantur: Mihi quoq; cum hæreticis frequens commercium eſt, tamen cùm conſidero quid me deceat, & aliquid iurgij, vt fit, intercedere video, ita meum ad modeſtiam ſoleo reuocare ſermonem, vt mihi poſt hac cum ipſis congrediendi facultas pateat, hoc eſt, vt potiùs me ab illis obſeruari, quàm vitari cupiam. Fit enim plerumq; ſi duriùs eos tractari, et acrioribus ſtimulis pungi contingat, vix demum adducantur, vt inire certamen velint: ita multa quæ commodè et cum fructu dici poterant, elabuntur. Ad hæc ego: Prudenter equidem diſſerere Cochleui videris, ſed vereor vt ſatis hæreticorum ingenium et vafriciem perſpectam habeas: inuenias quidem nonnullos mitiori præditos ingenio, quorum præcordia non vſq; adeò virus hæreticorum occupauit, qui vt rem diligentius expendant (cum ſimplicitate quadam ſubrudiori, prolapſi in erroneas quaſdam opiniones eſſe videantur) libenter quæſtiunculas de religione mouent, conſcientia illorum vt quieſcant non permittente,*

mittente,

mittente, certum est cùm eiusmodi cautè et leniter progrediendum esse et cum infirmis infirmandum quandoquè. At cùm illis qui tota vita hæresibus nefarijs imbuti, vel potiùs infecti, quiq; primi & antesignani appetunt esse, et mordicus sectas promouent ac tuentur, quid facias? quorum in ore assidui clamores, conuitia, contumeliæ, probra, hæcnè nobis exprobrari æquo animo patiemur? et lupos, qui nos allatrant, non lupos, sed oues, cum quibus affabiliter procedendum est, appellabimus? Ego tam sum simplici ingenio, vt ligonem, nonnisi ligonem vocare sciam: neq; hoc insuetum & inusitatum est, etiam mansuetissimis viris; imò & ipsi Christo Domino, non solùm verbis asperioribus obiurgare delinquentes, verùm & funium vibices tergo infligere: num et Diuus Baptista et Paulus dum interdum verbis asperioribus vterentur, sua persona aliquid indignum fecisse existimabuntur? S. Augustinus cùm aduersus Proculianum Donatistam, vehementiùs esset inuectus, & nullo bonore dignum propter ipsum errorem schismatis, censeret, non contumaciæ, sed confidentiæ ea deputanda esse affirmauit. Non delectamur equidem Cochleui, vt quenquam asperiùs increpandum & obiurgandum esse putemus: sed ne officio nostro deesse videamur, cùm interdum canis latrantis personam excommunicatione prophetica assumimus, et latratum talem exerceamus, qualem fidei, et pietatis defensio, à nobis exposcere videtur. Sed longè dispar est nostrarum obiurgationum ab hæreticorum conuitijs et inuectionibus ratio: inspice si libet eorum libros, et euolue tam spurcis, obscænis, mendacibus, scurrilibus, Epiphonematis, illitas chartas, vt

Satyricum illud probrosum scribendi genus, nullibi frequentiùs reperias, quàm apud eos, qui se à nobis compositissimo animo tractari volunt, vel si non tractes illico exasperantur et offenduntur. Vbinam apud scriptores Catholicos reperias, tanta portenta verborum, vt apud istos nuper patefacti Væuangelij buccinatores, quibus vel in Catholicos, vel etiam in quosuis à Catholica religione abhorrentes, si à placitis eorum vel latum vnguem discrepauerint, insurgunt? et verbis paulò durioribus si excipiantur, tot conuitia regerunt, vt nonnisi ab ipso dæmone afflati esse videantur, præsertim cum summum Pontificem innumerabilibus conuitijs omnes quotquot sunt obruere nitantur, Andreas Volanus vel potiùs Luoucouius caupo, vocat eum prostibulonum magistrum, purpuratam meretricem Lupam Romanam, Cloacam Romanam, immanem Polyphemum, Hydram, Nebulonem, impotentem, Tyrannum; nec cælitibus pepercit: Beatum enim Franciscum Idolum stigmaticum, impudentissimo ore vocare ausus est, & tamen mirum est, inueniri Catholicos, qui à nobis duriùs hæreticos tractari molestè ferunt; quin potius, si erga patrem et pastorem suum aliqua mouerentur, vt par est reuerentia, istos forispurcissimos rabulas, non solùm verbis asperioribus redarguendos, sed Vulcano deuouendos adiudicarent. non tam odio personarum, quàm amore scilicet eorum ducti, quos ipsi tam atrocibus contumelijs discerpere conantur.

CAPVT XIII.

Quibus

Quibus excusationibus vtantur Hæretici, dum Catholicos proscindunt.

ET quonam pacto Pontifici et Catholicis parcerent, cùm ipsi inter se plusquam Vatiniano odio digladiantur? Caluinus ipse Dux et ἀρχέκακος factionis Sacramentariæ, non alijs Elogijs eos, qui ex ipsius schola prodierunt, et ab ipsius placitis in hæreses magis impias, prolapsi sunt, exornat, cùm eos prodigiosos, nebulones, impuros, canes, rabulas, bestias, putrida cadauera, moriones, simias, furiosos, phanaticos, Cynicæ impudentiæ deditos, scurras ex professo religioni oblatrantes, ad extremum Sathanas vocat. Quid verò putatis, Catholicis parceretné? quos rabularum, sophistarum, bestiarum, putidorum cadauerum, pecudum, porcorum, asinorum, conuitijs & maledictis proscindit? Sed inspiciamus Bezam Caluini prolem, ex ipsius cerebro enatam, quàm disertè pro conuiciatore Caluino pugnat, & eum hoc crimine absoluere nititur. Nam vt eum rectè canina facundia vsum esse demonstraret, in Apologia sua ita defendit, vt non minus canis canem lambere, quam mulus mulum scalpere videatur. Dicit Caluinum zelo asserendæ veritatis, vbiq; sic feruentem fuisse, vt fugientem etiam hostem persequeretur, & non aliunde quam ex heroico spiritu id perfectum esse colligit. Et quis neget heroico spiritu illum imbutum fuisse: qui postquam stigmatica inustione, decernente magistratu Nouiodunensi fuisset in carcerem coniectus, ita strenuè inde te lapsus est; vt breui spatio Argentoratum prius, post inde pulsus Geneuam, ad

nidum consistorialem conuolauerit? non repeto ea, quæ de ipsius vita Bolsecus, qui cum eo diutius conuersabatur reliquerit scripta: satis fuerit Bezam, exemplo quorundam insignium, & piorum in veteri lege comendatissimorum virorum, ne dicam prophetarum, eius procacissimam & petulentissimam linguam, tueri voluisse. Adfert in medium acerrimum Iosue populi Ismelitici ducem, Gedeonem, Samsonem, Asam, Iosiam; adfert prophetas quosdam, quibus acerbiùs nihil fingi potest, adfert Isaiam in populum Ismeliticum, Sodomæ, & Gomorræ similem vociferantem, & tot Sarcasmis illudentem Nabuchodonozori, & Eliam in re tam seria, Baalitas irridentem, & infinitas pene increpationum similitudines apud prophetas: à fœdissimis etiam rebus desumptas; non præterit qualis fuerit in Eudoxiam Chrisostomus aduersus Iulianum, Nazianzenus, Epiphanius, aduersus hæreticos hinc concludit, debere condonari Caluino, quòd etiam modum non tenuisse videri possit. At illos sanctissimos viros quotquot fuère, vel quos ipse adducit, modum non tenuisse; vel extra limites verecundiæ processisse, quis vnquam affirmare ausus fuit? Scimus Spiritu sancto afflatos fuisse prophetas, tum & illos heroas & Ecclesiæ columnas, quas Doctorum nomine appellamus, ex eodem Spiritu hausisse, quidquid ad stabiliendam vnius corporis compagem Ecclesiæ Christi, pertinere videbatur. Igitur Spiritum sanctum modum aliquando excessisse: vt in eius membris eundem modum fuisse desideratum, quis dixerit? nemo certè nisi Caluiniana et Bezana impietate imbutus, quibus non est nouum etiam ipsi Deo plurima as-

suere

fuere absurda; eumq; scelerum & impietatum quarumuis non solùm remotam; verùm & propinquam, & effectricem causam esse, & quòd absurdius est, eundem ad flagitia perpetranda, homines cogere & impellere. Quid non ausit cor inflatum & datum in reprobum sensum, hominibus, quantumuis probis, & pijs affingere? cùm nec ipsi Deo purissimo actui, in quem nullus excessus cadere potest, parcere vereatur. De patribus qui extra scripturam adducuntur, non irem inficias, nonnullos inquibusdam fuisse hallucinatos; sed vel retractationibus eorundem, vel iudicio Ecclesiæ aut sublata, aut explicata esse scimus: at modum in redarguendis hæreticis excessisse, & contra charitatem aliquid commisisse, quis credat; alioquin fateare, etiam illis ad cælum aditum non potuisse, cùm ille qui non habuerat vestem nuptialem, id est charitatis indumentum, in tenebras exteriores proijci iubetur. At hæreticus, sine delectu, proscindit quosuis, tam promptus aliorum lacerare famam & existimationem, vt nihil interesse putet, sobrionè an ebrio verba effluant, modò vt animo suo, quem odio et obstinata voluntatis exacerbatione, infectum gerit, obsequatur: nihil agit emendandi vel corrigendi studio, illum ipsum, quem insectatur, perditum cupit, nihilq; pensi habet, quam sententiam quis tueatur, dum modò discrepantem à sua, confodiat et enecet.

CAPVT XIIII.

Quid interlit inter Conuitium & Contumeliam,

am, & quibus probris se mutuò Hæretici conficiant.

NON permisit me vlterius progredi Marcisouius, necesse est inquit, vt et ego aliquid addam; nondum enim exactè et perspicuè expressisse videris Cicboci, quid intersit inter hæreticorum et Catholicorum obiurgationes, et acerbiores in seipsos inuectiones. Ego verò memini Diuum Basilium, dum illa verba (opprobrium non accepit aduersus proximum suum) explicat, satis luculenter declarauisse, differentiam istarum contentionum: dicit enim contumeliam seu conuitium sæpè conuenire cum correctione, quæ virtus est, in materia. Nam quæ per contumeliam et conuitium alicui dicuntur, eadem corrigentes quandoq; proferimus: si quis aliquem insensatum, hypocritam, alioue acerbiori nomine appellet, potest et per contumeliam siue conuitium hæc proferre, potest etiam et per correctionem hæc iactare. Differentia igitur est in fine: nam qui contumelia afficit, vt confundat proximum, et hic sistit, à culpa excusari non potest: at qui corrigit ea profert vt emendet et sanet, culpa omni caret; quin potius suum facit officium: vltra hanc differentiam à Basilio *notatam, Toletus noster notauit et alteram, nempe in principio et radice: nam et contumeliæ et conuitia ex odio et iniustitia procedunt, vnde et contra charitatem et iustitiam sunt. At correctio ex dilectione et zelo iustitiæ emanat: vnde illa vitia, hæc virtus sunt: hinc etiam sequitur alia differentia. Nam contumelia et conuitium animo perturbato et irato fiunt,*

Hom. in Psal. 14.

In Luc.

fiunt, nec modum seruant: at correctio intra modestiam se continet. Ex his facilè est videre, quo modo ille scriba iudicauit Christum contumeliosum, cum in Pharisæos fuisset acerrimè inuectus. Magister, inquit, etiam contumeliam nobis facis? *Audiens enim acria verba Christi, non considerauit vt debuit, non eo animo esse prolata à Christo, vt confunderet & læderet, sed vt sanaret & emendaret, vt sæpe solitus erat, vnde Pharisæus quòd virtutis erat, adscripsit vitio, & de eo pro quo debuit agere gratias, conquestus est: non aliter, quàm si infirmus iniuriæ tribuat, quòd medicus cibum & potum neget; vel quod sectionibus vtatur, vt eum à morbo liberet, quod phreneticorum est. Si itaq; Anatomiæ tuæ punctiones Cichoci conferantur cum virulentis & fere ad rabiem caninam redactis, hæreticorum linguis, tantundem erit differentiæ, quantum distabant obiurgationes Christi, à maledicis & mordacibus Pharisæorum linguis. Sed est quòd mirêre magis: Pharisæi etsi odio in Christum excæcati, & liuore quodam ab inferis petito, in contumelias & blasphemias prorumpebant, inter se tamen optimè conueniebant: nec de vlla inter eos legimus dissensione. At Hæretici non solùm in Catholicos sua mendacia vomunt, verùm ita se mutuò proscindunt, & lacerant, vt viperarum genus quæ matres enecant, optimo iure esse dixeris, nec modum aliquem eiusmodi conuitiorum statuunt. Vide quod de Caluinistis reliquerit scriptum Conradus Schuselburgius Luteranus: Iam inquit annos sexaginta & plures, tanta animorum contentione se oppugnant Euangelici; vt nisi ma-*

Luc: 11.

 gnus

gnus Domini dies interuenerit litemq; hanc diremerit, mutuis vulneribus potius quàm Papistarum oppressione succubituri videantur. Iam Caluinus contra Hesbusium, Lutheranos appellat homines proteruos, rabiosos, mancipia Sathanæ; item canes, nebulones, & impuros spiritus. Beza verò eundem Hesbusium, vocat Polyphemum, simiam, cothurnatum, vægrandem & pileatum asinum, canem in balneo, asinissimum Sophistam, impudentem, nebulonem, impurum, sycophantam, belluam, laruam hominis, asinum bipedem et impurum, histrionem, et monstrum mixtum ex simiarum et Onagrorum specie, vel carniuorum Cyclopem: asinum sesquipedalem, furentem, dignum, qui ex tilia penderet. His excitati Lutherani vocant Zuinglianos, Dæmoniacos, à diabolis omni ex parte, ante, pone, supra, infra, intus, et extra obsessos, annumerandos Arianis, Turcis, omnium mortalium quos vnquam terra sustinuit deterrimos, necnon in sempiternum damnandos. Sed quis hæc portenta scommatum, quibus inuicem se ornant isti præcones Euangelij quinti, vel potius conspuunt enumeret? apparet quo spiritu agantur; nec scio an vnquam apud Catholicos scriptores eiusmodi reperiri queant: tametsi Anonymus sub Catholici nomine, se posse latere existimet, prodit se tamen egregiè cum rabiosam in Summum Pontificem, in Patres Soc: Iesu, et totum Ecclesiasticum ordinem, exerit linguam, et tot mendacijs instructus, prodit consultus ineptissimus, dignus qui à te Gicboci duriùs fuisset exceptus, si paululum zeli tui habenas laxare voluisses. Tum Cochleuius: quid istis nugis tam diu occupamur

De Theol: Caluinista. in proemio Anno 92

Vide Ministromach: & bellum 5. Euangelij.

mur inquit? an putatis non idem me quoq; vna vobiscum sentire? nam quæ proposui, non tam ex mea quàm aduersariorum sententia propositum est: qui cùm ipsi strenuè Catholicos, tam in concionibus quàm scriptis quæ passim edunt, allatrent, tamen nostram in refellendis & retorquendis in se contumelijs modestiam requirunt, et quòd ipsis impune licet: nos si qua ex parte læsos se esse putant ad pœnas poscunt, et quidquid in eos dictum sit, inhumanè et acerbè dictum esse vociferantur. Nos verò vltrà progrediamur. Tu Marcisoui: si quid habes adfer in medium, præstat enim nos hîc aliquantulum sub vmbra commorari; quàm de ambulando, ardoribus solis torqueri.

CAPVT XV.

Quàm iniquè Anonymus reformationem Concilii Tridentini carpit, & qualis sit reformatarum Ecclesiarum, si Diis placet, apud Hęreticos, informis deformitas.

EGO verò libenter tibi obsequar Cochleui, dixit Marcisouius, et cùm aperuisset Anatomiæ codicem, illico incidit in ridiculam Anonymi, quam ex suo putido deprompsit cerebro illationem: videlicet non aliam perturbationibus Europeis datam occasionem præter reformationem Cleri in Concilio Tridentino à Summo Pontifice institutam. Sicq; dicere exorsus: Quamuis Cicbocius satis aptè eam refutasse videtur, addita vera et legittima, horum motuum

causa, quam statim in ipsum Anonymum, et eius asseclas retorsit: debebat tamen (quandoquidem reformationis mentio facta est) reformatæ religionis descriptionem fecisse locupletiorem; præsertim cùm impensius Hæretici talibus delectentur elogiis, et se reformatores, religionemq; suam reformatissimam, vanissimè iactitent. Nos quidem agnoscimus Summum Pontificem habere ius plenissimum, ad tollenda vel corrigenda, si quæ in Clerum irrepserant scandala et vitia: tum etiam si in cultu diuino aliquæ superstitiones et abusus inoleuerant: competebat illi ipsi prospicere, vt abolerentur. Hæreticorum verò synagogæ, quos reformatores vel qua authoritate subnixos habuerunt scimus, profugos videlicet Monachos fœtidissimos Apostatas, spurcos, atq. flagitijs omnibus infames, antesignanos et Duces, talibusné reformatoribus gloriabitur Anonymus noster? et tot patres qui reformationis Pontificiæ erant authores, præ illis contemnet? Quis verò eiusmodi Ecclesias iurè dixerit reformatas, in quibus tam in fide quàm in moribus, tot errorum et turpitudinum monstra, reperias, vt omnem prorsus numerandi effugiant solertiam? An non videmus quantis conuitijs & execrationibus, hæ videlicet reformatissimæ Ecclesiæ, ita inter se mutuò collidantur, vt à reformatis tantum absint, quantum immensum inferni chaos, à puritate cælesti, & orbium dispositissima concinnitate & harmonia, distare certum est. Sed dicat tandem Anonymus, dicant & illi, qui cum eodem in dogmatibus reformatorijs conspirârunt, vbinam gentium eiusmodi Ecclesiæ reformatæ reperiantur? apud Lutheranosné an Caluino

Zuin-

Zuinglianos? an Arianos Iudæizantes: an verò apud Iudæos Arianizantes? quælibet enim sectarum harum, se reformatarum Ecclesiarum nomine venditat, & toto conatu reformatarum appellationem, ad se trahere, imò mordicus sibi vsurpare nititur. Augustanæ confessionis vt vocant, cùm plures inter se discrepantes editiones extent, quæ sit tandem reformatior? dicant & illi ipsi, qui magnis iurgiis & reboatibus à suis partibus, primam Augustanam confessionem stare contendunt. Alij verò à Melanchtone iterum reformatam & in meliorem formam redactam, post decies cussam & recussam, subindeq; mutatam, & vt ita dicam toties visam & reuisam, ad se trahere nituntur, quænam illarum genuina & autentica censeri debeat? At si dixeris reformationibus alias reformationes superaddi posse, quousq; perueniatur ad illam supremam reformationem, quæ vltra reformari nequeat, vbi nam hæc quærenda sit, si interroges, cùm eam in terris reperiri non posse affirment, dicent necessario apud superos quærendam esse. Sed ista mera effugia sunt & tantis Rabinis quales a vulgo videri volunt prorsus indigna. Quid enim magis ineptum est, quàm cùm te ab omni parte constrictum videas, vt effugias, vnà cum Simone mago, te in cælum auolare velle, et in ipso splendidissimo lumine, latibula quærere cupere? id verè est putare se Deum esse, qui in sole posuit latibulum suum, et nubes et caligo in circuitu ipsius sunt, cùm ipse sibi sit lumen, et nullius accessorij luminis indigeat illustratione. At isti cùm sint meri tenebriones, nec latere possunt quin prodantur, vt ipsi obscuri sunt; ita suas obscurissimas debere

 esse

esse contendunt Ecclesias. Et certè appositissimo carmine hæc ipsorum latibula expressit. Andreas Frusius è Soc: Iesu vir insignis, et ad elegantem, castam, suauem, vrbanamq; poesim natus, recita puer.

Hæreticos quoscunq; rogem, sua secta sit, vnde,
 Mox ad Apostolicos, vsq; remittor auos.
Insto sed improbior, quę syncopa facta, quôd annis
 Mille & quingentis, nullibi visa fuit?
Est inuisibilis (dicunt) Ecclesia, credo
 Quam nec homo, nec sol, nec Deus ipse videt.

Quæro igitur an possunt reformari ea, quæ nullibi exeant? Cœlum enim & quidquid intra eius ambitum continetur, nulla indiget reformatione: tantò minus Hierarchicus ille ordo perfectissimus: & si num aliquando à sua pristina forma desciuerit, (si modò dæmones excipias) Theologo vel alicui simpliciori Christum professo proposueris, certè non sanæ mentis hominem illico te dixerit esse, si quispiam contra steterit, & dixerit inuisibilitatem formæ, ipsius essentiæ nihil detrahere posse: quæro iterum, num ab illis qui videntur, ea quæ non videntur, reformari queant? & sicut Ecclesiam inuisibilem esse statuunt; ita eius reformationem necessariò inuisibilem esse, concedant oportet. Cùm igitur istarum Ecclesiarum suarum reformationes tantopere auribus hominum vsq; ad fastidium inculcant, & in orbem Christianum has informes reformationes à seipsis introductas esse, plenis buccis concrepant, vbi verò eæ sint, ne digito monstrare possunt; nonnè informes ipsi ac sine mente esse putandi sunt? Nam parum refert, si cuculus omnium

auium

uium nidos, suos ipsius esse occinuerit. Sed expendamus obæreantnè inuicem, toties iactata reformatoriæ artes: Lutherus hanc reformationem primus introduxisse videri voluit, dum Papatum impugnat, postmodum Carolstadius, deinde Zuinglius Oecolampadij spiritu afflatus, tum Caluinus, Bucerus, cæteri deniq; egregij, scilicet reformatores illico emerserunt, vnusquisq; eorum aliquid ad reformationem addidisse, multò plura detraxisse gloriabatur. Tandem & his alij superuenere, Trinitarij, Seruetistæ, Gentilistæ, & reliquæ pestes. Lutherana reformatio iam ferè explosa est, & ita informis relicta, vt decussatæ arbori simillima videatur: Caluiniana ordinem sui principij secuta, confusum barathrum potius dixeris, & inde petitum, vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, in qua nihil tam monstrosè cogitari potest, quòd non vlla tibi spectandum exhibeat. Quid verò Anabaptistæ his tincti, satiunt vobis reformati erunt? qui quot annis sua placita figunt refiguntq;. Siste paulisper Marcisoui, inquit Cochleuius, & ego aliquid in rem tuam adferre cupio, præsertim cùm dixeris, nec in doctrina, nec in moribus aliquam reformationem apud hæreticos inueniri posse.

CAPVT XVI.

Altercationes Hæreticorum, de suis reformatis Ecclesiis.

Et certum quidem est, doctrinam illorum, non posse reduci ad certam quandam formam, vel eandem in fide conspi-

conſpirationem & conſenſum, cùm quilibet ſectariorum, reiecta Eccleſiæ authoritate, & Patrum vnanimi conſenſu, ſomniorum ſuorum deliria, pro vera & genuina ſcripturarum interpretatione, & fidei regula obtrudit: vnde fit, quibus in terris eiuſmodi Eccleſiæ reformatæ reperiantur, magno quodam Apolline, ad illas inueſtigandas opus ſit. Caluiniſtæ proculdubio ſe à Lutheranis reformari non patientur, vel Anabaptiſtæ ſiue Ariani ab vtriſq; tamen quælibet harum ſectarum, ſe reformatiſſimas Eccleſias habere affirmat. In Anglia Henricus Rex Octauus, cùm reformandarum Eccleſiarum adſe authoritatem pertraxiſſet, & eidem Elizabetha portentoſa virgo, in Papatu Anglicano ſuceſſiſſet; mox talem reformationem execrati ſedecem Puritanorum miniſtri, Geneuam vtpotè ad conſiſtorialem reformatiſſimam Eccleſiam profugerunt. Vihtgiftus horrendum ex Papiſmo et Caluiniſmo conflatum monſtrum; mox ſcripto acerbo eoſdem perſecutus; eos ſtultè feciſſe, ait, quòd ex reformatiſſima Anglicana Ecclesia, qua per totam Europam nulla reformatior fingi poſſit. Geneuam ſe contuliſſent: cùm potiùs Geneuenſis ab Anglicana; non verò hæc ab illa ſuas reformationes petere debuiſſet. Scio equidem pleroſq; ex Caluini grege porcos, imperitioribus imponere velle: Geneuenſem et Lutheranam, eiusdem formæ eſſe; nec multùm refert, ſi in quibusdam minus conſentire videantur; et hac arte vſus eſt primò Caluinus, in libro quem inſcripſit ſummam confeſſionis, de Sacramentis, in quo confeſſionem Auguſtanam, eandem eſſe cum Tigurina doctrina, Lutheranis perſuadere voluit: contra quem

tot

tot Lutheranorum examina insurrexêre; vt etiam ipse Lutherus in postrema sua confessione de Cœna Domini, hæreticos & in æternum damnatos Caluinistas pronunciet. Beza verò Lutheranos atrocibus verbis condemnat, & igni perpetuo adiudicat: hinc bellum illud quinti Euangelij exortum, in quo infestis animis & scriptis vsq; ad exitium concurritur. Nec putetis de re tantùm sacramentaria, pugnas istas cieri, sed de præcipuis fidei articulis, in quibus totius professionis Christianæ cardo vertitur. Ioannes Papus Lutheranus, ad primum Ioannis Sturmij Antipappum, duodecem præcipuas, in quibus Lutherani à Zuinglianis dissident, controuersas opiniones annotauit, hoc idem insignis Caluinianus Iezlerus, in libro de diuturnitate belli Eucharistici. Bella, inquit, multa, multis de articulis gesta sunt, inde ab initio repurgatæ per Germaniam Ecclesiæ, ad hæc vsq; tempora, & sanè non à gregarijs nec leuis armaturæ militibus, sed ab Antesignanis & ducibus vtrinq; præstantissimis: Videtis igitur quam bellè hæ repurgatæ seu reformatæ Ecclesiæ inter se conueniant, & quantopere ineptiant illi, qui ex vtraq; tam discrepante, & mutuis odijs exæstuant, vnam eandemq; volunt constituere Ecclesiam, eamq; vniformem?

CAPVT XVII.

An etiam in moribus reformatas habeant alicubi Ecclesias, nouitii reformatores.

AT *fortasse in moribus reformatas Ecclesias posse inueniri ali-*

ri aliquis dixerit? negabit tamen Caluinus, qui in Commentarijs ad Caput 11 ad Corinthios: & Concione 30. in Epistolam ad Ephes: & decimo in eandem; palàm affirmare audet, certum esse in Papatu tam horribilia monstra non inueniri, quot reperiuntur in illis, quos sui Euangelij praecones esse voluit. Idem de scandalis, disertè in hæc verba prorumpit; cùm tot hominum inquit millia, cupidè vt videbatur nomen dedissent Euangelio, quàm pauci obsecro à suis vitijs resipuerunt, imò quid præ se maior pars tulit, nisi vt excusso superstitionum iugo, in omnem lasciuiam diffluerent homines Lucianici & Epicurei, Papistarum ineptias lepidè irrident, sed ipsi indigni sunt, qui vnquam ad Papismum reuertantur. Multi, inquit, qui sacrilegè Euangelio ad scelerum prætextum abutuntur, iam non miro, aut insolito, sed vulgari artificio, quo se perfidi homines, ad fallendum fraudandum, modisqué omnibus nocendum insinuant: Vidi quos lenocinijs suis impurisqué pactionibus, non pudebat Euangelij vmbram prætendere. En exhibeo vobis in eadem Anatomia, reformatorios Matrimonij Canones Gebenenses insertos, quàm deformes, quàm belluini sunt, ille videt qui Caluiniano imò & Lutherano spiritu nondum est afflatus. Certè à risu me continere non potui (si modò risu & non commiseratione insanorum capitum figmenta prosequenda sunt) cùm incidissem in quosdam Vilnensis synagogæ reformatorios canones. Deus bone, quantum ibi ineptiarum reperi! & certè puduit quosdam ex præcipuis synagogæ illius consultoribus, cùm in vulgum à nostratibus sparsi sunt, et in Theses quasdam

Pagina 118. & 127.

diam redacti talium Canonum Lutherus sæpius de procacitate, petulantia, libidinibus, suorum ministrorum conquestus est, vt necesse habuerit illam generalem et rigidiorem visitationem instituere, et formam aliam priori formæ superinducere. Munsterus ille Cosmographus vel Hæbraisans Lutheranus, ea omnia affingit suis Lutheranis, quæ Comus Puteanus, vt audistis, hominibus ebriosis, obscænis, belluinis, attribuere non dubitauit. Musculus, inquit, nostri, sibypsis adeò facti sunt dissimiles, vt cùm in Papatu fuerint in erroribus, ac superstitione religiosi, in luce veritatis, agniti sunt ipsis huius seculi filius, prophaniores, leuiores, vaniores, ac temerariores. Smidelinus verò Lutheranus: In nostris, inquit, nulla sentitur morum reformatio: sed horrenda Epicurea et animalis, seu ferina, eorum vita cernitur; in commessationibus, compotationibus, cupiditatibus, et diuini nominis profanationibus, siue blasphemiis. Atq; vt totus mundus cognoscat, eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum operum nullum penitus exercent. Quid verò de istis nouis Euangelicis senserit Erasmus, ex quo Trinitaria secta scaturigines suas deriuasse, quibusdam grauissimis viris visa est: en habemus in eadem Anatomia expressum: sed piget in his diutius immorari. Frustrà igitur imò impudenter Reformationem Pontificiam tumultuum occasionem præbuisse; persuadere nititur Anonymus, quam libenter fatemur, multos nobis sanctos, pios, doctos, sacerdotes, peperisse; redactis in meliorem formam illis moribus, quorum corruptio non ex doctrina puriori; sed ex incuria et fragilitate humana, profluxe-

Lutherus in Postilla domestica Iene. 1550. Conc. 2. de Aduēt.

In locis Com: Euan.

Con: 4. in Luc: 21.

Sec: 3. Art: 32.

rat. Abeat verò (si redire ad formam pristinam et genuinam nolit) ista reformata cohors, dicata Diti. Abeant istæ reformatrices artes, hæretico ore sparsæ, et chartis miseris, rogoque dignis illitæ: atq; vtinam, ne auditum fuisset istarum reformationum nomen, tranquilliora et pacatiora omnia haberemus, hæc Cochleuius.

CAPVT XVIII.

Ex occasione dictorum, Erasmus Rotherodamus vtcunquè defensus.

V*Ideo mihi aliquantulum subsistendum esse, antequam ad alia transeatur Cichoci, ait Marcisouius: Miror enim, quòd cùm tu in Anatomiæ tuæ, loco citato, testimonio Erasmi Rotherodami, viri sine controuersia doctissimi, contra istos noui Euangelij reformatores vsus sis: Cochleuium tamen, nescio quid eidem aspersisse, idquè non modò ex sua; sed grauissimorum virorum attestatione, quasi Trinitarijs & Arianis impensius fauisse videretur, cùm neq; cum Lutheranis, tantò minus cum Zuinglianis senserit vnquam, in quos non in vno loco asperioribus verbis inuectum esse legimus. Certè hyperaspiste suæ Diatribæ, contra seruum arbitrium Lutheri disputans, fatetur se alienum esse à Lutheri consortio, & nolle ab Ecclesia Catholica segregari, neq; ab illa vnquam defecisse. Et ne videatur loqui de qualibet Ecclesia, cùm plurimi ex hæreticis etiam Catholici videri volunt: subiungit hæc verba. Tuæ, inquit, Ecclesiæ nunquam animus fuit dare nomen.*

men, & hoc nomine videor mihi felix; quòd constanter à vestro fœdere abstinuerim. Scio in hac Ecclesia quam vos Papisticam vocatis, esse multos, qui mihi displicent, sed tales video & in tua: fero igitur hanc Ecclesiam donec videro meliorem, & illa me ferre cogitur, donec ipse fiam melior: leuius autem feruntur mala quibus assueueris. Et deinde, quid monstri est, si quomodocunq; incidente in scripturis ambiguitate, non malim consulere sedem Romanam, quàm Vitembergensem; eamqué dissentientem? Lutherum verò passim vocat in eodem libro hominem scommatum, conuitiorum, qui maledictis cupiat conficere Erasmum, plenum, ad extremum seditiosum, & orbem vniuersum exitilibus dissidijs concutientem, & nisi, Sathanas, Diabolos, furuas, lamias, crepantem: et si fateatur scripsisse quædam quæ non admodum cum Ecclesiæ placitis congruere videantur; tamen recollecto animo, nunquam talia se scripturum fuisse: si hoc seculum tam turbidum, tam procax exoriturum persensisset, testatus est. Vides igitur duriùs à Colleuio tractatum Erasmum, quem & ille magnus Hosius, adhuc iuuenis, in suo ad hunc librum Octosticho, decus totius orbis, appellare non veretur. Ego verò quibusdam eius scriptis præsertim adagiorum Chiliadibus à pueritia ita lectatus sum; vt multum inde hauserim, quòd ad profectum literarum pertinere existimaueram. An & Leo decimus Pontifex Max: obuersionem Noui testamenti è Græquam ille censuræ eius non solùm submiserat; verùm ipso probante, & hortante, sub nomine ipsius ediderat, suo diplomate et literis versioni præfixis, non satis declamauisse

visus est, quanti fecisset Erasmum? quem ferunt etiam in Collegium Cardinalium cooptare voluisse; si Erasmi pectus ab omni ambitione alienum, & ab istis honoribus ad tam sublimes in Ecclesia gradus consequendos abhorrens, re ipsa non fuisset expertus. Certùm est autem, & Carolum quintum Imperatorem, dum summa Pompa Basileæ fuisset exceptus, non modò ipsum Erasmum, qui iam defunctus fuerat; sed imaginem illius, publicè ante ædes in quibus commorabatur, & extremum clauserat diem, expositam, detectione capitis eo honore affecisse, qui non nisi summis viris, obtingere poterat.

CAPVT XIX.

Excutitur Erasmi Rotherodami, in religione fluctuãs ingenium & ad Arianismũ ꝓpensum.

Hîc ego cùm subrisissem: erras, inquam, toto cælo Marcisoui, erras, nec satis perspectam habes istius tui Erasmi inconstantiam & leuitatem; sed parum dixi, imò in Catholicos, præsertim in Monachos exulceratum; ad hæreses verò fouendas propensissimum animum: nec scio, an quispiam ad hæreses subortas promouendas, maiori artificio, vsus fuerit; cùm se tanquam Protheus alter, in alias vertit formas, ita vt nullibi fixum pedem collocet, modò ne alicui parti, ex animo adhæsisse, deprehendi possit. Considera diligenter hunc quem adduxisti locum: cum dicit in Papistica Ecclesia se mansurum, donec videat meliorem: hanc igitur non absolutè bonam existimat; ergo neq; vnicam illam,

qua

qua nulla dari poteſt melior: ſi enim meliorem expectat, profectò duas conſtituit Eccleſias, vnam non adeò bonam, alteram meliorem. Hinc Lutherus cùm ei exprobrâſſet, quòd inter Scyllam & Charybdim nauigare ſoleat, declarari ſibi ab eo poſtulat, vtram Eccleſiam Charybdim, aut Scyllam appellet; ſtatim ſubinfert: nec infeliciter, inquit, nauigat, qui inter duo diuerſa mala, medium curſum tenet: ergo inter Lutheranam & Papiſticam ſe nauigare non diffitetur; donec perueniat ad eam, quam in cerebro ſuo finxit fore meliorem. Iudicium verò Cochleuij de Eraſmo conuenit cum multis & grauiſſimis viris, inſpice præfationem Bellarmini Cardinalis præfixam diſputationi de Chriſto, vbi reperies ſcriptum: Eraſmum ſi pretium ab Arianis accepiſſet, non potuiſſe diligentiùs cauſam illorum egiſſe, ita vt Hungarici miniſtri, in eo libro quem Anno 1567. Ioanni Regi obtulerunt, præcurſorem eum prophetæ ſui Serueti, non ſine cauſa nominauerint. An non præſtantiſſimum ſe patronum Arianorum declarauit, cùm ſcriberet, Arianos non tam hæreſim docuiſſe, quam ſchiſmata feciſſe; cùm eſſent illi noſtris numero pares, eloquentia doctrinaque ſuperiores? Et ne planè in impietatem Arianam prolapſus eſſe videretur, in præfatione in libro Hilarij. Audemus, inquit, Spiritum S appellare Deum, quòd veteres auſi non ſunt, mendacium incredibile iſtud probat eſſe Bellarminus, veteres non eſſe auſos Spiritum ſanctum vocare Deum. Scripturas verò expreſſiſſimas quas pro diuinitate Chriſti aſſerenda Catholici adferre ſolent, ſic in Arianum detorquet ſenſum, vt eas Catholicis eripere, ſummo conatu moliatur.

Adferam

Adferam saltem vnum locum ex Epistola ad Romanos capitis noni petitum. Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, vocem Deus suppositiтiam vult videri. Deinde ait hunc locum non esse sufficientem ad reuincendos Arianos, & vult, vt interponatur punctum post illa verba secundùm carnem, & post sequi gratiarum actionem, super omnia Deus, id est, Pater sit benedictus in secula, & quoties Deus in scripturis nominatur, absolutè vult Patrem tantùm intelligi debere. Prætereo & illum locum ad Philip: 2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, ita detorquet, vt nihil contra Arianos facere videatur. Ad extremum, illa loca: Ego & Pater vnum sumus: & hi tres vnum sunt. *non de vnitate naturæ cum omnibus patribus, sed de vinculo charitatis cum Arianis debere intelligi. Guilelmus*
Lib: 3. cap: 10. *Reginaldus Anglus in Caluinoturcismo inducit, Micheam ex Ministro Turcum, ad Samuelem caluinistam ministrum ita loquentem. Erasmus, inquit, de Christo & Spiritu sancto, improbata fidei Christianæ, magna suspicione laborauit; quem propter plurimos scripturæ locos, à vetustis patribus, ad Spiritus sancti Christiq; diuinitatem adstruendam inflexos, ab eo autem suo genuino sensu, contra Christianam & Papisticam fidem restitutos, Hungarici ministri, rectè præcursorem prophetæ sui Serueti nominauerunt,*
Lib: 3. Chrono: fol: 161. *Genebrandus vocat illum vanissimum patrum censorem: vides igitur Marcisoui persuasione sua non deceptum esse Cocbleuium. Et mirum est, cum sectas illas priores duas contemnere velle videretur: ad tertiam illam quæ ex Ari-*

anismo constat, propensiori animo fuisse, eiq; apertiùs quàm reliquis fuisse deprehensus est. Sed & Lutheranæ suos etiam substruit puluinos, Bellarminus eundem præcursorem Hæreticorum nostri temporis vocat & adducit eum consueta ieiunia Ecclesiæ indignè traducere, & hæreticis irridenda exponere præsertim in Epistola ad Episcopum Basiliensem; vbi sic inquit: Paulatim irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris nobis pisculentum reddidit. Deinde vbi hoc successit adiuncta est & Sabbati dies, nunc etiam Mercurij periclitatur, ob idq; genus obseruatiunculas, videmus homines affligi, & deniq; mori, sibiquè Christianos videri, cùm sint Iudæi. Aude deinceps tueri hunc tuum Erasmum Marcisoui, itanè propter illud immensum volumen Chiliadum, magnus tibi videbitur Erasmus? magnus fortasse futurus, si non voluisset fieri magnus, vt verbis Iulij Scaligeri vtar. Rectiùs Stapletonius, qui non magnum sed errantem murem eundem vocat, alludens ad nomen ipsius quasi errans mus. Quòd enim attinet ad Chiliada tua, certè Muretus ille doctissimus, vanitatem ipsius perstringens, dicit se eiusmodi Chiliadum, adbuc mille volumina conficere posse, si quamlibet sententiam, quodlibet dicterium, adagij appellatione vellet imperitioribus obtrudere quòd fecit Erasmus. Hosium quidem adbuc adolescentulum admiratum fuisse Erasmi ingenium non negauerim, illo præsertim tempore quo adhuc latere volebat & neutri parti adhæserat, imò & contra Lutherum calamum strinxisse videbatur. At postremis temporibus, ne mentionem ipsius facere voluisse virum sanctum & doctissimum, habeo persuasum.

K CAP.

CAPVT XX.

Iudicia Doctorum virorum de Erasmo, eius origo, arrogantia, mordacitas, Caluini iudicium, & testimonium de Romana Ecclesia.

TVM Cochleuius: *quandoquidem ex occasione dictorum meorum, hanc de Erasmo controuersiam suscitastis, sinite me aliquid de eodem loqui, & rem totam in vnum scopum reducere, & operæpretium est nosse, quid de eodem senserint viri doctrina, & pietate insignes, præsertim Natalis Beda Theologus Parisiensis, item Marianus Victorinus Rheatinus, in scholis ad Diuum Hieronymum vbi conqueritur in solis Epistolis D. Hieronymi, sexcentos & vltra commissos ab eo lapsus, quos postea Paulus Manutius restitutos in lucem edidit, Hieronymus Torrensis Soc: Iesu Theologus, plurimos locos ex Diui Augustini operibus annotauit de quibus peruersissimum tulit Erasmus iudicium, & quòd magis mirere ita in odium Monachorum exarsit, vt duos tractatus de vita & moribus Clericorum, originem & instituta Monastices continentes, sustulerit, quos Possidonius còëtaneus Augustini inter ipsius opera numerat. Ricardus Cenomanus Theologus Parisiensis propugnans regulam Monachorum Diui Augustini, contra censuram Erasmi, multis nominibus eum exagitat. Hinc apparet istos excuculatos monachos, nullibi magis quam cum contra monachos aliquid scribendum suscepissent, furere, & malo spiritu abripi solere. Erasmus enim prius monasticam*

nasticam Canonicorum Diui Augustini Regularium professus, in monasterio Stein prope Goudam Batauorum oppidum, susceptis votis & sacris ordinibus ritè perceptis, nouem annorum curriculo dimenso, inde profugit, mox plerasque Academias peruagatus, cùm ingenium perferuidum, & laudis humanæ impensè auidum, fuisset nactus, memoriaq; insigni præditus: postquam in rebus scholasticis & Grammaticis ita se exercuisset, vt si in eo genere scribendi substitisset, & non vltrà sibi progrediendum existimâsset: satis celebre nomen sibi comparauisset. Atq; vtinam nunquam res Theologicas attigisset, sed dum censor & morum & patrum videri volebat, res satis ludicras, ne dicam Lucianas & Satyricas serijs & Theologicis rebus immiscuit: & quosnam non dementauit ipsius moria & corruperant colloquia praua? Ac cùm plurimos scriptores Ecclesiasticos, tum veteres, tum recentiores ad suum pertraxisset iudicium, Socratem, Platonem, Tullium, cæterosq; Græcos & Latinos scriptores Ethnicos, vix non in ipso cælo voluit collocare, & vt quidam ait, modò aiens modò negans, infernum cælo immiscuit. Arrogantia verò tanta homini inerat, vt aliorum iudicium, de suis scriptis nunquam adhibuerit, imò in eos qui sibi obstrepere videbantur, inter quos Stunicam & Leum miris exagitauit modis, tanta amarulentia calami prosecutus est, vt illa mordaci vesania, Bibliothecas ferè totas impleuerit, nec vnquam vt errores quos passim sparserat, vt retractaret se adduci passus est, quamuis a plurimis admoneretur. Et facile adducor vt credam, quòd quidam scriptum reliquerant, illum ex ci-

uitatis Goudanæ Parocho vicino, genitum esse, qui prægnantem famulam, ex qua cum susceperat, vt crimen celaretur, in proximam Rotherodami ciuitatem, vnde originem ducebat, ablegauit, inde Rotherodamus dici cæptus, spurcam originem suam erroribus vndiq; in libros suos inspersis, spurciorem reddidit. Abeant igitur quo velint cum suo Erasmo, qui eius suspiciunt & admirantur doctrinam, ego tanquam pestem fugiendam omnibus esse censeo, à cuius scriptis à teneris annis semper me abhorruisse fateor, & præteriissem sine aliqua mentione eundem si præsensissem, vos circa ipsum, tam multum temporis insumpturos. Itaq; valeat Lutherus cum suo Erasmo. Sed & Caluinus in illis quos ex eodem adduxi locis animaduertistis quàm multum de suorum Euangelicorum reformatione addubitet? quos Papistis vt ille vocat longè deteriores esse scelera sua sub vmbra Euangelij occultare solere affirmat. De Ecclesia verò Romana sobriè videtur sentire, dicit se non negare quin magnum Romanæ Ecclesiæ honorem vbiq; deferunt veteres, reuerenterquè de ea loquantur, quod tribus maximè de causis fieri arbitratur. Opinio enim illa inquit quæ nescio quomodo inualuerat, fundatam & constitutam eam fuisse Petri ministerio, ad Conciliandam gratiam & authoritatem plurimùm valebat, itaquè in occidente sedes Apostolica honoris causa vocabatur. Deinde cùm illic esset caput Imperij, & hac ratione credibile est, præstantiores tum doctrina, tum prudentia, tum peritia, & multarum rerum vsu, viros illic esse, quàm alibi vsquam: eius rei meritò habebatur ratio, ne & vrbis nobilitas, & alia etiam

Lib. 4. Inst: c. 6. & 16.

Dei

Dei dona, multò excellentiora, contemni viderentur. Accessit ad hæc & tertium, quòd cùm orientis & Græcæ Ecclesiæ, Africanæ etiam, multis opinionum dissensionibus inter se tumultuarentur, hæc sedatior illis, & minus turbulenta fuerit: ita factum est, vt pij & sancti Episcopi, sedibus suis pulsi, illuc se velut in Asylum, aut portum quendam sæpe receperint. Nam quò minùs acuto & celeri ingenio sunt Occidentales Asiaticis & Afris, eò etiam sunt rerum nouarum minus cupidi. Hoc ergo Romanæ Ecclesiæ plurimùm addidit authoritatis, quòd non ita dubijs illis temporibus, tumultuata est, vt reliquæ, ac doctrinæ semel traditæ fuit omnibus tenacior. Has inquam tres obcausas non vulgari in honore habita fuit, et multis præclaris veterum testimonijs commendata. Placetné à Caluino volatum Romanæ Ecclesiæ Elogium?

CAPVT XXI.

Examinatur Caluini iudicium de Romana Ecclesia quàm benè sibi cohæreat, tum quibusnam artibus in propaganda sua secta vsus, sit, & quàm vafrum, leue, & inconstans ingenium habuerit.

QVid ni placeat Cochleui respondeo, cùm probè meminerim illius D. Chrisostomi Hom: 56. in Genesim dicti, scribit enim semper infidelium & aduersantium religioni testimonia, maiorem habere fidem, & hoc ex omnipotenti

tenti ſapientia Dei, vt inimici veritatis, ipſi fiant teſtes veritatis, et ſua lingua prædicent, id quòd antiqui patres prædicare non erubuerunt. Tertullianus antiquiſſimus, tum et Cyprianus poſterior, affirmant ad Romanam Eccleſiam perfidiam acceſſum habere non potuiſſe. Sed ludis Cochleui tanquam Caluini ingenium non ſatis habeas exploratum et perſpectum; vel ſi te non habere diſſimulas, vt me in arenam prouoces: ecce oppono tibi illius celeberrimi noſtris temporibus dum Romæ vnà eſſemus, Franciſci Panigarolæ è ſodalitio D. Franciſci de obſeruantia vt vocant, tam è doctrina, quàm è facundia apud ſummum Pontificem, et totum Collegium purpuratorum, acceptiſſimi viri, quem etiam Sixtus quintus, ad Epiſcopatum Aſtenſem euexerat, de Caluino iudicium, vt Bolſecos, et plerosqué alios qui vitam ipſius ad vnguem proprijs coloribus depinxerant, et qui in caſtris Caluini et Bezæ diutiùs verſati: multos etiam annos concionati ſunt, prætercam Inquiebat ille Caluinum fuiſſe, viuacis ingenij, intellectus lucidi, ſtylum habuiſſe purum, facundiam grandem, multæ lectionis, tametſi doctrinæ non multùm profundæ, in ſumma à natura dotatum egregiè, multorum de homine impio iudicium, his ſequentibus ſubuertitur. In omni determinatione ſua, plenus pauoris, ſemper timet, ſemper dubitat, vt non ſe prodat, in lubrico ambulat ſemper, nullibi audens figere pedem, intra dentes loquitur; ita omnia determinat, verbo Forſitan vel Fortè, reſoluit ſe nunquam, ita vt omnes illius propoſitiones tot et tantas habeant exceptiones, et mitigamenta, ſemper addit, minuit, rem relinquit in

dubio,

dubio, tantum negat, quantum affirmat: tantum affirmat, quantum negat, iniustæ causæ, versipellis defensor, multa videtur concedere, quæ sunt vera, vt se liberalem præbeat, vbi se vult videri, clarum, lucidum, et benè distinguentem res dubias, et cum peruenitur ad conclusionem vel determinationem aliquam; nihil videat præter confusionem et tenebras, multis circulis, multis ambagibus vtitur, ita vt se expedire nequeat. Examinemus igitur hunc quem ex Caluino de Romana Ecclesia adduxisti locum quæso, et videbis quantopere in reliquis diffideat de eadem Ecclesia testimonijs, quam per contemptum Romanensem, et nos qui eandem sequimur, Romanenses frequentiùs vocare solet. Ecclesiam ipsam Antichristi sedem, Romanum Pontificem ipsissimum Antichristum: non repeto ea quæ superiùs dixi; quibus propudijs Catholicos et Romanæ Ecclesiæ cultores exornet, quantis conuitijs in eosdem debacchetur. Si igitur hic homo vulpina pelle tectus, antiquitatem totam, magnum se Ecclesiæ Romanæ honorem detulisse non negat, id et libenter concedit, cur ille cùm sit recentior, omni honore et reuerentia spoliatam, et omni decore nudatam, suorum sectatorum impudicissimis oculis, obijcit spectandam? Cur deniq; opinionem illam vocat, quod ea Petri ministerio fundata et constituta sit? nec se scire quo pacto, apud illos antiquos et sanctos Patres inualuerit? Simulat se nescire, cum sciat, et plurima scire se affirmare non veretur, cùm omnino vel nesciat, vel scire se, impudico ore iactet, quasi verò defuerint sanctis et antiquissimis Patribus solidæ et euidentes rationes, non ex opinio-

num

num ventis conflatæ, quibus probabant ad Romanam tanquam principaliorem Ecclesiam, et in sede Petri fundatam, in rebus tam fidei quàm morum semper recurrendum esse. Et ridiculum est, quòd ait se nesciuisse, vnde ea opinio inualuerit, cùm prorsus nesciat, num opinione, an verò solidioribus, in rebus tuæ sectæ asserendis vel negandis ducatur argumentis? Deinde subdit secundam causam credibile esse ob Imperij Maiestatem, & fastigium ipsius capitis ad eam vrbē præstantiores, tum doctrina et prudentia, tum peritia, & multarum rerum vsu, quàm alio confluere solitos. Insuper addit meritò eius Ecclesiæ ab omnibus habitam fuisse rationem, non modo propter nobilitatem vrbis, verumetiam & alia Dei dona multò excellentiora. Si meritò Ecclesiæ Romanæ habebatur ratio; si multa excellētiora dona Dei ad eam confluxere; quid impio homini venit in mentem, vt eam prostibulum turpitudinum et omnis sanctimoniæ expertem, vix interfertis tribus aut quattuor paginis, appellare non sit veritus? quàm pulchrè inter se hæc conueniant perpenditote. Sed tertia ratio quam adfert animaduertite, vt illum propriò iugulet gladio: dicit Orientales videlicet Græcas et Asiaticas Ecclesias et Africanas, quæ vergunt ad meridiem, multis opinionum dissensionibus tumultuatas esse. Romanam verò sedatiorem alijs, minus turbulentam fuisse, et sanctos Episcopos vndequaq; pulsos, ad illam tanquam ad Asyllum et portum receptum habuisse. Demum addit Græcorum et Afrorum ingenia perferuida, et nouarum rerum cupida fuisse: occidentales verò minùs celeri et acuto quidem esse ingenio;

tamen

tamen doctrinæ semel traditæ tenacissimo. Mactus sis Caluine qui tam pulchrum Romanæ Ecclesiæ protuleris Encomium. Quæro igitur ex Caluino, si doctrinæ semel traditæ fuit tenacissima Ecclesia Romana: Asiaticæ verò Græcæ & Africanæ Ecclesiæ semper turbulentissimæ fuerunt, Caluiniana quam solam esse veram contendit, vbinam gentium latebat? vel quam tandem reformandam suscepit Caluinus? non Romanam, hæc enim semper doctrinæ traditæ tenacissima extitit; neq; illius reformatione indigebat. Græcas igitur vel Africanas ad formam quam in cerebro proprio conceperat, redegit, an verò eò iuisset, & suam istam Ecclesiam, quæ nusquam fuit, loco illarum introduxisset, quærendum ab ipso est. In Romana verò reformanda, quid ipsi negotij erat? quæ tenacissimè doctrinam semel traditam amplexa, ab ea postea desciuerit nunquam? vel si eam desciuisse posterioribus temporibus dixerat; doceat à quanam Ecclesia ipsam desciuisse arbitretur, cùm nulla in orbe erat Ecclesia vera & genuina, ad quam reuocari debebat. Si dicat suam fuisse sed occultam, quam ipse ex tenebris plusquam Cymerijs, tot annis latitantem foras extulit, ridiculam profectò nobis obtrudit Ecclesiam, quę nisi ex hominib⁹ aspectabilib⁹ consistat, nulla ratione Ecclesia dici meretur, cùm Ecclesia nihil aliud sit, quàm congregatio fideliũ in eadem fide et doctrina conspirantium. Ostendat igitur si eam fuisse conspicuam admiserit, vbi nam congregabatur, quos habuerit doctores, quas Academias, tēpla eius vbi nam fuerint describat, percurrat oēs historicos, notet tēpora, loca, Episcopos vel ministros si poterit proferat,

tum demum aliquando in rerum natura extitisse, glorietur. Satis est, satis inquit Cochleuius facessat iste Caluinus cum hac sua reformata Ecclesia, vel potius cum ea detrudatur in inferos, nisi illa se in tutiorem portum recipere voluerit, iam enim tædet istarum cum hæreticis controuersiarum; nisi enim ex occasione reformationis Pontificiæ enatæ fuissent, contempsisses fortasse hanc stultam Anonymi tui, turbatæ in Europa religionis assignatam causam, quàm ita tuum stomachum mouisse video, vt diutius in eundem, vel sui similes retorquenda, te immorari oportuerit. Hic verò quasi interrupto sermone Marcisouius: permitte, inquit, Cochleui, vt adhuc Cichocium in quæstione vnica, & quasi ad illum pertinente detineam, & rogem, quidnam de illa Sendomiriensi Confessione, ante annos amplius quadraginta quattuor ab Caluinistis edita sentiat, quæ ex Caluiniana & Lutherana vnam eandemqué videtur constituere Ecclesiam, & in eandem formam duas informes, & multum à se discrepantes compegisse Ecclesias, prætendit.

Anno Dñi. 1568.

CAPVT XXII.

De Confessione Sendomiriensi, eiusque initio, & progressu, de ridicula & discordi cœtuum hæreticorum concordia, & de impugnatione eiusdem, ab ipsis hæreticis.

Quàm amplum & quàm patentem campum Marcisoui aperuisti

peruisti mihi, inquio, non modò ad detegendam; verùm & ad conspuendam hanc, si dijs placet, confessionis Sendomiriensis sentinam, ad quam cum omnium hæresum cloacæ, quæ tum in nostra Polonia, in præcipua capita regni per canales substratos, effusæ defluebant, non difficulter & meam Sendomiriam, quæ nunc me pastorem agnoscit suum, poterat eiusdem confessionis, dicam potiùs confusionis, tam blandis, tam appositis ad fallendum irretire verbis, præsertim cùm & Palatinus totius territorij Sendomiriensis, & ipsius vrbis, qui tum rerum potiebatur, præfectus, et circumquaq; vicina nobilitas, eam in suas casses facilè impellere potuissent. Radiuilo Nicolao cognomento nigro, Palatino Vilnensi, qui tum in vicinis suis Opatouiensibus, Cmielouiensibus, & Schidlouecensibus bonis, ob eam maximè hærebat causam, nihil aliud moliente; nisi vt sacrosanctum Ecclesiasticum ordinem; et eos, qui Ecclesiæ Romanæ adhærebant, profligaret; ac regno pulsos, in sedes illorum ministros intruderet. Suasit hæc ille profugus, editis palàm ad Regem scriptis, Franciscus Stancarus, & tota cohors ministrorum, idem, suis quos dementauerat proceribus, frequentiùs inculcabat: nec illi abnuebant, si modo per regem licuisset. Et profectò illis temporibus res Catholicorum ferè deplorata erat; cùm in amplissimo senatu, vix vnus atq; alter, præter Episcopos, qui se insanis molitionibus opponerent, reperiebatur. Hinc licebat per ciuitates Regias, quæ nullis adhuc infectæ erant hæresibus, conuenticula et coitiones instituere; ministros intromittere, et tot sectas sub nomine consensus mutui propagare,

nemine vel hiscere saltem audente. Nec Rex Sigismundus Augustus obsistere poterat, tot hæresum examinibus, turmatim in regnum ipsius conuolantibus, & sese nunc hac, nunc illuc protendentibus; tanquam si muscas ventilabro abigere volueris, vbi paululum remiseris manum, eædem & multò plures, vel in ipsos oculos agminatim inuolant, & molestia ipsa prope defatigant, crebrius easdem abigere volentem. Nec ausim dicere, vtrum socordia, & ferè supina Pontificum nostrorum oscitantia, vel sacerdotum parum pudica vita, moresq; à professione illorum alieni, non videantur dedisse causam, & occasionem repentini in Ecclesia motus; quos si antea exorituros non præuideris, antequam te ad eos excites propellendos, magnam interea stragem edent, nec facilè insolentiores compescueris, vel flammam extinxeris, cùm incendium suprema occupauerit tecta. Eiusmodi igitur freta culminibus, fex tota ministrorum, tanquam ad pileum signo dato, Sendomiriam more locustarum conuolauerat, & cùm ἀταραξιάν quandam se animo concepisse, iactabant, ἀταξιάν & suorum capitum confusionem, nobis vel vitandam, vel deridendam reliquêre. Excutiamus quæso singula, nec molestum sit si à mea Sendomiria non tam facile me auelli patior. At primùm colluuies illa hæreticorum in ipso vestibulo libri (scriptum enim illud sine nomine authoris & Typographi prodierat) protestatur se, non simulata sed sacrosancta, concordia coniunctam esse, & vt fratres habitare in vnum. Ab aduersarijs verò iniquè & calumniose sibi obijci discordiam, cùm omnes Euangelici in sancta pace, sint copulati, & per regnum Poloniæ conueniant,

ueniant, in doctrina fundamentoqué fidei. Deinde aiunt Confessionem Augustanam, Bohemicam, & Helueticam, a se examinatas, in præcipuis articulis fidei Christianæ, & cum scriptura sacra, & secum inuicem concordes esse deprehensas. Demum persuadent omnibus Euángelicis, vt se accingant ad referendas Deo gratiarum actiones, quod ad mutuum consensum, & concordiam dissidentes animos perduxerit. Híc risum admissi teneatis amici. Audite quendam Danielem Michalouium Ministrum Radzieiouiensem, de hoc consensu ridicule disserentem. Perstat, inquit, tanquam murus aheneus Euangelicorum, per inclytum Poloniæ Regnum, consensus Sendomiriæ factus. Et rursum, non commemoro, inquit, exterarum Ecclesiarum Poloniæ nostræ, de hoc tam memorabili facinore, plurimas gratulationes. Nonné hoc est Plautinum immune facinus, quæso, tam egregiè mentiri, & in re tam seria, imponere velle hominibus; & naso quocunque volueris ducere? Perstat, inquit, tanquam murus aheneus, quamdiu quæso? vix Sendomiria dilapsi sunt, statim ad ingenium quisque rediit suum, nisi dicas omnes Lutheranos, in vnam eandemqué Zuinglianorum sectam transiuisse, vel Caluinistas in Lutheranam: si quæras ab eis num ita sit, statim Caluinista negabit se esse Lutheranum, Lutheranus verò illico execrabitur Caluinisticum dogma; Nam vsque in diem hanc quotquot sunt vel fuerunt Confesionistæ isti Lutherani, Posnaniæ, Gedani, Regiomonti, Toruniæ, Vilnæ, ea dogmata adhuc tuentur & prædicant,

synagogæ in vnam eandemq; coalescerent Ecclesiam, ad eam rem accersitos quoq; Regiomonto fuisse quosdam Theologos Lutheranos, tantùm absuit, vt aliquam concordiam inuenerint, vt potius magis exacerbatis animis discesserint: & hucusq; videre est, vnamquamque synagogam proprios prædicantes, propria dogmata, proprios ritus retinere, nec quidquam commercij inter se habere velle. Certè Lutherani nullum ad communionem suam accedere patiuntur; antequam Caluinismum abiurauerit, Gedani Caluinistæ, quomodo cum Lutheranis conueniant, omnibus notum est, ita vt de illis verè dici possit, quod dictum est à Spangebergio Lutherano de Antuerpiensibus, cùm adhuc essent in potestate Auraici, vt refert Staplet: Erecta enim erant templa separata Martinistarum & Caluinistarum, ita vt nefas censeretur, alterum ad alteriùs templa, cultus aut religionis causa accedere. Hic Spangebergius veniens Coloniam, quodam ex illo percontante, quis rerum status esset Antuerpiæ, respondit: Christum ibi pendere inter duos latrones, Papistas & Caluinistas; Gedani verò inter Lutheranos & Caluinianos tanquam inter duos latrones rectè dixeris pendere Christum, adeò scilicet inter se sunt concordes, vt eorum concertationes prope abest, ne in seditiones excrescant, quòd et aliquando futurum speratur; quanquam non desint qui Caluinistis impensius faueant; quos collectis viribus, Lutheranos inde pulsuros vaticinantur, prout ex Saxonia Caluinistæ pelluntur, et proscribuntur, è Palatinatu Rheni simili modo Confessionistæ et Martinistæ. Quid verò in Anglia, in qua

Lib: 4. de Eccl. C. 13.

quotquot sunt in Polonia hæreticorum: ibidemq; frequentius Synodos cogi & decreta reformatoria promulgari solere. At nunc si quis ex illo Heluetico Tugurino ministrorum grege Sendomiriam appulerit, quid censes, si nullum repererit Caluiniani dogmatis sectatorem dicturum? si populum frequentem, ad templa Deo Opt. Max. dicata, quotidie confluere animaduerterit? Si inter tot templa Catholica nullam synagogam Luthernorum, nullum cœtum Caluinisticum conspexerit: & quòd præcipuum est; si Societatis Iesu Collegium assurgere, atq; nobilitatem et pubem Polonam, pietate Catholica imbuendam & ignominiam ex illa prima hæreticorum confessione contractam, Orthodoxa & auita confessione aboleri, vel oculis vel auditu perceperit? Mirabitur profectò vanitatem, & impostunis illius primæ confessionis Architectorum; detestabitur illum iactabundum, & vertiginosum spiritum, quo correpti, persuadere omnibus volebant inter Euangelicos, & Lutheranos, nihil iam discriminis esse, composita omnia, & redacta in concordiam videri: ideo promulgari per totum regnum debere, Deo ingentes, vt haberentur gratiæ, ab hymno tamen: Te Deum laudamus abstineretur, ne propinqui Rakouiani Anabaptistæ offenderentur. Deinde potius deploraret, si accepisset hanc celeberrimam Sendomiriensem confessionem, iam in Rakouianam commigrauisse, tantum abest, vt se inuitari ad aliqua signa lætitiæ habenda pateretur: ex illa enim hæc orta est, vt ipsius germen proprium censeatur.

CAPVT XXIIII.

Confeſsionem Sendomirienſem magna ex parte in Rakouianam defluxiſſe, & ab ea, ad Eccleſiam Catholicam plurimorum locorum receptus.

HIC interſeruit ſuam quoq; interrogationem Marciſouius. Cuperem equidem ſcire rationem iſtius monſtroſi partus, cùm videam, hanc ab illa plurimum diſtare, neq; adeò Caluiniſtis cum Rakouiſtis benè conuenire, quamuis ſe mutuò propugnent, nec iſtos bis tinctos à confœderatione, qua cautum ſibi de ſecuritate religionis ſuæ volunt, excludi debere inducunt in animum. Tùm Cochleuius, libro inquit non alloquijs opus foret ad eam rem quam proponis demonſtrandam, tot colligi poſſunt euidentiſſimæ rationes, vt multas implere poſſint chartas. Satis verò erit, vt tibi morem geram, ſi vnicam rationem ex confeſſione Sendomirienſi depromptam, attulero. Contendit hæc omnibus modis perſuadere fratribus ſuis, ſcilicet Euangelicis, hanc confeſſionem ſuam, veræ & genuinæ Eccleſiæ eſſe notam quam conſtituere vult, in vera ſcripturarum doctrina, & vero vſu Sacramentorum. Iam vides progreſſum ad partum. Hoc enim dicere & affirmare, nihil aliud eſt, quàm cùm quis noſſe cupiat vbi Sendomiriæ maneat Cichocius, reſpondeat alter, in Parochiali domo, cùm ille verò percontetur, vbinam hæc domus Parochialis ſita eſt, ſubinferat ille, ibi eſſe vbi manet Cichocius.

m *Ad eundem modum si interroges istos Confessionistas Sendomirienses, quos iam Sendomiria dudum euomuit, vbinam vera Ecclesia sit, respondeant ibi esse, vbi est vera scripturarum doctrina, & vera* Sacramenta, *deinde iam subinferas vbinam sit vera doctrina & vera Sacramenta: respondeat ibi esse, vbi est vera Ecclesia: idem est ac si quæras, quodnam priùs sit natum, Ouum an gallina: & sic impij incircuitu semper ambulabunt, non vt videantur velle demonstrare Ecclesiam, verùm potiùs de industria obscurare. Id cùm arripuissent Anabaptistæ, eodem modo persuaserunt Confessionistis Sendomiriensibus, apud se veram Ecclesiam esse, non apud Caluinistas, cùm ipsi à puritate verbi diuini ne transuersum vnguem se discedere affirment: nihilq; admittere quod in scripturis expressum esse non videant.* Sendomiriensis *verò Confessio, multa credit, plurima tuetur, quæ nullibi in scriptura inueniuntur, proinde, & apud se esse verum vsum Sacramentorum, præsertim baptismi, ad quem neminem admittunt, nisi quis credat, & ore fateatur, se velle baptismo initiari: inde sublatis nidis præcipuis, in quibus feruebat Sendomiriensis fidei professio, agminatim Rakouiam concurritur, & incendium hoc latius serpit, cùm Caluinistæ suis retibus irretiti, contra illos disputando nihil proficiunt. Et si quæras qui præcipui nidi, vel incunabula Caluinistarum fuêre: reuoces in memoriam Pinczouiam, Niedzwiedzum, Stradorum, Dubieckum, Zochouium prope Sendomiriam nostram, Stobniciam, Gozlicium, Czyzouiam, Rzemienium: & in Lituania Nieswiezum, Beresciam, vt prætereàm*

eam quasdam Regias ciuitates, præsertim Cracouiam, ibi iam ne vestigium Sendomiriensis istius consensus inueneris: nam vbi iugiter blasphemabatur nomen Domini, iam restitutis in suum decorem pristinum Ecclesiis, laudes diuinæ Catholico ritu, noctes diesq; celebrantur. Sendomiriæ enim nunquam fixas habuit sedes hæc colluuies hæreticorum, nec vnquam locum aliquem pro synagoga excitanda, obtinere potuit, imò nec conuenticula ob concionum exercitium vnquam permissa. Extant quidem aliquot synagogæ, quas cætus vocant, Sendomiriam circum; sed eæ satis obscuræ, vt Ozarouiæ & Niekrasouij, excepta illa præcipua Baranouiensi, in qua Caluinismus depressum caput quodammodo attollere videtur, & illa altera Malicensi ex Catholico templo in speluncam abominabilem transformata; sed quæ harum est comparatio ad illas priores celeberrimas, ad quas tanto feruore ad propagandum Caluinismum per turmas conuolabant ministri, plerumq; odijs vatinianis inter se decertaturi? adeò vt tota Polonia iam ad Caluinismum versa, & sectarum feracissima existimaretur. Nunc verò multi nobiliorum procerum execrati, hanc decantatam, & toto regno sparsam Confessionem Sendomiriensem, in sinum & gremium Ecclesiæ Catholicæ se recepêre: nonnulli verò ex eadem prognati confusione, seu confessione, tanquam viperæ, dissecto matris impiæ vtero, Rakouianæ meretricis ventri se perficiendos & nutriendos tradidêre; inde viperarum ingens, in hoc regno prouentus, inde blasphemæ voces, in sanctissimam Trinitatem, & vnicum Dei filium, agminatim erupe-

eruperunt, solemquè clarissimum, illud æterni Patris Verbum, ita obfuscàrunt, vt Confessioni Sendomiriensi nihil luminis relictum esse videatur. Et si hæresum initia cum fine contuleris, illa quæ fragosè & præcipitanter decurrere, & tanquam amnes impetuosi, receptis in se tot hæresibus, extra ripas vagari & luxuriari cœperant, nunc in fines angustos redacta, vt vix in quasnam hæreses defluxerint, vel in quas tenebras se immerserint, dignoscere queas. Desinat igitur hæreticorum colluuies, iam tandem confessionem istam fictitiam Sendomirien: iactare, quam impostura imprudenti suarum partium esse vulgo persuadere nitebantur. Placuit admodum hæreticis hic locus; placuerat & Stanislao Sarnicio, qui ex ministro Caluinario cum fastidiret se, Ministrum vocari, repente eques & Cataphractus Polonus factus est, qui etiam suos Annales quos de origine & rebus gestis Polonorum, quasi Cromerum illum magnum emendaturus conscripsit, & mendacia suis illis præclaris annalibus, & vanis leuibus ac pene anilibus fabulis infarsit, apertissimum se prodens hæreticum, quamuis id videbatur velle occuluisse, immiscuit, & tamen Sendomiriam, talibus exornat elogijs: Sendomiria*, inquit, sedes secundogenitorum fuit, cum Reges hæreditabant, nascebantur, non eligebantur. Est locus ille supra modum amænus, & delicatus: Vineæ istic coluntur: Pomaria vbiq; patent ita vt putes, vndique syluas circumstare. Tanta ibi est copia nobilissimarum frugum. Propterea Cazimirus Magnus, & alij reges eo ad capiendam auram animi causa progrediebantur. Auxit*

xit loci beneficium ciuium ipsorum vrbanitas, coniuncta cum alijs oblectamentis. Inuenias ibi præstantissimos Medicos, Musicos, potus varia genera, & hilarem clerum,

Hæc Sarnicius, *cuius testimonio quamuis in cæteris fidem abrogatam habet hic non illibenter vtimur.*

LIBER

LIBER SECVNDVS,

continens Capita vnum & triginta.

CAPVT X.

Ligęzarum de Bobrek perpetua in fide Catholica constantia, vnico Theodoro excepto, cuius posteritas tota Catholica euasit.

CAPVT XI.

Cnieuosorum Familię in religione reciprocatio, pręsertim Martini Gnieuosii, Eius coniugis pietas, & erga templa affectio, Tum quales Didinii filii eiusdem.

CAPVT XII.

Czyzouiani templi ad Catholicos Czyzouios reuolutio, itidem Curozuecensis Zbignei Lanczkoronscii, Petri Tarlouii laus celebrata, & eorum qui Sendomiriensi nobilitati in vtroque foro iura dicunt.

CAPVT XIII.

Familię Sendomiriam & Radomiam circum. nonnullę recensentur, tum quas hęresis nondum attigerat, tum, quę habeant paucos permixtos hęreticos, inde ad Lublinenṡ districtum, transitus.

CAPVT XIIII.

Maior Polonia vnde & à quo infecta, ex Gorcanis bonis ministri & eorum scholę profligatę, eorum successores, Czarnkouii & Zamoyscius, ex Ostrorogis, Potuliciis, Opalinsciis, Lesciniis, qui Catholici?

CAPVT XV.

Gostomię gentis ad Catholicismum reditus singularis, pręsertim Hieronymi Palatini Posnanien: cum hęreticis congressus quales?

CAPVT XVI.

Apologorum eius in refellendis hęreticis mira promptitudo.

CAPVT XVII.

Concitatioris quandoque & ad iracundiam propensioris animi eius, condonatio à veritate non aliena.

CAPVT XVIII.

Operum eiusdem Munificentia & liberalitas in templa xenodochia, & quemuis ordinem religiosum, succincta collectio, tum erga regem suum fides & sollicitudo.

CAPVT XIX.

In Ma-

In Masouiam transitus. Ex hęreticorum insignioribus familiis, qui ordini Ecclesiastico inserti, vel quàm pręclari viri Catholici ex Masouia prodierunt, pręsertim sub auspiciis Martini Szyskouii, Antistis Plocensis.

CAPVT XX.

Quibus propugnatoribus Catholica religio in plerisque Prussię locis hactenus conseruata: Introductis ad Monasteria antiquitus fundata Deo dicatis virginibus religionis professione & familę splendore insignibus.

CAPVT XXI.

Per quem in Lithuaniam hęresis irrepsit, Radiuilorum ad Catholicismum regressus.

CAPVT XXII.

Chodkieuiciorum, Sapieharum, Voinarum, Volouiciorum, Pacorum, Tiskieuiciorum, & aliorum multorum ob fidei Catholicę professionem celebre nomen.

CAPVT XXIII.

Zamoscii Magni Cancellarii & exercituum ductoris Encomia.

CAPVT XXIIII.

Russia, Podolia, Volhinia, ex Schismaticis & Hęreticis, quos habeat Catholicos.

CAPVT XXV.

Illustrissimi Ducis Ioannis Ostrogii, Comitis à Tarnow, Castellani Cracouiensis, religionis Catholicę à pueritia, amplexus.

CAPVT XXVI.

Fratris eiusdem Ducis Constantini ex Schismaticis erroribus, emersio.

CAPVT XXVII.

Quis & quantus fuerit Constantinus senex pater eorum. Posteritatis Ducis Alexandri Ostrogiensis, in Catholica fide profectus, Zaslauiensium Ducum & aliorum Volhiniæ procerum, ad ritus Romanos accessio.

CAPVT XXVIII.

Stephani Bathorei regis, inuictus in tuenda religione Catholica, ani-

mus, Collegia patrum Societ: IESV, & templa magnis sumptibus ab eo erecta & ædificata.

CAPVT XXIX.

In Suecia sub Ioanne rege introduci cęptus Catholicismus, tum propensus eius ad Catholicismum animus.

CAPVT XXX.

Iactata fluctibus in Suecia à Carolo Sudermano Catholica religio Sigismundi tertii Serenissimi regis nostri Catholicę religionis assertoris, feruentissima pietas.

CAPVT XXXI.

Eiusdem insignia opera in propaganda Orthodoxa fide recensentur, Cracouię SS. Petro & Paulo templum ingentibus sumptibus excitatum, & patribus Societ: Iesu addictum, tum Petri Scargę sepultura, condecoratum, Collegium Orsanense ab eodem fundatum.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quinam præcipui authores introductorum in Poloniam Ministrorum fuêre, quorum portentosa nomina commemorantur. Tunc qui primum signum à congressu hæreticorum receptui dederint, Ololiniam gentem hoc in genere laudem mereri non postremam.

QVandoquidem iam propositi mei, de varijs hæreticismi cum Catholicismo collusionibus, & iactationibus, scopum attigimus; & quasi diuersam à superiori tractationem ingressuri sumus, hæc murmura apum relinquamus: & in patentiorem secedamus locum. Quernæ istæ arbores domesticæ & robora non tamen densis ramis inter se connexa, permittent perflare aërem, leuem tantùm sibilum nec sanè molestum moturæ, nihilominus nos vmbra sua à transuersis, & paulò decliuioribus radijs solis, protecturæ. Tum Cochleuius, rectè mones Cichoci, capit enim plerosq; fastidium vnius loci, eundum igitur est: & videte ex hoc nemore quàm liceat patentiores campos, & multos, vicinam illam viam prætergredientes, intueri: hinc enim soleo prospectare aduenientes ad me amicos, nec piscinæ longè absunt, quæ si opus fuerit refrigerantem nobis suppeditabunt auram. Licebit vel deambulando, vel

etiam assidendo oportunos extrahere sermones, cùm non longè è domo subsellia petenda sint, colloces ea puer, & in triangulum aptè dispone. Iam verò Cichoci aggredere, iactatos hos ex confessione ista Sendomiriensi fluxus & refluxus, nobis explicare, mutuam tibi operam cùm opus fuerit etiam accomodaturis. hîc igitur ego incipio. Ad quosnam initia istius lernæ Sendomiriensis Confessionis referenda sunt, non magni refert, si ignoretur Cochleui, tamen vt ex quorundam Archihæresiarcharum scriptis, præsertim Stancari, cui multa intercesserunt cum suis comministris iurgia, & altercationes colligere possum, Stanislaum Stadnicium in Niedzwiec, Hieronymum Osolinium, Stanislaum Droieuium, Martinum Zborouium, Palatinum Posnaniensem, demum Castellanum Crac: Ioannem Remienium, Amorem de Tarnow, Petrum Zborouium tunc Castellanum Biecensem, vt prætercam Firleios, Olesnicios, & plerosq; alios, magnificis familijs ortos proceres: quos Stancarus præsidentes Synodorum, vel arbitros disceptationum & colloquiorum quæ celebrabantur, Cracouiæ, Stobniciæ, Niedzwiedzy, Remieny, Zochouiæ, Pinczouiæ, necnon doctissimorum virorum, peritissimorum scripturarum, titulis & elogiis exornabat. Certè posteritas illorum nobilissima, animaduertens colluuiem illam ministrorum Andabatarum more inter se concurrentem, fœdas antylogias, blasphemiasq; eructantem, odijs implacabilibus & exitialibus sese inuicem collidentem, & deprehensis eorundem calumnijs, mendacijs, artibus quibus imponere solebant incautioribus, non dubitauit se quamprimùm ab his expedire,

et ad

et ad auitam et antiquam religionis Catholicæ et Ecclesiæ Romanæ fidem, recipere. Qui voluerit legat Stancari libros duos, contra Sarnicium et reliquos in Polonia ministros, Anno 1562. editos, quos ille hæreticos, Arianos, Eutichianos, atq; Macarianos, vnà cum Caluino, Bullingero et Philippo Melanchtone, nihilo illis melior ipse, appellat. Sarnicius verò vna cum suis asseclis ministris, Stanislao Lutomirio, Iacobo Syluio, Laurentio Discordia, Gregorio Brzezinio, (vt omittam, Torbas, Sroccas, Kręsicblebos, Biesagas, Pierzchalas, et alia monstrosa et portentosa ministrorum nomina) et si varijs opinionibus de fide et religione inter se digladiabantur: miserum tamen Stancarum ita exagitarunt, vt se ab illis vltra duos menses in carcere detentum, et multa perpessum ille conquerâtur. Quid igitur in tam dira Ministromachia facerent, tot insignes et præclarissimi viri, qui posteaquam paululum illud incendium; quod iam multorum animos corripuerat, se remisisset, et illa vsq; ad conuitia, contentio, aliquantulum deferbuisset, prudentes et suæ saluti optimè consultum volentes recollectis animis, ministros istos fratres Cadmeos, ex suis possessionibus facessere iubent restitutisq; Ecclesiis, Catholicis sacerdotibus, summo studio, summa alacritate, contempto & posthabito, illo Sendomiriensi, qui malè coaluerat consensu: templa Deo Opt. Max. dicata, antiquis possessoribus addicunt, & supellectilem Ecclesiasticam, locupletissima liberalitate instaurant. Vultisne breui percurram, quinam, quibusué in locis tam præclari facti primi authores extitêre? neq; enim fas est, eorum memoriam,

eam quasdam Regias ciuitates, præsertim Cracouiam, ibi iam ne vestigium Sendomiriensis istius consensus inueneris: nam vbi iugiter blasphemabatur nomen Domini, iam restitutis in suum decorem pristinum Ecclesiis, laudes diuinæ Catholico ritu, noctes diesq; celebrantur. Sendomiriæ enim nunquam fixas habuit sedes hæc colluuies hæreticorum, nec vnquam locum aliquem pro synagoga excitanda, obtinere potuit, imò nec conuenticula ob concionum exercitium vnquam permissa. Extant quidem aliquot synagogæ, quas cætus vocant, Sendomiriam circum; sed eæ satis obscuræ, vt Ozarouiæ & Niekrasouij, excepta illa præcipua Baranouiensi, in qua Caluinismus depressum caput quodammodo attollere videtur, & illa altera Malicensi ex Catholico templo in speluncam abominabilem transformata; sed quæ harum est comparatio ad illas priores celeberrimas, ad quas tanto feruore ad propagandum Caluinismum per turmas conuolabant ministri, plerumq; odijs vatinianis inter se decertaturi? adeò vt tota Polonia iam ad Caluinismum versa, & sectarum feracissima existimaretur. Nunc verò multi nobiliorum procerum execrati, hanc decantatam, & toto regno sparsam Confessionem Sendomiriensem, in sinum & gremium Ecclesiæ Catholicæ se recepêre: nonnulli verò ex eadem prognati confusione, seu confessione, tanquam viperæ, dissecto matris impiæ vtero, Rakouianæ meretricis ventri se perficiendos & nutriendos tradidêre; inde viperarum ingens, in hoc regno prouentus, inde blasphemæ voces, in sanctissimam Trinitatem, & vnicum Dei filium, agminatim erupe-

eruperunt, solemquè clarissimum, illud æterni Patris Verbum, ita obfuscârunt, vt Confessioni Sendomiriensi nihil luminis relictum esse videatur. Et si hæresum initia cum fine contuleris, illa quæ fragosè & præcipitanter decurrere, & tanquam amnes impetuosi, receptis in se tot hæresibus, extra ripas vagari & luxuriari cæperant, nunc in fines angustos redacta, vt vix in quasnam hæreses defluxerint, vel in quas tenebras se immerserint, dignoscere queas. Desinat igitur hæreticorum colluuies, iam tandem confessionem istam fictitiam Sendomirien: iactare, quam impostura imprudenti suarum partium esse vulgo persuadere nitebantur. Placuit admodum hæreticis hic locus; placuerat & Stanislao Sarnicio, qui ex ministro Caluinario cum fastidiret se, Ministrum vocari, repente eques & Cataphractus Polonus factus est, qui etiam suos Annales quos de origine & rebus gestis Polonorum, quasi Cromerum illum magnum emendaturus conscripsit, & mendacia suis illis præclaris annalibus, & vanis leuibus ac pene anilibus fabulis infarsit, apertissimum se prodens hæreticum, quamuis id videbatur velle occuluisse, immiscuit, & tamen Sendomiriam, talibus exornat elogijs: Sendomiria, *inquit, sedes secundogenitorum fuit, cum Reges hæreditabant, nascebantur, non eligebantur. Est locus ille supra modum amænus, & delicatus: Vineæ istic coluntur: Pomaria vbiq; patent ita vt putes, vndique syluas circumstare. Tanta ibi est copia nobilissimarum frugum. Propterea Cazimirus Magnus, & alij reges eo ad capiendam auram animi causa progrediebantur. Auxit*

LIBER SECVNDVS,

continens Capita vnum & triginta.

CAPVT X.

Ligęzarum de Bobrek perpetua in fide Catholica constantia, vnico Theodoro excepto, cuius posteritas tota Catholica euasit.

CAPVT XI.

Cnieuoſorum Familię in religione reciprocatio, pręſertim Martini Gnieuoſii, Eius coniugis pietas, & erga templa affectio, Tum quales Didinii filii eiuſdem.

CAPVT XII.

Czyzouiani templi ad Catholicos Czyzouios reuolutio, itidem Curozuecenſis Zbignei Lanczkoronſcii, Petri Tarlouii laus celebrata, & eorum qui Sendomirienſi nobilitati in vtroque foro iura dicunt.

CAPVT XIII.

Familię Sendomiriam & Radomiam circum. nonnullę recenſentur, tum quas hęreſis nondum attigerat, tum, quę habeant paucos permixtos hęreticos, inde ad Lublinenſ districtum, tranſitus.

CAPVT XIIII.

Maior Polonia vnde & à quo infecta, ex Gorcanis bonis miniſtri & eorum ſcholę profligatę, eorum ſucceſsores, Czarnkouii & Zamoyſcius, ex Oſtrorogis, Potuliciis, Opalinſciis, Leſciniis, qui Catholici?

CAPVT XV.

Goſtomię gentis ad Catholiciſmum reditus ſingularis, pręſertim Hieronymi Palatini Poſnanien: cum hęreticis congreſsus quales?

CAPVT XVI.

Apologorum eius in refellendis hęreticis mira promptitudo.

CAPVT XVII.

Concitatioris quandoque & ad iracundiam propenſioris animi eius, condonatio à veritate non aliena.

CAPVT XVIII.

Operum eiuſdem Munificentia & liberalitas in templa xenodochia, & quemuis ordinem religioſum, ſuccincta collectio, tum erga regem ſuum fides & ſollicitudo.

CAPVT XIX.

In Ma-

In Masouiam transitus. Ex hęreticorum insignioribus familiis, qui ordini Ecclesiastico inserti, vel quàm pręclari viri Catholici ex Masouia prodierunt, pręsertim sub auspiciis Martini Szyskouii, Antistis Plocensis.

CAPVT XX.

Quibus propugnatoribus Catholica religio in plerisque Prussię locis hactenus conseruata: Introductis ad Monasteria antiquitus fundata Deo dicatis virginibus religionis professione & familę splendore insignibus.

CAPVT XXI.

Per quem in Lithuaniam hęresis irrepsit, Radiuilorum ad Catholicismum regressus.

CAPVT XXII.

Chodkieuiciorum, Sapieharum, Voinarum, Volouiciorum, Pacorum, Tiskieuiciorum, & aliorum multorum ob fidei Catholicę professionem celebre nomen.

CAPVT XXIII.

Zamoscii Magni Cancellarii & exercituum ductoris Encomia.

CAPVT XXIIII.

Russia, Podolia, Volhinia, ex Schismaticis & Hęreticis, quos habeat Catholicos.

CAPVT XXV.

Illustrissimi Ducis Ioannis Ostrogii, Comitis à Tarnow, Castellani Cracouiensis, religionis Catholicę à pueritia, amplexus.

CAPVT XXVI.

Fratris eiusdem Ducis Constantini ex Schismaticis erroribus, emersio.

CAPVT XXVII.

Quis & quantus fuerit Constantinus senex pater eorum. Posteritatis Ducis Alexandri Ostrogiensis, in Catholica fide profectus, Zaslauiensium Ducum & aliorum Volhiniæ procerum, ad ritus Romanos accessio.

CAPVT XXVIII.

Stephani Bathorei regis, inuictus in tuenda religione Catholica, ani-

mus, Collegia patrum Societ: I E S V, & templa magnis ſumptibus ab eo erecta & ædificata.

CAPVT XXIX.

In Suecia ſub Ioanne rege introduci cęptus Catholiciſmus, tum propenſus eius ad Catholiciſmum animus.

CAPVT XXX.

Iactata fluctibus in Suecia à Carolo Sudermano Catholica religio Sigiſmundi tertii Sereniſsimi regis noſtri Catholicę religionis aſſertoris, feruentiſsima pietas.

CAPVT XXXI.

Eiuſdem inſignia opera in propaganda Orthodoxa fide recenſentur, Cracouię SS. Petro & Paulo templum ingentibus ſumptibus excitatum, & patribus Societ: Ieſu addictum, tum Petri Scargę ſepultura, condecoratum, Collegium Orſanenſe ab eodem fundatum.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quinam præcipui authores introductorum in Poloniam Ministrorum fuêre, quorum portentosa nomina commemorantur. Tunc qui primum signum à congressu hæreticorum receptui dederint, Ololiniam gentem hoc in genere laudem mereri non postremam.

QVandoquidem iam propositi mei, de varijs hæreticismi cum Catholicismo collusionibus, & iactationibus, scopum attigimus; & quasi diuersam à superiori tractationem ingressuri sumus, hæc murmura apum relinquamus: & in patentiorem secedamus locum. Quernæ istæ arbores domesticæ & robora non tamen densis ramis inter se connexa, permittent perflare aërem, leuem tantùm sibilum nec sanè molestum moturæ, nihilominus nos vmbra sua à transuersis, & paulò decliuioribus radijs solis, protecturæ. Tum Cochleuius, rectè mones Cichoci, capit enim plerosq; fastidium vnius loci, eundum igitur est: & videte ex hoc nemore quàm liceat patentiores campos, & multos, vicinam illam viam prætergredientes, intueri: hinc enim soleo prospectare aduenientes ad me amicos, nec piscinæ longè absunt, quæ si opus fuerit refrigerantem nobis suppeditabunt auram. Licebit vel deambulando, vel

et ad auitam et antiquam religionis Catholicæ et Ecclesiæ Romanæ fidem, recipere. Qui voluerit legat Stancari libros duos, contra Sarnicium et reliquos in Polonia ministros, Anno 1562. *editos, quos ille hæreticos, Arianos, Eutichianos, atq; Macarianos, vnà cum Caluino, Bullingero et Philippo Melanchtone, nihilo illis melior ipse, appellat. Sarnicius verò vna cum suis asseclis ministris, Stanislao Lutomirio, Iacobo Syluio, Laurentio Discordia, Gregorio Brzezinio, (vt omittam, Torbas, Sroccas, Kręśichlebos, Biesagas, Pierzchalas, et alia monstrosa et portentosa ministrorum nomina) et si varijs opinionibus de fide et religione inter se digladiabantur: miserum tamen Stancarum ita exagitarunt, vt se ab illis vltra duos menses in carcere detentum, et multa perpessum ille conqueràtur. Quid igitur in tam dira Ministromachia facerent, tot insignes et præclarissimi viri, qui posteaquam paululum illud incendium; quod iam multorum animos corripuerat, se remisisset, et illa vsq; ad conuitia, contentio, aliquantulum deferbuisset, prudentes et suæ saluti optimè consultum volentes recollectis animis, ministros istos fratres Cadmeos, ex suis possessionibus facessere iubent restitutisq; Ecclesijs, Catholicis sacerdotibus, summo studio, summa alacritate, contempto & posthabito, illo Sendomiriensi, qui malè coaluerat consensu: templa Deo Opt. Max. dicata, antiquis possessoribus addicunt, & supellectilem Ecclesiasticam, locupletissima liberalitate instaurant. Vultisne breui percurram, quinam, quibusué in locis tam præclari facti primi authores extitêre? neq; enim fas est, eorum memoriam,*

quasi sicco transire pede. Meministis fortasse duos Illustres Osolinios gente Toporos, Hieronymum Castellanum Sendomiriensem, & Nicolaum, acutos ingenio, & eloquentia viros, ob prudentiam Polyticam, eamq; singularem, omnibus acceptissimos, qui cùm primùm ad scholas hæreticorum, extra regnum missi fuissent, ibique Lutheranismum qui tum pollebat, auido pectore hausissent, non vulgari eruditione instructi, postquam rediêre; in hunc ministrorum turmatim in regnum conuolantium, confluxum inciderunt; quos crebrius coactis conuenticulis, in concordiam reducere conati, vt ex eodem Stancaro *colligimus, perturbatam religionem in regno relinquere coacti, in alterius vitæ iudicia, & disceptationes transiêre. Nunc mihi quæso aduertitote animum, & oculos in eorum posteritatem defigitote. Illustris Zbigneus Osolinius, Palatinus primum Podlesensis, nunc Sendomiriensis, vnà cum fratre suo germano Nicolao, quem immatura satis morte sublatum, magnifico funere apud fratres sodalitij* Bernardinorum *Opatouiæ, mærens extulerat, postquam ab externis præcipuè ab Ausonicis oris reuersi sunt, ibiquè vnanimem in eadem fide conspirationem primùm admirati, tandem tot mendacia & scommata, quibus Catholicos & Romanam Ecclesiam tantùm non obruebant conuiciatores ministri, detestati, illico se ad ministros pellendos, & restaurandas Ecclesias accinxêre: ac primùm* Gozlicio *abire iussis, templum elegantis ex sectis lapidibus structuræ, vnà cum dote pertinente, legittimo pastori, plurima supellectili importata, tradidêre. Quis verò debitis laudibus extulerit hunc ipsum Illustrem Zbigne-*

Zbigneum & Senatorem amplissimum, acerrimum Catholicæ & Romanæ fidei propugnatorem? quis non suspiciat illud promptum & acutissimum in decernendis controuersiis iudicium, illam facundam & expeditam linguam, cui tantæ gratiæ in ore, tantum robur in pectore, vt vno ictu, insultus hæreticorum depellere, & friuolas pugnantesquè illorum ratiocinationes, vno flatu dissipare, & in ventos dispergere, & illorum argumenta futilia in laminas tenues diducere & distendere optimè norit, & soleat, quo artes ex mendacijs consutas quilibet deprehendere non difficulter possit? Quid verò putandum est de filijs eiusdem iam adultis, Christophoro, Maximiliano, & Georgio, illis ex Senenia, hoc verò ex Firleiæ domus matre prognato, qui ad stirpis suæ generosissimæ decus & ornamentum, ad suauitatem, & elegantiam morum, peragratis oris illis in quibus acutiora gignuntur ingenia, tantam eruditionem adiunxêre, vt nobiliores, an doctiores sint, non facile dijudices, Catholica pietate imbuta illa pectora Osoliniorum gentem proculdubio Deo gratissimam & piorum laudibus prosequendam efficient.

CAPVT II.

Hieronymi Osolinii, Abbatis Copriwnicensis Encomion, eiusque fratris Iacobi è Societate Iesu, piissimi & eruditi adolescentis, mors acerbior & præcox, non tamen deploranda.

At

AT verò si reflectendus erit animus ad Nicolai Osolinij, viri æquè perillustris posteritatem, en statim incurrit in oculos Reuerendissimus Hieronymus Osolinius, claræ prouinciæ siue Coprzywnicensis, vel vt vulgi sermo obtinuit, Pokrzywnicensis Antistes & Abbas, filius natu maior, qui præter id quòd è stemmate generoso stirpem inclytam trahit, nec vllius nobilitate minorem, ea tamen morum comitate & composito quodam animi ex grauitate & affabilitate vultu præditus est, vt omnium mentes ad se amandum & colendum, tanquam hamo quodam allicere videatur. Cæterùm in tollendis ex amicorum dissidentium offensionibus, & componendis inimicitiis, adeò promptus, feruidus felix, vt passim ad id officij genus, ab amicis accersatur: in persuadendo enim magna dexteritate vtitur, cum animos in fœdere cogit, demulcet verbis suauioribus, irritatos, quandoq; etiam terret impendentium malorum, nisi conuentum fuerit, periculis. Nec existimetis paruo id ipsi constare solere, vel à sua professione alienum putare. Habet D. Bernardum familiæ suæ Cisterciensis præcipuum lumen, in sedandis & componendis grauissimis, quæ ipsius temporibus emergebant controuersiis, summa cum laude, vel potius fructu versatum, id'q; non modò inter conditionis inferioris homines; verum inter Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, qui quanto altiorem gradum obtinent, tantò difficilius odia & rancores, deponere, & ad concordiam reuocari consueuerunt. Hic pater Romæ tumultum à Petro Leonis excitatum prudenter compescuit, Moguntiam profectus est, vt inter Imperatorem Lotha-

Lotharium & Conradum successorem transigeret, hic inter Episcopum, & populum Remensem grauissimas composuit lites, eodem modo inter Metenses, & vicinos quosdam viros principes, pacem fecit, & alia schismata Ecclesiastica, & motus Polyticos, magna grauitate, & authoritate compressit. An vero hanc placandorum animorum, & ad mutuum amorem reducendorum, sollicitudinem, et curam, inter magnas, et præcipuas virtutes non reponemus? Pulchrè S. Basilius digressionem à malo, principium tantùm profectus esse dicit, desinens autem in ipso actu, et operatione; omninò autem faciliùs est otiari, quàm qualecunque opus facere: verbi gratia, non occides, non mechaberis, non furaberis, his omnibus otio tantum et immobilitate opus est. Atqui diliges proximum sicut teipsum, et his similia præcepta, actiones sunt, athletis et perfectis competentes. Hæc Basilius. Quæ verò maior dilectio fingi, aut cogitari potest, quàm æstuantes inimicitijs, propinquorum animos, in vnam eandemq; voluntatis consensionem reducere, et glutino quodam connectere? Paphnutio Abbati in solitudine vitam agenti, reuelatum est, quendam Heracleæ illius regionis vrbe, sibi vitæ meritis parem esse: et quærens inuenit eum quidem, et vxorem, et filios habere, sed post secundam susceptam prolem, castitatem cum ipsa seruare, iustitiæ studere, pietatem colere, et hoc præcipuè in more habere, vt si quos inter se odio distractos cognouisset, continuò in gratiam reducere niteretur, assidua cura in reconciliandis animis dignum fecit, qui Eremi cultoribus esset æquandus, et si contemplationem excipias, fortè etiam præferendus.

In Psal. 1.

dus. Hac etiam virtute, cùm multos alios superet hic noster præstantissimus Abbas et Præsul: certè non in scholis hæreticorum, vbi tot dissensionum, tot iurgiorum perstreperæ voces gignuntur, verum ab ipsis vberibus Catholicæ et Romanæ religionis, tanquam matris indulgentissimæ, quæ suos liberos vnico amoris nexu deuincit, hausisse existimandus est. Taceo multas alias Ecclesiasticas, et tali viro dignas virtutes, liberalitatem, hospitalitatem, serenum illum ad quæuis etiam acerbiora vultum, vt non memorem, erga cultum diuinum promouendum (cum hæc ipsius propria professio sit) propensionem, et zelum imensum, tum expeditam in redarguendis hæreticis, vel potius confundendis, verborum vim, quibus ita plerunq; conficiuntur, vt non alterius tantopere, quàm ipsius motos de religione sermones, vitent, nisi ludibrio et risui exponi velint. Nec scio, quo pacto recenseam fratrem eiusdem minorem defunctum Iacobum Osolinium, pijssimam illam, et ab omni labe, et contagione carnalis concupiscentiæ, alienissimam animam: innocentia verò, puritate vitæ tanta, vt quosdam in ea opinione fuisse audiuerim, qui ipsum inter duos beatissimos adolescentes, Stanislaum Kostkam, et Alosyum Gonzagam, quos Apostolica sedes in numerum beatorum Confessorum retulit, medium collocare non vererentur, imò faterentur Societatem Iesu, quorum institutum à teneris, hic adolescentum numerus ternarius, amplexus est, veluti tribus stellulis exorientibus, ita illustratum, vt plurimi non admodum prouectioris ætatis adolescentuli, renitentibus parentibus et propinquis, sub vexillum nominis

nis

nis Iesu, horum exemplis prouocati, conuolare & militiam profiteri non erubuerint. Spectauistis vnà mecum, cum essetis apud me, illum pudicum, & prope Angelicum vultum; illam spirantem ex oculis, & se ex toto corpore exerentem, plusquam virgineam verecundiam; illam erga quosuis animi submissionem, affabilitatem, prudentem modestiam, omniaqué verba & sententias expendentem, quaslibet profanorum sermonum illecebras, demissis oculis à se amouentem: si quid verò pij, & serij interponebatur, satis illi fuerat modica alacritate, & nutu, dicta excepisse. Non passus est Deus, credite mihi, hunc insignem adolescentiæ florem, tanquam falce decussum, exarescere, sed euocatum ad se, prius tamen acerbo casu cruris fracti expolitum, tanquam viuum lapidem sacris ædificijs inserere voluit. Nam è domo, & cognatione sua eductum vnico eidem exemplari, quod sequeretur relicto, fratre videlicet Hieronymo, Præsule & Cœnobiarcha dignissimo, Romam profectus, & ibi institutum Societatis Iesu amplexus: curriculo studiorum absoluto, in patriam remissus, in ipso ad labores procinctu magno Societati & familiæ suæ desiderio relicto, ad cæleste regnum translatus est. Et quoniam pronam ad subeundos quoslibet labores attulerat voluntatem; non est dubium Deum præpotentem præmia eorundem, quibus in cælo frueretur ipsi decreuisse. Mihi non dubium est, ipsum pro fratre suo Nicolao, quem vnicè diligebat, impensius orare, vt amotis his omnibus contorsionibus, quæ animum ipsius varijs adhuc opinionum flatibus distendunt; quamprimùm Ecclesiæ Catholicæ aggregari

queat. Nec putetis velim, me omnem spem de illo abiecisse; præclaræ virtutes eius, quas ipsa natura pectori inseuit, illa modestia, sobrietas, continentia, benignissimi & placidissimi mores, mihi omninò persuadent, eum quandoque concoctis sensim erroribus, ad gremium Catholicæ Ecclesiæ, quæ eadem cum Romana est, se recepturum. An non præclaram edidit suæ voluntatis significationem? dum Patauij in illo literarum theatro versaretur; nonne magno conatu ad Diui Antonij, quem Patauini absolutè sanctum vocant, consecutus est, vt gens Polona more aliarum nationum haberet potestatem peculiaris sepulchri, in quo defunctorum corpora conderentur; quin etiam ad eundem locum altari erecto, sua effecit sollicitudine, vt pro animabus defunctorum Polonorum, ibidem sacrificia annua, peragerentur.

CAPVT III.

Zborouiorum ad fidem Catholicam regressus, tum Myszkouiorum, & Cikouiorum.

Apparet, inquit Marcisouius, Cichocium toto affectu in exornanda & celebranda stirpe Osolinia ferri: cuius auspicijs de Collegio Sendomiriensi fundando prius cogitari cæptum est, & Cichocium licet sua sponte currentem, non mediocriter tamen ad hanc cogitationem suscipiendam, excitatam, vel potius inflammatam dixerim. Nam ad id opus promouendum, primus omnium Illustris Podlachiæ,

prius

prius, nunc Sendomiriensis Palatinus bona quædam sua, quæ poterant, teste eodem ipso Cichocio, ad aliquot millium florenorum sum̃am æstimari, se inscripturum promiserat, & Reuerendissimus Abbas amplam aream pro Collegio addixerat prout & nunc videmus eandem aream, in ambitu Collegij Sendomiriensis contineri. Verùm posteaquam ille verè magnus Hieronymus Gostomius, Palatinus Posnaniensis, ad Capitaneatum Sendomiriensem inauguratus est, vt erat magnanimi, & liberalis vir ingenij, statim arripuit ab eodem Cichocio fundandi Collegij propositam occasionem, tunc demum toto incubuit conatu, ne à quoquam tam insignis operæ pretij, palmam sibi eripi pateretur. Quanta verò sollicitudine rem totam peregerit, satis puto in Anathomia Cichociana declaratum: non possum tamen me continere, quin tibi reuocem in memoriam Cichoci, Andream Zborouium, Castellanum Radomiensem, & filium eius Martinum, non satis tempestiuè defunctum, Catholicæ religionis perferuidum sectatorem, & reliquos eiusdem familiæ insignes Catholicos, præcipuè verò Petrum Zborouium virum Catholicæ religionis tenacissimum. Constat enim ex tuo iudice quem tu nobis exhibueras, Petrum in angusta re familiari, pro initijs Collegij Sendomiriensis fundandis, mille florenorum, adscripsisse summam; qui etsi vtroque parente hæretico natus esset: atque ex familia ortus, quæ ferè prima dogmata hæresibus infecta, ad nos inuexerat, semel tamen haustam apud inclytum Bauariæ ducem Romanæ Ecclesiæ doctrinam, ita retinuit vt nullis maternis execrationibus, se ab ea abduci passus fuerit vnquam.

Hoc vnum ei dolebat, quòd à Ministris, templum oppidi sui Iwaniska dicti, occupatum esse videret, matre aduitalitio, vt vocant, iure se tuente, quòd cùm ferre non posset, iniuit rationem, vt ex pacto hæc bona, cuipiam Catholico venundarentur, quòd cùm assecutus esset, dedit operam, vt ministri inde quamprimùm eijcerentur, quòd & factum est. Pannonicæ stirpis præclarum coniugem suam, cùm reddidisset Catholicam, filios ex ea susceptos, tanta sollicitudine enutriuit, vt optimam spem concipiam illos quandoquè Romanæ sedis fore acerrimos propugnatores: cùm nullus iam ex gente Zborouiana reperitur, qui non sit Catholicus, ita Deo Opt. Max. totam expectationem Ministrorum, reflantibus ventis, dissipare non erat difficile. Et quocunque oculos ad familias insignes, quæ ex introductis hæresibus, à præconibus istius noui Euangelij, mirificè celebrabantur, conieceris; videbis illorum posteritatem, feruenter priscam religionem tueri: ad quam extirpandam parentes illorum, toto conatu cùm incubuissent; illi è contrario, totis viribus eandem restituere nituntur. Hinc Pinczouia Olesniciorum quondam, quam magnus ille Hosius prostibulum hæresum & meretricem sub qualibet arbore se prosternentem, vocauerat; non iam amplius sedes est Hæreticorum, sed Pauli primi Eremitæ religiosæ sodalitatis domicilium, templumquè à tot blasphemis rebo ʒtibus repurgatum: Deo vni & trino, ritu Romano, celebrando & laudando, iterum addictum. Quid verò de Illustri Marchione Sigismundo Myskouio de Mirow, supremo regni Marsalco, illius oppidi nunc domino dixerim? cuius maiores, in promouendis

uendis hæresibus inter præcipuos numerabantur, qua sedulitate Catholicismum promouerit, eandem Pinczouiam aduocabimus testem, & plerasq; ab eo, vel potiùs à Petro Myskouio, Episcopo Cracouiensi, patruo suo, restauratas, & auctas Ecclesias. Nec sicco, vt aiunt, pede transeundus est Stanislaus Cikowski, Succamerarius Cracouiensis, qui per omnes sectas ferme peruagatus, vnà cum fratre suo, signum toti familiæ suæ receptui dedit, & in castra Catholicorum magno iudicio concessit, nec per tot Decades annorum, deserenda sibi esse putauit, vir lagatione Anglicana clarus, et de Repub. in omnibus conuentibus optimè meritus. Speramus posteritatem eius tanti parentis non degenerem futuram.

CAPVT IIII.

Illustris Nicolai Olesnicii Castellani Radomiensis, ad auitam maiorum suorum fidem, & religionem receptus, Zbignei Olesnicii Cardi: Episc: Crac: laus.

ABrumpere hic ego volebam cursum verborum Marcisouij; tunc ille: sine Cichoci, nondum expediui, quòd animo conceperam. Præteribonè Illustrem Nicolaum Olesnicium Castellanum Radomiensem præclarissimum, & de Repub. benè meritum virum, immò tot pro Repub. laboribus, cum summo rei domesticæ dispendio, perfunctum, vt mirum sit quomodo bona ipsius tot oneribus ferendis suffecerint,

rint, præsertim si legationem illam nuptialem Moscouiticam, et integri anni arctiorem detentionem pro Rege suo, considerauerit, atq; vtinam eius salubrioribus consilijs fuisset obtemperatum; fortasse nunc in Moscouia, omnia haberemus expeditiora. Eius maiores cùm ex arce Pinczouiana, per totum regnum nefandas disseminauissent hæreses, hic magni illius Zbignei, atauí sui Olesnicij Cardinalis et Episcopi Cracouien: primum præclaras virtutes admiratus, fluctuantem tandem animum ex hæresibus recolligere cœpit, præsertim cùm haberet domi illius actionum monimenta singularia. De eius vita & operibus pulcherrima extant carmina, aureis lineis interserta, sub nomine trium collocutorum, Thomæ, Ioannis, & Gorgiæ, in pergamena vt vocant charta, duodecim folijs constante, cum Epitaphijs adiunctis, vbi eadem ferè omnia recensentur, quæ Dlugossus in ipsius vita exponenda scripta reliquit. Extat & in eodem libro effigies ipsius Cardinalis ad viuum expressa, vndiq; marginibus auro rutilantibus conspicua, quem librum miro, & veteri artificio compactum, Olesnicia domus, instar inæstimabilis thesauri, tot annis conseruat integrum, nec cuilibet concredere solet. Mihi quidem omnia illa persequi, non est propositi mei: ea tamen quæ ad Sendomiriam meam pertinere videntur, præterire & sicco, vt aiunt, transilire pede, nec ius, nec fas esse dixerim, & vt repetam non illa quidem domus antiquissimæ, & nobilissimæ primordia & incunabula, de quibus etiam inter eos, qui eiusdem gentis sunt, hoc est Olesnicios, & Siennenios, quænam earum ab altera originem ducat, & deriuetur,

uetur, sæpius controuertitur; satis erit illos commemoraúisse, qui ad ordinem Ecclesiasticum præsertim verò Sendomiriensem, tum qui ad districtum, vel Palatinatum eiusdem nominis, in quo officia publica cum summis honoribus coniuncta gessêre, pertinuerint. An ignoratis illud primarium lumen Olesniciorum, Zbigneum Cardinalem, commemoratum Episcopum Cracouiensem, in vestra Collegiata Ecclesia Sendomiriensi, cum relicto militari baltheo, in quo periclitantem à ferociente Dipoldo Germano Regem suum Wladislaum siue Iagellonem, protexerat, totum se ad dignitatem status Spiritualis transtulisset, Scholasticum Sendomiriensem primùm, demum Clepardiæ ad S. Florianum Præpositum renunciatum esse, post ipsi ampliora sacerdotia in Cathedralibus Ecclesiis adiuncta. Sed & Academia Cracouiensis gloriari poterit, quòd S. Floriani Præpositum eundem quandoque agnouerit: nam licet Canonicorum ibidem Collegium Academiæ Cracouiensis insertum antiquitus fuerit, tamen longè post, & ipsam Præposituram opera Stanislai Socolouij, Stephani Regis Theologi, viri doctissimi, in corpus Academiæ redactam, ab Academicis obtineri videmus. Zbigneus verò Olesnicius postea in Episcopatum Cracouiensem, demum in Cardinalitiam amplitudinem euectus, tanto amore Sendomiriam tuam prosecutus est, vt ex Collegiata, non admodum tum frequente, multò auctiorem & insigniorem Ecclesiam reddiderit, cum aliquot Parochiales, quæ opulentiores censebantur, eidem Collegio interseruerit, tribus etiam præbendis siue Canonicatibus,

P qui

qui iuris Episcopalis essent adiectis, præter Archidiaconatum, quem plurimis decimis attributis, multò locupletiorem reddiderat. Meminerat enim se à pueritia in schola Sendomiriensi institutum, & prima tyrocinia literarum ibidem hausisse, ac fratrem patruelem Nicolaum qui ibidem Archidiaconatus officio functus est, tum Paulum Iacobum, qui postea Archiepiscopus Gnesnensis renunciatus fuerat, & Demetrium Præpositum Skarmiriensem, & Scholasticum Sendomiriensem, demum Gnesnensem & Cracouiensem Canonicum, in Gymnasio & schola Sendomiriensi, quæ id temporis celebris erat, prima studiorum elementa degustâsse. Filij hi erant Dobeslai Olesnicij Palatini Sendomiriensis, cuius frater erat Ioannes, siue Iasko Olesnicius iudex Cracouiensis, pater istius nostri Zbignei Cardinalis, de quo nobis nunc sermo est. Dobeslaus quidem duodenarium filiorum protulit numerum, Iasko verò siue Ioannem dicere malis, duos tantùm filios susceperat, Zbigneum videlicet, & Ioannem nostri Castellani Radomien: de qûo agimus proauum. Zbigneus cùm in Sienno eiusdem familiæ oppido, natus esset, natali solo, eam præstitit gratitudinem, vt ibidem elegantissimè structuræ Ecclesiam, ex cocto latere condiderit, atq; benè prouisam, & dotatam, non solùm in Parochialem; verùm & in Præposituram Mansionariorum, vt vocant, erexerit: quemadmodum & Olesnicense, sui paterni pagi, quòd nunc oppidum est, templum ligneum, vetustate collapsum, ex secto lapide fabrefactum, in ampliorem Parochiam extulisse scribit Dlugossus. Sed proh dolor infausto reflante vento,

vtraq;

vtraq; templa prorsus inania, & vacua non ita pridem conspiciebantur, præsertim illud Olesnicense, quod in hæreticorum manus, sed non eiusdem gentis, deuolutum, Caluinisticorum Symnistarum nidus, et receptaculum erat; nunc meliore respirante aura, iterum ad primæ originis suæ institutum, pulsis ministris, post sexagesimum ferè rediit annum. Sennense nunquam equidem profanatum, sed à tot annis, ad sacrificulum vnum eumq; conductitium, qui vtiq; ritu Catholico administrat sacra, redactum primæuum splendorem et frequentiam, non retinet amplius. Venisses nunc ad nos rediuiue Zbignee Cardinalis, quo vultu, quanta verborum acerbitate, in istos Symnistas irrueres? credo tibi non defuturum animum, ad pellendam, et exturbandam è tuis ditionibus hanc ministrorum colluuiem: quo quondam ministros Husiticos, tum per interdicta sacra, tum per ipsas apprehensiones, è tua Diœcesi pepuleras, et eieceras? Qua fronte etiam ex tua posteritate, et familia ortos, qui se in aliud Euangelium transferri passi sunt, exciperes? Sennenios quidem plures habemus Catholicos, Olesnicios multò plures per Dei gratiam habituri. Rakouiana tamen illa malorum sydera, quæ adhuc in visceribus familiæ tuæ hæret, proculdubio te affligeret, vel irritaret potius, vt pro turbatis colubrinis ministrorum eò confluentium, ad spargenda Anabaptistarum venena capitibus, degenerem sanguinem iterum ad amplectendam auitam, maiorum tuorum religionem reuocares, et reduceres.

CAPVT V.

Maiorum domus à Dębno, siue Olesniciæ prudentia, in deligendo sepulturæ loco. Tum Zbignei Cardinalis, & Nicolai Olesnicii Castell. Rad: continuata laus.

ET videte quàm præsagum animum habuere Olesnicij, à Zbigneo, & Dobeslao Palatinis Sendomiriensibus orti, qui ne permiscerent corpora sua, hæreticorum in suis bonis succedentium, corporibus, maluerunt ad illud celebre, & editum Calui montis, siue Sanctæ Crucis Monasterium, tanquam ad certius quietis asyllum, cum sepulturis suis se recipere, vt quem locum illi magna ex parte nobilitârunt, & dotârunt, ibidem pro animabus suis exoratores frequentiores, et alacriores, præsto haberent. Ibi sepeliri voluit Ioannes Palatinus Sendomir: & Marsalcus regni (à quo originem ducit, hic noster Nicolaus vir verè Illustris Castell: Radomiensis) frater germanus Zbignei Cardinalis, vt non longè abesset à sepulchris, abaui, & patris sui, quorum in eadem Ecclesiæ extant diuersis locis sepulchra peruetusta, cum inscriptionibus, præsertim Dobeslai Palatini Sendomiriensis, & duodecim filiorum eius, quorum in tabella expressæ imagines exhibentur, Cardinalis quidem in Ecclesia Cathedrali Cracouiensi sepultus, etiam ænei sepulchri, securitate tutus, non metuit ne aliquid cum hæreticis commune

mune habere cogatur. De Zbigneo Olesnicio, qui tempore Ioannis Alberti Regis Archiepiscopus Gnesnensis mortuus est, non habeo compertum, an in Metropolitana sua Gnesnensi sepultus sit, puto tamen non alibi sepultum esse prout & alium Episcopum Posnaniensem in sua Cathedrali Ecclesia requiescere non dubito. Senenium Archiepiscopum Leopoliensem, tempore Stephani Regis defunctum in Leopoliensi Ecclesia, tutius quiescere credo Nobilium enim his mutationibus, magis solent esse obnoxia, quàm Ecclesiastica Regia, & Reipupubli: bona. Proinde & Illustris noster hic Nicolaus Olesnicius, qui nobis occasionem familiæ Olesniciæ altius repetendæ dedit, maiorum suorum exemplum secutus, in eodem Caluo monte, Sanctissimæ Cruci insigne, & magnis sumptibus ex lapidibus, & marmoribus sectis erexit delubrum, vt ibi ipse cum posteritate sua quiesceret, et nisi eum legatio Moschouitica præpediuisset, perfectum, et absolutum opus iam fortè conspiceremus, vno iam pignore sepulchro incluso, corpore videlicet charissimæ coniugis suæ Lubomirsciæ, Zbigneus quidem Cardinalis ob eiusmodi erigenda ædificia, profusissimis non pepercit sumptibus, si Pinczouiam, Sennensem, Olesnicensem, & alias multas Ecclesias in suæ familiæ bonis excitatas, & extructas consideraueris, atsi animum retuleris ad alia ædificia in sua Diæcesi ex ædificata & extructa, nonnè illud magnificum & splendidum Cracouiense templum Bernardinorum,

vnà cum Monasterio in oculos transeuntium incurrit, vel contubernium Hierosolimitanum, in Academia Cracouiensi affabre conditum? Mitto ex vastatione Tartarorum restauratam Ecclesiam Collegiatam Kielcensem, & solidioribus prouisionibus auctam: mitto Sadecense Canonicorum Collegium institutum, & plurima alia templa, & ædificia, diuersis in locis extructa, & dotata, ita vt mirum sit, ex multo tenuioribus, quàm nunc sunt reditibus, tanta illum, non solùm aggredi, verùm, & perficere potuisse. Præsertim si consideres Ducatum Seueriensem, à duce Thesinensi Venceslao, sex millibus Marcarum latorum grossorum emptum, continentem tria castra, vel oppida, & sexaginta pagos, quem totum Ecclesiæ Cracouiensi, & Episcopis successoribus (imitatus Sancti Stanislai prædecessoris sui, si parua magnis fas comparare fuerit exemplum) perpetuo iure addixit. Prætereo illius laudes à plurimis, præsertim à Cromero celebratas, ne actum agere videar. Non patitur tamen tua Sendomiria me mortis illius obliuisci, in qua extremum diem obijt ex duriori quadragesimæ obseruatione, et ex lasitudine circa officia diuina, in Dominica palmarum, morbo contracto. Nec aliunde Deus Opt: Maximus ad cæleste præmium eum euocare voluit, quàm ex eo loco, vbi prima fundamenta literarum iecerat, in quo vt frequentiorem ibidem receptum haberet, insignem lateritiam domum, quæ & ipsa ferè templi speciem referebat, antequam incendio consumeretur, extruxit, nec scio, an non in eadem vitam cum morte sexaginta sex annos natus commutauerit, vir certè magnus, pupillorum & vidua-

iduarum patronus, in egenos liberalis, Ecclesiæ vindex lefensorq; acerrimus, Reipub: studiosus, & constans aduocaus, minarum periculorumq; contemptor. Hanc igitur Cardinalis, et maiorum suorum pietatem, ac in Catholica Romana Ecclesia perseuerantiam constantem, cum toto pectore bausisset, prædictus Illustris de Olesnica Nicolaus Caellanus Radomiensis, æquum iudicauit, vt ad eandem mplectendam, & excolendam se accingeret, se & posteritam suam ad eandem reuocaret: damna vt familiæ repenret suæ. Ita enim instituit optimæ indolis Zbigneum, Ioannem filiolos suos, quos in Collegio nostro Sendomiensi primis Grammaticis elementis, erudiri voluit? vt rundum sit, Olesnicium *genus præclarum laudem prooti Catholicismi reportaturum, quemadmodum & ipse eom parens, iam reportauisse existimandus est, tum ob egia in Rempub. & Catholicam fidem merita, tum, quod eter sacellum illud Calui montis* S. *Cruci asseruandæ exctum, magnis impensis, & sumptibus in suo Lipsensi oplo, è solido muro parochialem condiderit Ecclesiam, cum rea in qua primum Caluinianus Minister, suas effubat nugas, tametsi repurgata, & consecrata esset occulto i iudicio, ab igne conflagrauerit.*

CAPVT VI.

Sięneniis, transitus ad Illustrem domum, & niliam Firleiorum, tum de scholis dissipatis Hæreticorum.

Probè,

PRobè, subintulit Cochleuius, explicata à Marcisouio Olesniciæ domus, pietas, & religio, ad quam sibi recurrendum putauit; Illustris Nicolaus hic noster Senator prudentissimus. Quanquam & Sieniny nonnulli à laude retentæ priscæ religionis, non sunt excludendi: si modò Crucis inuictæ, quæ in signo eorum est, & Ecclesiæ ortodoxæ, feruentiorus, se præstiterint, propugnatores: præsertim Martinus, Abrahamus, Iacobus, Zbigneus Sebastianus, & fratres eius patrueles, Sienensis oppidi, ipsi nuper cohæredes, tum & reliqui si qui sunt, excepto illo Rakouiensi, in fædissimis Arianorum lacunis, immerso, vel ipsius fratre germano Caluinianis erroribus adhuc irretito. At verò Illustris Firleiæ domus celebrandæ, partes cùm mihi assumpserim, patienter à vobis audiri volo, tametsi nonnulla interserenda sunt, quæ ex occasione eiusdem familiæ, aliquibus externis erunt applicanda. Illustres igitur Firlei, præclaram semper laudem merebuntur, qui parentis sui Ioannis Firlei Palatini Cracouiensis, & supremi regni Marsalci, & patruorum suorum Nicolai Palatini Lublinensis, & alterius Andreæ, Castellani Lublinensis, & Capitanei Sendomiriensis, quorum opera Conciliabulum illud Sendomiriense magna ex parte coierat, postpositis errorum opinionibus, gradum retro abduxêre: initio sumpto, ab Illustri quondam Castellano Biecensi, demum Palatino Cracouiensi Nicolao Firleio viro tempore Sigismundi, & Stephani regis, vel apud exteras nationes celeberrimo: cuius authoritatem secuti fratres ipsius germani, Ioannes quondam regni totius Quæstor, siue vt vocant

Thesau-

Thesaurarius, Capitaneus Lublinensis, & Petrus Castellanus Biecensis in ipsa vrbe Romana impias abiurauerunt hæreses, nobis Cicboci id temporis præsentibus; nunc verò religionem Catholicam, restitutis, in integrum templis insigniter auctam & promotam ab illis videmus. Iam enim Dąbrouicense vnde originem ducunt, Beśicense & Ianouecianum templum, cruce superimposita splendescit: itidem Leuartouiense, & alterum Cocense, Markusouiense, & nonnulla alia, quæ ditionis eorum fuerant, vel sunt, sacerdotes habent Catholicos, in quibus cultus diuinus ritu Romano peragitur, imo vnus ex eisdem fratribus, Illustrissimus Henricus Regni Procancellarius, Plocensis, & Miechouiensis Præpositus, mox amplissimus Episcopus futurus, iam inde ab adolescentia sacrorum ordinum cupidus, sua sacerdotali dignitate, cum vitæ integritate coniuncta; ita omnium hæreticorum oculos perstringit, vt quoties patris sui illum ardentem in Caluinismo tuendo zelum, in memoriam reuocant, toties dum hunc intuentur, dolore concuti necesse habeant, Czemierniçense templum in suis paternis bonis deiecto ligneo, ex coctis Lateribus erigendum, cùm antè proposuisset, nunc nullis sumptibus parcens, ad perfectum splendorem deducere conatur, cuius in Deum pietatem, & Catholicæ religionis zelum, eo libentiùs commemoro, cùm sciam Collegiatæ Ecclesiæ vestræ Sendomiriensis, non erubescere se dici Canonicum, & confraterna vt vulgus dicit beneuolentia Cichocium complecti. Vnum adhuc addiderim, non solùm Firleianam familiam, nobis suppeditare sacerdotes, verùm & sanctimoniales virgines,

cùm nuper Illustris Ioannis Firlei, Capitanei Lublinensis, quondam Thesaurarij regni, filia, in monasterio Beatæ virginis Brigidanarum monialium Lublini, religionem professa, sanctè ibidem contemptis mundi illecebris, degat. At vero filiæ Nicolai Firlei Palatini Lublinensis, & Capitanei Camionecensis, post obitum patris (nullam enim masculam reliquerat prolem) qui quondam feruentiori conatu Caluinismum, instituto Leuartouiensi Gymnasio propagabat: tametsi dum adhuc virgines essent, tenaciores errorum videbantur, posteaquam vero nupsissent, secutæ viros suos, Catholicam religionem amplexæ sunt, & posteritate sua magnam ad Catholicam fidem accessionem adiecerunt. Quattuor hæ erant, quarum prima Nicolao Sienutæ, altera Nicolao Kazimirski, tertia Pongtotio, quarta Bogusio, Zuolenensi Capitaneo; in matrimonium collocata, omnes Catholicæ effectæ, Leuartouiam ipsam cum paternis bonis, repurgatis hæresibus, non amplius prostibulum Caluinianum, sed Catholicæ, & priscæ religionis, introductis sacerdotibus, domicilium, posteritati incolendum reliquêre. Erat quidem oppidum istud Leuartouiense concursu, & confluxu transmarinorum, Holandorum, & Flandrorum, ob religionem à Catholico rege pulsorum, non ignobile; qui in mæchanicis artibus, & curandis Holandicis bobus, cùm essent exercitatissimi, & tanquam ad pileum vocati, alacres eo accurrerunt, & frequentius effecerunt oppidum. Nec defuêre sibi ministri, qui loci dominum suis persuasionibus compositis, eò pertraxerunt, vt magno suo dispendio, institutas a se scholas vbiq; proclamari

mari faceret, magistris eadem late infectis, tum è Polonia, tum ex viciniori Germania, non paruo sumptu, accitis. Feruebant studia, quibus iuuentus ad hæreses fouendas inescabatur, ita vt pleriq; ex nobilitate, qui adhuc se Catholicos profitebantur, licere sibi existimauerint, natos suos, studiorum causa eo mittere: non sufficiebant hospitia recipiendæ pubi, imò maturiores adolescentes, relicta Cracouia, & Catholicorum scholis, eò commigrabant. Triumphabant Symnistæ, persuasum habentes, exortis inde densissimis dogmatum nebulis, se totum Catholicismum è Polonia profligaturos: sufflauit ventus, & nubes dissipatæ sunt, retro abiêre flumina, quæ pestiferas vexerunt aquas, torrentes illi, cum strepitu & fragore decurrentes exsiccati, iter peruium Catholicis reliquêre: sublato enim patrono, clientela tota hæc obuerso discessit gradu. Maxima pars opinionibus variis iactata, ad tutiorem portum professionis Catholicæ applicuit. Proinde maiori studio nunc mihi bonitatis diuinæ celebranda est prouidentia, quæ non est passa teneram iuuentutem in scholis hæreticorum diutius detineri. An non nobis hoc admodum planum, & perspicuum est è dissipatis scholis Lutheranis, siue illorum supparibus Caluinianis, hæresim quoq; in Zephyros sæpius iactari, quemadmodum ex proba institutione pubis, & frequentibus Catholicorum scholarum exercitijs, agminatim prodire iuuentutem egregiam, quæ præfracta ista, et inuolucris quibusdam implicata, verborum lenocinia, producit in apertum, et hæreses è Stygia palude ortas, euidentissimis in ventos dispergit exsufflationibus. Academia quidem Cra-

touienſis protulit pleroſq; eiuſmodi viros, qui ſcriptis, diſputationibus, concionibus, multos ab hæreſibus retraxerunt et reuocarunt, ita vt adoleſcentior ætas, minimè ferendas ſibi exiſtimet miniſtrorum in conuenticulis, de rebus diuinis altercationes. Puto et Zamoſcianum Collegium *in extirpandis hæreſibus, non ſegniorem operam adhibiturum: verùm acceſſione ſcholarum Patrum* Soc: IESV, *tantus numerus eruditæ iuuentutis emerſit, vt loca in quibus aliquando Gymnaſia hæreticorum vigebant, omnia iam ferme inſtitutis Catholicis repleuerint, præter vnum Rakouianum, quod breui* Collegio *Sendomiriano ipſi oppoſito, turbine vel vento etiam in aëra raptabitur. Vbi nam nunc illa præcipua hæreticorum, in Polonia Gymnaſia non incelebria, vbi Pinczouienſe, Chmielnicenſe, Turobienſe, Bereſtenſe, Nieſuiezenſe, Siematicenſe? vt maiorem non commemorem Poloniam, vbi hoc de quo agimus Leuartouienſe, ad quod hæreticæ iuuentutis è tota Polonia confluxus, vel quibus in terris comparet? omnes iſtæ illico curſum abruperunt ſuum, nec portum deſtinatum attigerunt. At Catholica religio, tot ſcopulos præteruecta, viget in Academijs, Gymnaſijs, ſcholis, et in æternum vigebit.*

CAPVT VII.

Nicolaus Kazimirſki inſertus in Firleiorum ſanguinem, ex Ariano, ſub ipſum finem vitæ, factus Catholicus. Chriſtopheri fratris eius Epiſcopi

ſcopi Kiiouienſis Elogium. Firleiæ domus longius producta Encomia.

QVæſo Cochleui, ſubſiſte hic paululum, ac nobis ediſſere; profligatæ Leuartouia hæreſis quis præcipuus fuerit author, nam & hoc ad laudem Firleiorum plurimum pertinere exiſtimo. Id verò libenter faciam, reſpondit Cochleuius: Reliquerat ille Nicolaus Palatinus Lublinenſis, vt dixi, aliquot nobiles filias, quarum vna Nicolao Kazimirſki Biberſteino nupſerat, & ad quam iure hæreditario Leuartouienſe oppidum, magna ex parte pertinebat. Hic longè diuerſam a Leuartouienſibus profitebatur ſectam (cum magis cum Arianis quàm cum Caluinianis ſentiret) non igitur admodum erat ſollicitus de retinendo & promouendo hoc tam celebri Gymnaſio, præſertim cùm animaduerteret, vix eo alendo & fouendo, ipſa bona ſufficere potuiſſe. Cùm verò eſſet (vt Dei præpotentis diſpenſationem contemplemini) parentibus hæreticis ortus, eius fratres in varias quoq; abrepti ſectas, potiſſimum hunc authorem, qui totis viribus, priſcam religionem, præſertim verò Eccleſiaſticum ordinem, oppugnare, & euertere moliebatur, ſecuti ſunt. Erat hic diſertus admodum, atque ad pertrahendos nobilitatis in ſuam ſententiam animos, ingenio prompto, & perſpicaci: nemo ipſo popularior, præſertim in comitijs & conuentibus publicis, trahebat, & impellebat voluntates, non ſolùm ſectariorum, verùm & eorum qui magis Polytici quàm Catholici videri volebant, ad deſtinatos ſibi conceptus. Tanti verò animi fuiſſe vt etiam Regi Stephano, qui

vel solo aspectu terrere quemlibet poterat, opponere se auderet. Vnus ipsi restabat frater Christophorus Kazimirski, qui tantùm ex hæresi contraxit contagij, quantum marini pisces ex aqua salsedinis, ita vt non solùm ab istis prædicantium conuersationibus abhorruerit, verùm illico, & ad sacerdotium aspirare cœperit. Ac primùm Canonicus Tarnouiensis, demum & Præpositus factus, non solùm scriptis, & concionibus, quas summo cum fructu ad populum frequentiùs faciebat, verum & acerrimis cum fratribus, & alijs eorum sectatoribus, Præsertim Arianis susceptis concertationibus, & conflictibus, tantum effecit, vt fratris Nicolai animum in suis placitis antea obstinatissimum, aliquantulum emolliuerit, & feruentioribus orationibus adhibitis (hunc enim summo prosequebatur amore) ad recollectionem sui diligentiorem disposuerit. Huc accesserat Patris Adriani Radziminski è Societ: Iesu, nostri Collegij Sendomiriensis nunc præclarissimi Rectoris, instituta Leuartouiæ cum ministris, & Gymnasiarchis disputatio; à quo strenuè deiecti, & quasi per cribrum, vt aiunt, sacras literas, & patres orthodoxos legisse, conuicti, omnium ludibrio sunt expositi. Nec irriti conatus eiusmodi fuêre. Nam cum ex morbo graui Warsauiæ decubuisset, Nicolaus cernens quanto in periculo salus sua versaretur: toto corde ad dominum Deum conuersus, anteactæ vitæ suæ errata, præsertim in Dei Filium, & Sanctissimam Trinitatem blasphemas voces, detestatus: patrem Petrum Scargam è Societ. Iesu regium Ecclesiastem celeberrimum, vt ad se veniret impensius rogauit, quanquam vltrò operam

ram

ram suam præstare eidem erat paratus. Quem cùm bono animo esse iussisset, neq; in Dei optimi, & indulgentissimi patris, bonitate diffidendum esse ostendisset, exhortationibus, & instructionibus adhibitis, in tantas æger prorupit lachrymas, vt, ad ipsum in baptismo abluendum, suffecturæ viderentur. Quoties Christi è cruce pendentis imaginem, arctioribus vlnis complexus, quoties ori admotam, osculatus? & deprecari auditus est? vt sibi condonaretur, quòd eam sæpius conculcauerit, & pedibus protriuerit. Demum professione fidei Catholicæ facta, et abiuratis omnibus hæresibus, pœnitentia, et confessione Sacramentali expiatus, sacroq; oleo ritè perunctus, in manibus patris Scargæ, ab omnibus peccatis, absolutam, efflauit animam, cùm prius cauisset, vt in templo Leuartouiensi repurgato, et ritu Catholico expiato, sepeliretur. Quòd totum impigrè præstitit, Reuerendissimus Christophorus Kazimirski, iam tum Episcopus Kiiouiensis, ob egregiam pietatem, et zelum promouendi cultus diuini, à Serenissimo Rege renunciatus: ad quem potissimum liberorum defuncti, cura, et educatio pertinebat. Ita templum Leuartouiense postliminio ad Catholicos vnà cum stirpe Generosi sanguinis rediјt, et Gymnasia hæretica vnà cum ministris ventis commissa. Sed non minorem Illustres Firlei operam apposuêre, in restaurando, et repurgando templo, Catholicisq; sacerdotibus ibidem collocandis, liberaliter suppeditantes ea, quæ ad ornatum cultus diuini desiderabantur, sub quorum protectione, et patrocinio, omnes Catholici qui ibi reperiuntur, pro illorum incolumitate supplices ad Deum tendunt manus.

Tan-

Tantus enim inerat ardor, reducendæ religionis Catholicæ, vt tum demum vitam sibi restitutam esse opinarentur, cum sacra, ritu Romano in templo lachrymabundi peragi viderent. Sed in possessionibus Bonarorum, quæ iure legittimo, ad Firleios deuoluta sunt, aliam nunc cernimus rerum faciem, & pro malè feriatis ministris, sacerdotes Catholicos & pios, in templis substitutos, præcipuè Cromolouiæ, vbi illud ex sectis lapidibus non inelegans templum sepulturæ Bonarorum destinatum, & domicilijs ministrorum infame, splendore Catholico nitet, picturis altarium, & organorum structura, exornatum, seiunctis per parietem interpositum hæreticorum monumentis. In quo exornando, & restaurando, enituit summa pietas Illustris primum Nicolai Firlei Palatini Cracouiensis, postea, eiusdem nominis filij eius, Capitanei Cazimiriensis, viri tum elegantia, ingenio, et eruditione, tum morum suauitate, et affabilitate, apud omnes acceptissimi, Catholicæ, et Romanæ Ecclesiæ addictissimi, sed hæc de Firleiorum Familia narrasse suffecerit.

CAPVT VIII.

De Familia Stadniciorum, Braniciorum de Rusca, Lubomirsciorum, & aliarum narrationes lectu non indignæ.

VErum progrediamur vltrà, & ad Stadnicios qui inter præcipuos disseminatæ hæresis authores numerabantur, perueniamus. Numerate quantum poteritis, Stanislao illo

Lansthu-

Lanſthuciano, de Dubiecko excepto: omnes iam, non ſolum Catholici, verum & pij, ac Romano Pontifici addictiſſimi ſunt. Patrum vero Soc: IESV *ita amantes, vt in Rokoſſiano tumultu, vnus eorum, Staniſlaus qui tum erat Caſtellanus Præmiſlienſis, vir ſub oppugnatione Smolenſcij Reipublicæ fato quodam aduerſo ereptus, magno animo toti illi conuentui, qui in eorum expulſionem conſpirare cæperat, ſe oppoſuerit. Illuſtris verò Adamus frater eius germanus, Caſtellanus Calliſienſis, & Præmiſlien: Strijenſis, Colenſis, Capitaneus, cum Ioanne, Georgio, Chriſtophoro, & Andrea, de Zmigrod Stadnicijs, eoſdem Patres impenſius colunt, & obſeruant, qui omnes cum magno dilatandæ Catholicæ religionis zelo tenentur, totis viribus in reſtauranda, ornanda, dotanda templa, quæ in bonorum ſuorum poſſeſſionibus habent, ſedulo incumbunt, quorum etiam liberalitate non mediocriter Collegium Soc: Ieſu Leopolienſe, auctum & dotatum eſt. Nam & Dubiecenſe templum in quod primum Stadnicius hæreſes inuexerat, cuius tamen filij Andreas, Chriſtophorus & Martinus, præter Staniſlaum, Catholicam fidem amplexi ſunt, Catholicis, ab externis quidem reſtitutum eſt. Rimanouienſe verò, & Leſcenſe ſub cura, & patrocinio Stadniciæ domus, Catholicis ſacerdotibus parent, Niedzwiedzium quaſi tu dixeris vrſum, vnde phalanges miniſtrorum ad deprædendas animas excurrebant, mutauiſſe naturam ſuam videtur, vt iam à ſuis finibus miniſtellos, lupinis pellibus tectos, arceat, nec ibidem conſiſtere amplius patiatur. Et proculdubio Niedzwiedzium illud quattuor miliaribus*

 Cuco-

Cracouia distans, erat pestilentissimum ministrorum receptaculum, qui magna ex parte Cracouiense illud totum territorium, vna cum vrbe infecerunt, quanquam ex altera parte Pinczouia emissarios ministros illius tempestatis comploratissimæ, perduelles ad familias insigniores in Catholicos extimulandas, submittebat: non tamen Tenciniam, Tarnouiam, Mieleciam domum, in suas casses pertrahere vnquam poterant, quæ semper erant religionis Catholicæ tenacissimæ: excepto illo Reminio è Tarnouiana domo, qui tamen ad Catholicismum fertur rediisse, & in Tenciniana mulierculis quibusdam demptis, quæ viros suos secutæ, se viscosis erroribus irretiuère. Vicinam verò nobilitatem potiùs sibi aggregandam putauêre, omnium maledictorum & criminum apparatu, spisissimis vndiq; congestis mendacijs instructissimi, primò quidem aliquo successu, sed non ad posteritatem vsq; perdurante. Braniciorum de Rusca insignis Familia, licet tota Catholica esset, tamen illud Rusiecense templum, Collegio sacerdotum non ignobile, sub Stanislao Branicki, illius loci Domino, quem ministri à recta professione religionis Catholicæ deturbauerant, sacerdotibus in magnas angustias redactis, cæperat periclitari. Sed adfuit Dominus iam iam labenti Ecclesiæ, filij enim eius, quos sex reliquerat, videlicet Andreas, Nicolaus, Hieronymus, Alexander, Stanislaus, & Samuel baptismo à ministris initiati, & parentis errores quousq; ad annos discretionis peruenerunt secuti, non solum hæreses execrati sunt, verùm duo eorum, Hieronymus in presbyteratu, Samuel verò in subdiaconatu è viuis excessêre: ad extremum &

mater

mater illorum Sophia Tricesia, per virum suum à Catholica orthodoxaq; fide abducta, sub finem vitae, abiurata haeresi, Catholicè mortua est. Sed & Lubomirscia domus quanquam Catholicae religionis obseruantissima, non adeò immunis erat, à perplexis ministrorum ex mendacijs consutis opinionibus. Ioachimo primum Iacobi Lubomirscij Iudicis Cracouiensis filio, à dogmatum Caluini voraginibus, absorpto. Verum cùm nullos reliquisset liberos, vnà cum illo haeresis extincta videbatur, nisi eam frater ipsius patruelis, Nicolaus, denuo suscitauisset, ducta in vxorem Chocimouia Arianis parentibus orta, quae illi tres mares, totidem filias pepererat. At non permisit Dominus Deus nobilissimam Familiam vltrà prauis & distortis haeresum erroribus inquinari: tres illi filij, Sixtus, Nicolaus, Procopus, ad Catholicam redière religionem, filiae serius quidem Caluinismum deseruère, sed & his non permissum est à supremo numine in Caluinismi lacunis ita immergi, vt inde emergere nequirent. Viros enim Catholicos, quarum vna, Mstouio, altera, Samborzecio, tertia, Palczouio, demum Nieuiarouio nupserat, secutae, Catholicae religionis sese inseruère. Ita praeclarissima & Illustris Lubomirsciorum gens, ab haeresibus tota repurgata, Catholicismi propagati & defensi insignem meretur laudem. Nam & Illustris Castellanus Voynicensis, & Capitaneus Sendomiriensis, satis propensum suum erga Catholicae religionis cultum, testatus esse videtur, concesso ordini Camaldulensi, non exiguo vnà cum pago adiuncto, loci eminentis apud Cracouiam ambitu, in quo templum cum domunculis fratrum erectum conspicimus.

Delubrum verò Cracouiæ ad S. Trinitatis templum, magnis sumptibus, elegantissimo opere erectum, etiam vnius pagi adiectione dotatum, sepulturæ suæ, & Familiæ destinauit. Stanislaus verò ipsius vnicus superstes filius, Sendomiriensis, itidem & Scepusiensis Capitaneus, nunquam se abduci ab auita, & Catbolica religione passus, & semper Romanæ fidei, quam ex ipsa vrbe integram retulerat, acerrimus extitit defensor, & tantò magis ducta in matrimonium pijssimæ matris, Heroinæ Iaroslauiensis, pijssima, ex Ducibus in Ostrog, filia speramus hunc ipsum Illustrem et nobilissimum virum Patres Soc: IESV ardentiori studio, prosecuturum, et ob matris coniugis suæ erga Patres affectionem, maiori beneuolentia complexurum. Habemus autem persuasum, commoda Ecclesiæ pro innata sibi et coniugi suæ pietate eum amplificaturum, neq; firmas eas opes futuras putaturum, quæ neglecto Christi patrimonio studio quamuis impensiori coaceruantur. Euidens enim ea res est, et palpari non modo videri potest, illos omnes qui neglectui habuerunt Ecclesias, & dotes illarum prostituerunt aut ipsi hæretica manu inuaserunt: iusto Dei iudicio, ex pagis & bonis suis pulsos, vel perijsse, vel inopem traduxisse vitam, aut certè amplas possessiones Catholicis hæredibus reliquisse, vel etiam in externorum transmisisse vsum, et fructum: eodem fato, et Pinczouia in aliam familiam translata est, cùm prius ex persuasione Crouicij ministri, religiosi Pauli primi Eremitæ patres, è templo, et domicilio suo eiecti sint. Erat ille pestilentissimus ministrorum antesignanus, quem tamen Zebrzydo-

uius

uius Episcopus Cracouiensis, *cæperat, sed ab Hæreticis, Ioanne Marchocio incentore, ad oppidum Buscum maiori violentia retractus, multo furiosior, et audacior ad mentiendum, et fingendum effectus, tandem in Arianismum, prolapsus est. Sed neq; Marchocius ipse, amplam tulit de tanto spolio palmam. Nam Nicolaus, et Paulus præfectus siue Capitaneus Cichouiensis, à parentis sui desciuerunt hæresi, et se totos* Catholicæ *religioni deuouerunt. Sed vt ad rem redeam, vbinam multarum familiarum, possessiones, luculentissimæ? quas hæresis, ex illorum manibus extorsit, vel genus per tot secula a maioribus deductum, cùm in quibusdam familijs vix vnus, aut alter superfit, qui vtcumq; reliquias hæreditarias tueri queat, vtinam et vir ille Zboski Curouius, eruditione, et memoria præclarus vir, quem hæreses perplexæ adhuc irretitum tenent: decoctis aliquando erroribus,* Catholicæ *fidei se adiungeret; haberet posteritatem in multas seculorum ætates perpetuatam. Attingenda etiam viciniora sunt nobis exempla. Boriuouius Podlodouius in Ruskow prope Opatouiam, pago suo, prophanata Ecclesia cultuq; diuino abolito, et ipse ex eodem pago cedere coactus est: restituta tamen à* Catholico *successore Parochiali Ecclesia. Sic prope Osiecum Turscij similes pænas dederunt, spoliatæ Niekrasouiensis Ecclesiæ, bonis ad alteram Familiam translatis: sed et hæc pares quandoq; datura est pœnas; si in fouendo hæretico ministro, fuerit pertinacior. Metuant et Malicij, ob Ecclesiam* Catholico *Parocho Malicijs ereptam, ne in similem euentum impingant; quorum iam*

bona nonnulla in alienas commigrauère manus. At quis tam multorum exemplorum faraginem facilè collegerit? Et verò illud obseruatu dignum censeo, etiam in familijs praecipuis, illos qui ad Catholicam rediêre fidem, nullo negotio etiam paterna bona recuperauisse, et in haereditate familiae censeri, Haereticis obstinatis, extorribus semper existentibus: cum Catholicis, possessiones integrae imò auctiores manent. At verò illis, qui in suis erroribus obdurueerunt, non id datum est: verùm ea quae quondam possidebant, in alienas peruenêre manus, & illorum esse desiêre. Sed & Catholicis Polyticis idem euenire videmus: qui quantum Ecclesiis ex decimis, & reditibus detrahunt, tantùm & multò amplius de suis, vel interdum totum amittunt, maledictione diuina illos persequente. Perspicuum igitur sit, haeresim iam intendentem, iam remittentem gradum, sua absurditate, flaccescere.

CAPVT IX.

Slupeciorum, Grothorum de Konari, ad Catholicam religionem receptus.

HIc verò mihi cursus verborum Cochleuij interfecandus visus est, cum ea quae dicebat remotiora visa sunt nobis, & non tam ad Sendomirien. quam ad Cracouien. pertinentia tractum, ideo tantò minus nobis nota. Reuocabo igitur meam narrationem, ad propinquiora meae Sendomiriae loca, ac inprimis occurrit mihi percelebris Slupeciorum

rum Grothorum domus. Hæc non ita pridem ferè tota varijs hæresum procellis iactata, vel potius absorpta fuerat, tandem cum reuocare in memoriam cæpisset: qualis, & quantus vir fuerit Grothus Slupecius Episcopus Cracouiensis, cuius sanctitatis, & vitæ integerrimæ testimonium, perhibet illud monumentum, in Cathedrali Ecclesia Cracouiensi hactenus vnicè cultum, ad quod multoties piorum vota suscepta esse feruntur abiectis illico densis errorum scaturiginibus, quibus Catholica obruebatur fides, & Basileam, perniciosis hæresibus infectissimam vrbem, in qua ibidem sub nomine studiorum imbuti erant, toto pectore detestati: tum sectarum dissectarum propudijs repudiatis, ad eam, quam sanctus Episcopus, inter proceres Ecclesiasticos pio honore prosequendus coluit religionem, redeundum sibi putauère. Dicone quis erret, de Samuele, & Alexandro Slupecijs: qui tamen ne aliquid temerè fecisse viderentur, è Gallijs redeuntes, ipsam Romam totius Catholicismi sedem adière, exploraturi num ea, quæ per Germaniam, & Poloniam passim ab hæreticis spargebantur, veritati cohærerent. At qui Deus bone, quàm contraria his quæ effutiebantur repererunt: quàm euidenter ministrorum impudentiam, & mentiendi assiduum pruritum, qui densa & circumfusa caligine, pietatis Romanæ exercitia, inuoluere conati sunt, redarguunt? Nullibi enim tanta pietatis, et charitatis officia exerceri se vidisse, quam in ipsa vrbe Roma testati sunt. Vbi tot templa; tot aras; tot religiosas, vtriusque sexus familias, tot sodalitates, quarum vnaquæque diuersa charitatis officia distincta habet,

habet, tot nosodochia, varijs morbis, varijs ægritudinibus curandis destinata, tot Collegia, Græcorum, Anglorum, Neophitorum, Maronitarum, Armenorum, Abissinorum, & aliarum nationum, quis enumerauerit? vel quis supputare quiuerit, immensos sumptus, in splendorem Ecclesiarum, in dotationem hospitalium, in gymnasiorum structuras, erogatos, & expensos? Tum in peregrinis excipiendis, sustentandis, viatico iuuandis, profusissimam liberalitatem, in orphanis alendis, virgunculis derelictis educandis, & locandis, captiuis redimendis, indefatigatam sollicitudinem: ita vt omnes vrbis plateæ & vici, mutuis pietatis in Deum, & erga proximos charitatis exercitijs, inter se certare videantur. Hæc omnia nobilissimi tum adolescentes, cùm exactius expenderent, oculosq; & animos potius ad officinas pietatis, quam (vt muscæ ad scabiem relicto corpore sano) ad illecebras, & voluptates conuerterent, hæresibus abiuratis, Apostolicam sedem incredibili honore, summis obsequijs, inusitata pietate, colunt et obseruant, ita vt potius vitam quàm Catholicæ religionis professionem sibi, eripi, si opus esset paterentur: Testantur templa in eorundē bonis restaurata, et legittimis pastoribus addicta, Pneuense templum à Grotho Slupecio Episcopo Cracouiensi in Parochialem erectum, quod à triginta annis ex prophanatione neglectum, ruinæ proximum erat, iam nunc refectum, et picturis elegantibus exornatum conspicitur, suppellectili satis decenti eodem illata, quod docto, et pio viro Parocho Strzezouiensi, & eiusdem loci Decano; mihi etiam adstrictissima obligatione deuincto, in

Ito, in administrationem commissum est. Certè cùm non vulgarem in studijs profectum quondam assecuti sint, nunc elegantis ingenij, ad omnem humanitatem propensissimi, eam merentur laudem, ut non mirum sit, in illo Patauiensi celeberrimo uniuersali studio, Samuelem pro rectore omnium nationum suffragijs primum expetitum, demum creatum esse, honoresque sibi absenti decretos, & in parietes Gymnasij relatos hucusq; extare, quos nulla vnquam tempora, prout & magni illius Zamoscij, qui eadem dignitate ibidem functus est, abolitura crediderim. Fratres verò istos patrueles suos seriori quidem tempore; sed desiderio pene eodem secutus est: Illustris Felix Slupecius, Castellanus Lublinensis, Senatorij ordinis vir. Satis enim omnibus erat antea explorata, ad Catholicam religionem amplectendam, animi illius quædam propensio: siue ipsius deuotionem erga intemeratam, ac nullis humanis laudibus ritè celebrandam, Virginem, Matrem Saluatoris nostri Dei, siue studium eiusdem primùm in restaurando oppidi sui Kliczkouiensis templo, & ad gubernandum Catholico sacerdote accito: siue ipsius compositissimum, dum de religione disceptatur, progressum, & affabilitatem spectes, certè hæc omnia spem faciebant, se & istis fratribus duobus patruelibus aggregaturum esse. En tandem per Dei singularem gratiam, deprehensis accurata disquisitione, perplexis errorum, ineptiarum, mendaciorum, diuerticulis, & cubilibus, ministrorumq; artibus, qui suam licentiam, fucato Euangelicæ libertatis nomine, ut eo tutiùs Catholicorum famam concerpant, & dilacerent, obuelant,

in suo

in suo oppido Opoliensi (cuius parochialem Ecclesiam, eiecto ministro, pastori Catholico regendam & gubernandam, multa supellectili ad cultum diuinum pertinente, comparata, commisit) non erubuit in frequentia virorum piorum, & religiosorum, palam fateri se iam filium Ecclesiæ Catholicæ Romanæ esse, nihilq; commercij posthac cum ministris Caluinianis sibi intercessurum: quorum arrogatam & arreptitiam, spargendorum dogmatum erroneorum, potestatem, se toto pectore detestari, fassus, Catholicæ Ecclesiæ tanquam parenti indulgentissimæ, ritè primum expiatus, insertus est, subsecuta omnium quotquot aderant ingenti lætitia. Existimo, non paruum etiam stimulum ad eiusmodi regressum ipsi adiectum esse, ex fratris sui Zbignei natu maioris, sero quidem, & vsq; ad extremum vitæ suæ tempus, ad Catholicam religionem, dilato conuersionis desiderio. Scio equidem id non libenter audituros factionis Euangelicæ antesignanos, & vix fidem accomodaturos, cùm illum pro sui Euangelij sectatore extulissent, & ritu Caluinistico sepulturæ mandâssent: sed proculdubio falluntur, si persuasum habent, à suis partibus illum stetisse. Mecum enim iam ex ægritudine decumbens, cùm semel admissus essem, contulit, & contulisset crebriùs, de his maximè, quæ ad salutem animæ consequendam pertinere existimabat; si ad illum accedere prohibitus non fuissem. Cùm enim Sendomiriæ proximam resolutionem corporis & animæ sibi instare animaduertisset, Deum immortalem, quos singultos ille edidit, quanta copia lachrymarum genas suas inspersit? hoc vnum semper lamentatus,

quòd

quid non tempestiuè, & dum adhuc valitioribus viribus esset, saluti suæ prospexisset, quem tantum subrusticus pudor in hæresi retinebat; quam tot verbis, me tum præsente execratus est, ita vt palam fateretur, se Catholicè velle mori. Et cum ad confessionem faciendam eundem vtcunque quantùm angustia temporis patiebatur, dispo- suissem, cras rediturus, & sanctum Eucharistiæ, Sacramentum clanculum allaturus, mox subolfecêre illi, qui non tam, vt ægrum curarent, adhibiti fuerunt, quam vt obseruarent, ne aliquis Catholicus intro admitteretur, præsertim cum non ignorarent, ministrorum non solùm congressum, verum & conspectum ipsum ferre non potuisse. Mox eadem nocte superuenit mater, quæ ministellum quendam secum vnà adduxit, ne saltem existimaretur, si obijsset, Catholico more se voluisse efferri: tum demum ego exclusus, non amplius progredi potui, palam & coram testatus, eum verè Catholicum esse, & Catholicè moriturum, meque in mea Ecclesia, si permitteretur, sepulturam ei non denegaturum. Didici tamen ob meam repulsam, tantopere indoluisse, vt quidquid erat librorum hæreticorum, qui ei ad legendum obtrudebantur, inter quos Cathechistici illi, & cantilenis cœtualibus permixti, reperiebantur, in ardentem camini focum iniecisse, meque aliquos ex illis, semiustos vidisse. Hinc facilè adducor, vt credam, & eundem per Illustrem Fælicem insigni prudentia virum, etiam exemplo fratris sui permotum esse, ne ampliùs conuersionem

 diffe-

differendam sibi putaret: multæ enim eiusmodi intercedunt occasiones, quas dum sæpius è manibus elabi permiseris, non tam facile occipitium illarum arripueris.

CAPVT X.

Ligęzorum de Bobrek perpetua in fide Catholica constantia, vnico Theodoro excepto, cuius posteritas tota Catholica euasit.

L*igęzorum de Bobrek vetusta familia, non mihi etiam subticenda est, quæ etsi ad districtum Sendomiriensem non tota pertineat; pertinet tamen Hermolaus cum Ioanne, & Nicolao, & Stanislao, tum germanis, tum patruelibus fratribus Ligęsis, cuius ego semper erga me beneuolam propensionem expertus sum, præsertim cùm ambo in aula Cardinalis Radiuili, illius quondam præclarissimi Antistitis Cracouien: versaremur, cui vsq; ad extremum spiritum, ob morum candorem charissimus erat, quem etiam domus suæ supremum moderatorem voluerat esse, qui ob insperatam Cardinalis mortem, multis difficultatibus Romæ irretitus, ita tamen prudenter se expediuit, vt non Itali, non Poloni, quidquam desiderauerint, in quo non sibi satisfactum esse conquererentur, Catholicæ verò, & auctæ religionis cultor eximius, adeò vt pauci reperiantur, qui tanto feruore, siue in iudiciorum assessionibus, siue conuentibus, pro fide Romana, & eidem addicto clero, opponere se audeant. Cuius etiam, ex fratre patruele Ioanne*

anne Ligeza eiusdem nominis nepos adolescens à pueritia pietate & sanctimonia vitæ imbutus nuper in Societatem nominis Iesu receptus magnam spem facit, illum non solum Ecclesiæ sanctæ, verùm & religioso Societ: *Iesu ordini, decori, & ornamento futurum. Subdapifer verò Sendomiriensis Sebastianus Ligeza, nunquam aliqua hæresi irretiri potuit, quin repurgatam ab hæreticorum ministris præsertim Iuaniscijs Ecclesiam, quam ego ex permissione lociordinarij, ad primam vim consecrationis reduxeram, Catholico sacerdoti, & pastori gubernandam concessit, imò nullus quod sciam ex domo Ligezorum reperitur, qui ab impia hæresi, se afflatum esse diceret. Aliquid ex ea erroris contraxisse visus fuit Stanislaus Ligeza, Præfectus, siue Capitaneus Opocinensis, Theodoro patre hæretico natus, cui multæ cum Clero; & cum subditis regiis intercesserant controuersiæ. Sed postquam illum acerbissimus casus ex equo prostratum humi allisisset, tunc humiliandi se coram Deo nactus occasionem: accersitis religiosis viris, quos Bernardinos vocamus, tanto animi ardore, tanto cordis affectu, non solùm Catholicè se mori velle professus est; sed illico conuocatis omnibus, qui se ab ipso aliqua iniuria pressos crederent, omnibus sufficientissimè, dum adhuc viueret, potiùs putauit satis dandum, quàm restitutionem post obitum alijs comittendam. Mira hæc erat profectò mutatio dextræ excelsi: ex oppugnatore decimarum, & Cleri hoste, ex subditorum oppressore (lingua enim admodum promptus erat, et authoritate in omnibus comitijs et conuentibus pollebat maxima) repente*

S 3 *talem*

Delubrum verò Cracouiæ ad S. Trinitatis templum, magnis sumptibus, elegantissimo opere erectum, etiam vnius pagi adiectione dotatum, sepulturæ suæ, & Familiæ destinauit. Stanislaus verò ipsius vnicus superstes filius, Sendomiriensis, itidem & Scepusiensis Capitaneus, nunquam se abduci ab auita, & Catholica religione passus, & semper Romanæ fidei, quam ex ipsa vrbe integram retulerat, acerrimus extitit defensor, & tantò magis ducta in matrimonium pijssimæ matris, Heroinæ Iaroslauiensis, pijssima, ex Ducibus in Ostrog, filia speramus hunc ipsum Illustrem et nobilissimum virum Patres Soc: IESV ardentiori studio, prosecuturum, et ob matris coniugis suæ erga Patres affectionem, maiori beneuolentia complexurum. Habemus autem persuasum, commoda Ecclesiæ pro innata sibi et coniugi suæ pietate eum amplificaturum, neq; firmas eas opes futuras putaturum, quæ neglecto Christi patrimonio studio quamuis impensiori coaceruantur. Euidens enim ea res est, et palpari non modo videri potest, illos omnes qui neglectui habuerunt Ecclesias, & dotes illarum prostituerunt aut ipsi hæretica manu inuaserunt: iusto Dei iudicio, ex pagis & bonis suis pulsos, vel perijsse, vel inopem traduxisse vitam, aut certè amplas possessiones Catholicis hæredibus reliquisse, vel etiam in externorum transmisisse vsum, et fructum: eodem fato, et Pinczouia in aliam familiam translata est, cùm prius ex persuasione Crouicij ministri, religiosi Pauli primi Eremitæ patres, è templo, et domicilio suo eiecti sint. Erat ille pestilentissimus ministrorum antesignanus, quem tamen Zebrzydouius

uius

uius Episcopus Cracouiensis, *cæperat, sed ab Hæreticis, Ioanne Marchocio incentore, ad oppidum Buscum maiori violentia retractus, multo furiosior, et audacior ad mentiendum, et fingendum effectus, tandem in Arianismum, prolapsus est. Sed neq; Marchocius ipse, amplam tulit de tanto spolio palmam. Nam Nicolaus, et Paulus præfectus siue Capitaneus Cichouiensis, à parentis sui desciuerunt hæresi, et se totos* Catholicæ *religioni deuouerunt. Sed vt ad rem redeam, vbinam multarum familiarum, possessiones, luculentissimæ? quas hæresis, ex illorum manibus extorsit, vel genus per tot secula à maioribus deductum, cùm in quibusdam familijs vix vnus, aut alter superfit, qui vtcumq; reliquias hæreditarias tueri queat, vtinam et vir ille Zbąski Curouius, eruditione, et memoria præclarus vir, quem hæreses perplexæ adbuc irretitum tenent: decoctis aliquando erroribus,* Catholicæ *fidei se adiungeret; baberet posteritatem in multas seculorum ætates perpetuatam. Attingenda etiam viciniora sunt nobis exempla. Boriuouius Podlodouius in Ruskow prope Opatouiam, pago suo, prophanata Ecclesia cultu q; diuino abolito, et ipse ex eodem pago cedere coactus est: restituta tamen à Catholico successore Parochiali Ecclesia. Sic prope Osiecum Turscij similes pænas dederunt, spoliatæ Niekrasouiensis Ecclesiæ, bonis ad alteram Familiam translatis: sed et bæc pares quandoq; datura est pœnas; si in fouendo bæretico ministro, fuerit pertinacior. Metuant et Malicij, ob Ecclesiam Catholico Parocho Malicijs ereptam, ne in similem euentum impingant; quorum tam*

bona nonnulla in alienas commigrauêre manus. At quis tam multorum exemplorum faraginem facilè collegerit? Et verò illud obseruatu dignum censeo, etiam in familijs praecipuis; illos qui ad Catholicam redière fidem, nullo negotio etiam paterna bona recuperauisse, et in haereditate familiae censeri, Haereticis obstinatis, extorribus semper existentibus: cum Catholicis, possessiones integrae imò auctiores manent. At verò illis, qui in suis erroribus obdurauerunt, non id datum est: verùm ea quae quondam possidebant, in alienas peruenêre manus, & illorum esse desière. Sed & Catholicis Polyticis idem euenire videmus: qui quantum Ecclesiis ex decimis, & reditibus detrahunt, tantùm & multò amplius de suis, vel interdum totum amittunt, maledictione diuina illos persequente. Perspicuum igitur sit, haeresim iam intendentem, iam remittentem gradum, sua absurditate, flaccescere.

CAPVT IX.

Slupeciorum, Grothorum de Konari, ad Catholicam religionem receptus.

HIc verò mihi cursus verborum Cochleuij intersecandus visus est, cum ea quae dicebat remotiora visa sunt nobis, & non tam ad Sendomirien. quam ad Cracouien. pertinentia tractum, ideo tantò minus nobis nota. Reuocabo igitur meam narrationem, ad propinquiora meae Sendomiriae loca, ac inprimis occurrit mihi percelebris Slupeciorum

rum Grothorum domus. Hæc non ita pridem ferè tota varijs hæresum procellis iactata, vel potiùs absorpta fuerat, tandem cum reuocare in memoriam cæpisset: qualis, & quantus vir fuerit Grothus Slupecius Episcopus Cracouiensis; cuius sanctitatis, & vitæ integerrimæ testimonium, perhibet illud monumentum, in Cathedrali Ecclesia Cracouiensi hactenus vnicè cultum, ad quod multoties piorum vota suscepta esse feruntur abiectis illico densis errorum scaturiginibus; quibus Catholica obruebatur fides, & Basileam, perniciosis hæresibus infectissimam vrbem, in qua ibidem sub nomine studiorum imbuti erant, toto pectore detestati: tum sectarum dissectarum propudijs repudiatis, ad eam, quam sanctus Episcopus, inter proceres Ecclesiasticos pio honore prosequendus coluit religionem, redeundum sibi putauère. Dico ne quis erret, de Samuele, & Alexandro Slupecijs: qui tamen ne aliquid temerè fecisse viderentur, è Gallijs redeuntes, ipsam Romam totius Catholicismi sedem adière, exploraturi num ea, quæ per Germaniam, & Poloniam passim ab hæreticis spargebantur, veritati cohærerent. At qui Deus bone, quàm contraria his quæ effutiebantur repererunt: quàm euidenter ministrorum impudentiam, & mentiendi assiduum pruritum, qui densa & circumfusa caligine, pietatis Romanæ exercitia, inuoluere conati sunt, redarguunt? Nullibi enim tanta pietatis, et charitatis officia exerceri se vidisse, quam in ipsa vrbe Roma testati sunt. Vbi tot templa; tot aras; tot religiosas, vtriusq; sexus familias, tot sodalitates, quarum vnaquæq; diuersa charitatis officia distincta habet,

habet, tot nosodochia, varijs morbis, varijs ægritudinibus curandis destinata, tot Collegia, Græcorum, Anglorum, Neophitorum, Maronitarum, Armenorum, Abisſinorum, & aliarum nationum, quis enumerauerit? vel quis supputare quiuerit, immensos sumptus, in splendorem Ecclesiarum, in dotationem hospitalium, in gymnasiorum structuras, erogatos, & expensos? Tum in peregrinis excipiendis, sustentandis, viatico iuuandis, profusissimam liberalitatem, in orphanis alendis, virgunculis derelictis educandis, & locandis, captiuis redimendis, indefatigatam sollicitudinem: ita vt omnes vrbis plateæ & vici, mutuis pietatis in Deum, & erga proximos charitatis exercitijs, inter se certare videantur. Hæc omnia nobilissimi tum adolescentes, cùm exactius; expenderent, oculosq; & animos potius ad officinas pietatis, quam (vt muscæ ad scabiem relicto corpore sano) ad illecebras, & voluptates conuerterent, hæresibus abiuratis, Apostolicam sedem incredibili honore, summis obsequijs, inusitata pietate, colunt et obseruant, ita vt potius vitam quam Catholicæ religionis professionem sibi, eripi, si opus esset paterentur: Testantur templa in eorundē bonis restaurata, et legittimis pastoribus addicta, Pneuense templum à Grotho Slupecio Episcopo Cracouiensi in Parochialem erectum, quod à triginta annis ex prophanatione neglectum, ruinæ proximum erat, iam nunc refectum, et picturis elegantibus exornatum conspicitur, suppellectili satis decenti eodem illata, quod docto, et pio viro Parocho Strzezouiensi, & eiusdem loci Decano; mihi etiam adstrictissima obligatione deuincto, in

Ito, in administrationem commissum est. Certè cùm non vulgarem in studijs profectum quondam assecuti sint, nunc elegantis ingenij, ad omnem humanitatem propensissimi, eam merentur laudem, vt non mirum sit, in illo Patauiensi celeberrimo vniuersali studio, Samuelem pro rectore omnium nationum suffragijs primum expetitum, demum creatum esse, honoresque sibi absenti decretos, & in parietes Gymnasij relatos hucusq; extare, quos nulla vnquam tempora, prout & magni illius Zamoscij, qui eadem dignitate ibidem functus est, abolitura crediderim. Fratres verò istos patrueles suos seriori quidem tempore; sed desiderio pene eodem secutus est: Illustris Felix Slupecius, Castellanus Lublinensis, Senatorij ordinis vir. Satis enim omnibus erat antea explorata, ad Catholicam religionem amplectendam, animi illius quædam propensio: siue ipsius deuotionem erga intemeratam, ac nullis humanis laudibus ritè celebrandam, Virginem, Matrem Saluatoris nostri Dei, siue studium eiusdem primùm in restaurando oppidi sui Kliczkouiensis templo, & ad gubernandum Catholico sacerdote accito: siue ipsius compositissimum, dum de religione disceptatur, progressum, & affabilitatem spectes, certè hæc omnia spem faciebant, se & istis fratribus duobus patruelibus aggregaturum esse. En tandem per Dei singularem gratiam, deprehensis accurata disquisitione, perplexis errorum, ineptiarum, mendaciorum, diuerticulis, & cubilibus, ministrorumq; artibus, qui suam licentiam, fucato Euangelicæ libertatis nomine, vt eo tutiùs Catholicorum famam concerpant, & dilacerent, obuelant,

S *in suo*

in suo oppido Opoliensi (cuius parochialem Ecclesiam, eiecto ministro, pastori Catholico regendam & gubernandam, multa supellectili ad cultum diuinum pertinente, comparata, commisit) non erubuit in frequentia virorum piorum, & religiosorum, palam fateri se iam filium Ecclesiæ Catholicæ Romanæ esse, nihilq; commercij posthac cum ministris Caluinianis sibi intercessurum: quorum arrogatam & arreptitiam, spargendorum dogmatum erroneorum, potestatem, se toto pectore detestari, fassus, Catholicæ Ecclesiæ tanquam parenti indulgentissimæ, ritè primùm expiatus, insertus est, subsecuta omnium quotquot aderant ingenti lætitia. Existimo, non paruum etiam stimulum ad eiusmodi regressum ipsi adiectum esse, ex fratris sui Zbignei natu maioris, sero quidem, & vsq; ad extremum vitæ suæ tempus, ad Catholicam religionem, dilato conuersionis desiderio. Scio equidem id non libenter audituros factionis Euangelicæ antesignanos, & vix fidem accomodaturos, cùm illum pro sui Euangelij sectatore extulissent, & ritu Caluinistico sepulturæ mandâssent: sed proculdubio falluntur, si persuasum habent, à suis partibus illum stetisse. Mecum enim iam ex ægritudine decumbens, cùm semel admissus essem, contulit, & contulisset crebriùs, de his maximè, quæ ad salutem animæ consequendam pertinere existimabat; si ad illum accedere prohibitus non fuissem. Cùm enim Sendomiriæ proximam resolutionem corporis & animæ sibi instare animaduertisset, Deum immortalem, quos singultos ille edidit, quanta copia lachrymarum genas suas inspersit? hoc vnum semper lamentatus,

quòd

quid non tempestiuè, & dum adhuc valitioribus viribus esset, saluti suæ prospexisset, quem tantum subrusticus pudor in hæresi retinebat; quam tot verbis, me tum præsente executus est, ita vt palam fateretur, se Catholicè velle mori. Et cum ad confessionem faciendam eundem vtcunque quantum angustia temporis patiebatur, disposuissem, cras rediturus, & sanctum Eucharistiæ, Sacramentum clanculum allaturus, mox subolfecêre illi, qui non tam, vt ægrum curarent, adhibiti fuerunt, quam vt obseruarent, ne aliquis Catholicus intro admitteretur, præsertim cum non ignorarent, ministrorum non solùm congressum, verum & conspectum ipsum ferre non potuisse. Mox eadem nocte superuenit mater, quæ ministellum quendam secum vna adduxit, ne saltem existimaretur, si obijsset, Catholico more se voluisse efferri: tum demum ego exclusus, non amplius progredi potui, palam & coram testatus, eum verè Catholicum esse, & Catholicè moriturum, mequè in mea Ecclesia, si permitteretur, sepulturam ei non denegaturum. Didici tamen ob meam repulsam, tantoperè indoluisse, vt quidquid erat librorum hæreticorum, qui ei ad legendum obtrudebantur, inter quos Cathechistici illi, & cantilenis cœtualibus permixti, reperiebantur, in ardentem camini focum iniecisse, mequè aliquos ex illis, semiustos vidisse. Hinc facile adducor, vt credam, & eundem per Illustrem Fælicem insigni prudentia virum, etiam exemplo fratris sui permotum esse, ne ampliùs conuersionem

S 2 *diffe-*

anne Ligeza eiusdem nominis nepos adolescens à pueritia pietate & sanctimonia vitæ imbutus nuper in Societatem nominis Iesu receptus magnam spem facit, illum non solum Ecclesiæ sanctæ, verùm & religioso Societ: Iesu ordini, decori, & ornamento futurum. Subdapifer verò Sendomiriensis Sebastianus Ligeza, nunquam aliqua hæresi irretiri potuit, quin repurgatam ab hæreticorum ministris præsertim Iuaniscijs Ecclesiam, quam ego ex permissione loci ordinarij, ad primam vim consecrationis reduxeram, Catholico sacerdoti, & pastori gubernandam concessit, imò nullus quod sciam ex domo Ligezorum reperitur, qui ab impia hæresi, se afflatum esse diceret. Aliquid ex ea erroris contraxisse visus fuit Stanislaus Ligeza, Præfectus, siue Capitaneus Opocinensis, Theodoro patre hæretico natus, cui multæ cum Clero; & cum subditis regiis intercesserant controuersiæ. Sed postquam illum acerbissimus casus ex equo prostratum humi allisisset, tunc humiliandi se coram Deo nactus occasionem: accersitis religiosis viris, quos Bernardinos vocamus, tanto animi ardore, tanto cordis affectu, non solùm Catholicè se mori velle professus est; sed illico conuocatis omnibus, qui se ab ipso aliqua iniuria pressos crederent, omnibus sufficientissimè, dum adhuc viueret, potiùs putauit satis dandum, quàm restitutionem post obitum alijs comittendam. Mira hæc erat profectò mutatio dextræ excelsi: ex oppugnatore decimarum, & Cleri hoste, ex subditorum oppressore (lingua enim admodum promptus erat, et authoritate in omnibus comitijs et conuentibus pollebat maxima) repente

talem euasisse, vt suspiria ex imis visceribus deprompta, & eiulatus ipsius, etiam vim lauacri nonnullis habuisse crederentur. Et non solum decimas, nulla interposita mora Ecclesijs restituit, verùm in pago suo hæreditario Boleslauice magnis sumptibus, templum Deo Opt. Maximo in quo etiam sepeliri voluit, ex sectis lapidibus, vt ædificaretur, fratrem suum Germanum, nostro idiomate Zbozinum, Latinè Adauctum fortasse dixeris, & ipsum Catholicum, nuper defunctum, obstrinxit, cautione magna interposita atque inscriptionibus satis firmata. Ita gens Ligęzorum conseruatæ in domo sua, religionis Catholicæ, perpetua etiam laude, si tenaciùs in ea persliterit, condecorabitur, præmiaq; à Deo referet æterna.

Ioannes tutor.

CAPVT XI.

Gnieuosorum Familiæ in religione reciprocatio, præsertim Martini Gnieuosii, eius coniugis pietas, & erga templa affectio, Tum quales Didinii filii eiusdem.

GNieuosorum quoque longe à maioribus repetita origo Chobrzanensi, Gorzycanensi, Lunouiensi domicilio non incelebris, vicinitate sua me admonet, ne sicco quod aiunt prætereatur pede. Digna prædecessorum virtute et pietate posteritas, nisi hæc exulceratissima tempora, seriem religionis Catholicæ quæ aliquot decadum annis in domo

hac

hac continuè vigebat, interupissent: quæ etiam insignem quondam Chobrzanensem parochialem Ecclesiam ita allise-runt, vt nisi ipsi subuentum sit prostratam quandoq; summo cum dolore deplorent Catholicæ piæ mentes. Sed Paulus Iudex Castrensis Sendomiriensis, & Hieronymus maiores natu, cæteriq; ex ordine fratres Catholici quamuis hæreticis parentibus orti, non patientur hanc sibi restauratæ Ecclesiæ ab alijs præripi laudem, qui cum plerique eorum præsertim ætate maturiores, in classibus Patrum Societ: IESV, *prima initia Catholicæ religionis degustâssent, temporis progressu, tales euaserunt Catholici, qualium non admodum copiam, circa oppidum Pokrzywnicense habemus. Martinus quondam Gnieuossius, vir comis, & gnauus, & vno omnium calculo vir probus iudicatus, cum fucatis, & simulatis hæreticorum lenocinijs circumuentum se esse grauiter ferret, diu multumq; animo fluctuans, nec quidquam sibi supinè, et perfunctoriè aggrediendum ratus, sensim cæpit errores excoquere, quos domi ab ineunte ætate imbiberat. Ac primum ne dum quidem Ecclesiæ Catholicæ reconciliatus, templum Lunouiense ex sectis lapidibus eleganti opere fabrefactum, et à multo tempore in potestate ministrorum detentum, imò sepulturis aliquot insignium hæreticorum contaminatissimum, coniugi suæ Annæ Lesciæ, fæminæ Catholicæ religioni addictissimæ, permisit instaurandum, quæ Catholicis sacerdotibus introductis, ac templo ritè repurgato, sua prudentia ita mariti animum emolliuit, vt non solum Lunouiense hoc templum, quod postea in manus alienas, Catholicas tamen,*

deuo-

deuolutum est; verùm et Zdziechouiense æquè à triginta annis desertum, et vacuum, Catholicis sacris administrandis addixerit; eius ego filium Andream, prudente matre, et ministrorum conatus præuertente, clam eo accitus, sacro baptismate perfuderam, qui iam nunc maturior adolescens effectus, & institutione Patrum Societ: Iesu domi, & foris vsus, Catholicæ religionis studium etiam ad posteros trasmissurus speratur: Ita non defuit pijs conatibus eximiæ matris præpotens Deus. Nam licet serius, effecit tamen, vt & maritus Catholicis se adiungeret, et pie sanctéq; perceptis omnibus sacramentis, vitam finiret, quem illa, lugubri extulit funere: & vt magis communi amborum sepulchro nobilitaretùr locus in oppido hæreditario Zaklikouiensi permixtis lapideis substructionibus è cocto latere amplissimum à fundamentis erexit templum: ad quod Collegium Mansionariorum vt vocant introduxit, vnà cum Præposito: & cum multa suppellectili, & denarijs repleuisset sacrarium, ita de singulorum prospexit commodis, vt si percurreris ad minimos, nullus se, ne æditu us quidem præteritum conqueri posit: siue scholæ Cantores, siue Organa Musica, in quorum structuram non minimos expendit sumptus, spectes. Quid dicam de Xenodochio apud eandem Ecclesiam ædificato, ad quod non solùm pauperes, distinctis tamen sexuum habitationibus, promiscuè recipiuntur: verùm & deuotarum, præsertim nobilium virginum, aut viduarum receptaculum, constitutum est. Nec ipsa abhorret ab earum conuictu, & conuersatione, cùm et inter eas mansionem fixerit suam, et nihil

& nihil differre ab ipsis voluerit. Credimus filium postquam redierit, firma fundatione, conatus pijssimæ parentis promoturum. Nupta quidem & antea erat hæc lectissima fæmina Stanislao Didinski, terræ Præmisliensis viro nobilissimo, quem ex remisso & polytico Catholico, feruentissimum & religiosum hominum amantissimum reddiderat, ex quo susceptos filios, ita in scholis Patrum Soc: IESV *instituendos curauit, vt vnum ex filijs Lucam, iam videat sacris initiatum, & ob singularem eruditionem, & iuris non vulgarem cognitionem, in regiorum secretariorum numerum, relatum. Stanislaus vir egregiè pius, & omni genere virtutum instructissimus, ductam Elizabetham è domo Lanckoruniorum coniugem, hæreticis parentibus natam, à quibus etiam eandem labem imbiberat; iam non solum Catholicam, sed & pietate insignem effecit. Ioannes etiam nunc adolescens, eadem pietate, & religione præditus, antiquum refert ortum stirpis suæ. Sophiam verò filiam, despondit vnico sponso Christo in monasterio Brigitano Lublinensi, religiosam monialium vitam professam. Hæc ideò libentiùs commemoro, tum quod huius nobilissimæ, & virilis animi fæminæ, Martinus Lieski, ex fratre nepos, mea sanguine propinqua, in matrimonium ducta, nuper affinis factus est mihi, tum quod filiam suam vnicam Gniewosiam; educationis, & institutionis maternæ tenacissimam, iunxerit fædere coniugali Alexandro Grotho Slupecio, cuius animi erga me beneuolam propensionem, ego magni faciò, & faciam semper.*

CAPVT XII.

Czizouiani templi ad Catholicos Czizouios reuolutio, itidem Curozuecensis. Zbignei Lanckoronscii. Petri Tarlouii laus celebrata, & eorum qui Sendomiriensi nobilitati in vtroque foro iura dicunt.

SED neq; Czyzouiense templum, quod pari distantia vno atq; altero milliari, cum Cunouiensi Sendomiria abest, præteruolandum censeo, Czyzouiorum verò familia, in hoc regno magnis & senatorijs honoribus quondam perfuncta, eiusdem quidem nominis, sed non eiusdem stirpis, per successionem fæmineam in aliam transiuit, gentem. Castrum & templum ab illis antiquioribus Czyzouijs egregio lateritio, & saxeo opere extructum pietatis antiquæ, refert memoriam, à posterioribus Caluinianis furoribus iam grassantibus, templum, Præpositum & Collegio mansionariorum, nobile, pari furore correptum, inuasioni, ministrorum, patere permissum, vbi tot reformatoriæ nouæ religiones texebantur, et retexebantur, tum à recentioribus succrescentibus, eadem leuitate explodebantur: nunc verò reflante Zephyro, & Præpositum, & sacerdotes Catholicos habet, opem primùm, insignis viri N. Czyzouij, Vexilliferi Chelmensis; qui primus ex hæresi se proripiens, post defun[...] fratrem suum Hieron: Czyzouium, virum ingenio qui[...] sed hæretico afflatu imbutum, Catholicè, & vixit, & [...] omnibus ritè sacramentis, piè mortuus est. Ad hunc [...] pupillorum cum pertinuisset, sollicitus de opti-

ma institutione nepotis sui Alexandri, eum, quàm primùm ad scholas Societ: Iesu frequentandas mittendum curauit, cum tanto in religione Catholica profectu, vt magnam copiam hæreticorum librorum, quam pater ipsius in ministrorum gratiam, ingenti sumptu comparauerat, Vulcano deuorandam, & absumendam tradiderit. Extant querulæ quorundam ministrorum ad adolescentem literæ datæ, in quibus magnis lamentationibus deplorant, tantam, si dijs placet, librorum iacturam. Filiolæ sorores, eximia forma, et pudicitia, virgunculæ, auiæ suæ mulieris hæreticæ, apud quam educantur, persuasionibus non possunt adduci, vt parentum errores sequantur: et tametsi ob eam rem multa perpetiantur, constantissimè tamen in religione Catholica, semel admissa perseuerant. Erat et altera Czyzouiana domus, penes parochiam Koniomlotensem, quæ in bonis Chrzonouiensibus fixerat fidem suam, sed à priori, et stemmate, et origine distincta. Horum bonorum vnicus hæres relictus Hieronymus Czyzowski, patre Euangelico, vel potius Atheo, matre Arriana prognatus, cùm Illustrissimum Cardinalem Radiuilum bis fere Romam secutus fuisset, opera, et persuasionibus Illus: Hieronymi Osolynij, Abbatis Pokrzywnicensis, fratris sui consobrini (vtrumque enim duæ Strzizouianæ sorores, in lucem ediderant) Catholicam religionem repetitis vicibus in Italia professus, in eadem quoad vixit constantissimè perseuerauit. Remotiori quidem distantia, sed in eodem territorio, distabat Kurozwęcensis oppidi templum, cum monasterio Canonicorum regularium S. Augustini, à Lanckoronijs hæredibus, hæ-

resi iam infectis, pulsis fratribus, ministris vrgentibus, prophanatum. Quod iterum perillustris Zbigneus Lanckoronius, quamprimùm ad illius manus iure hæreditario illa peruenerunt bona, ijsdem Canonicis vna cum cultu diuino restituit. Hic abiectis repente pestilentibus, & erroneis doctrinis, Catholicam religionem professus, Lanckoroniorum genus, ad antiquam maiorum pietatem, & fidem reuocare conatur, quem etiam Serenissimus Rex noster, Succameriatus Sendomiriensis, post Senatoriam dignitatem, primo honore, condecorandum putauit. Hic etiam posteaquam fratrem suum germanum natu minorem obstinatè in hæresi extinctum, nulla prole relicta, extulisset, bonaq; ipsius iure perpetuitatis ad se deducta essent, vnà cum Tarnouia coniuge defuncti ex oppido Olesnicensi ministros Caluinianos amouit: templumq; illud à Zbigneo Cardinali Olesnicio extructum, Catholicis sacerdotibus, cum tota Ecclesiæ dote, restitui curauit, adnitente Illustri Comite à Tarnow Castellano Sendomiriensi patre coniugis defuncti, viro pio & Catholico, vt non mirum sit filiam eius, nullis persuasionibus à viro hæretico, Catholicoq; nomini infensissimo, ad deliria Caluiniana amplectenda adduci potuisse; sed eam suo iure inscriptitio, siue dotalitio vsam, Parochum virum probum, annuente, et approbante, Episcopo, illi parochiæ præfecisse. Nec procul hinc absunt bona minoris Tursko æquè perillustris & Magnifici Alexandri Petri Tarlo, è Topororum Familia, quæ magna ex parte, non sibi à Catholico tramite recedendum putauit. Hunc Deus Opt: Max: piæ quondam

Tarlo-

Tarlorum Familiæ recordatus, vnà cum matre pijssima Szafranicię domus (quæ, nulla in hæresi disseminanda feruentior fuerat) ab hæresi retractum, quam a parente suo Palatino Lublinensi imbiberat, Catholicæ fidei restituit; priùs fratre ipsius in hæresi obstinatiore, è viuis sublato. Illud quoq; obseruatu dignum existimaui, quòd inter magistratus, siue vt vocant officiales Palatinatus Sendomiriensis, tametsi maxima pateat amplitudine; vix tamen aliquem reperias, qui non se Catholicum profiteatur initio sumpto à Palatino, Castellano, Succamerario, Capitaneo, Subdapifero, Iudice, vt dicunt terrestri, Structore mensæ, Subiudice, Notario, & alijs ex ordine, hos omnes si numeraueris, reperies Catholica pietate, & religione insignes viros, circa quos immorari, atq; illorum expendere virtutes singulas, non est mei instituti. Hos enim nunquam puto afflauisse auram Veuangelicam. Certè præclarus vir Paulus Minostowski in iudicijs ferendis æquissimus, & acutissimus Iudiciorum Sendomiriensium præses, nunquam aurem, & animum adhibuisse peregrinis dogmatibus, credendus est, qui ita eruditionem literarum Polyticarum (vt est insigni memoriæ) cum cultu religionis coniunxit, vt siue iudicia tractet, siue cum hæreticis congrediatur, semper præclaram referat laudem, ita vt non solùm ab omnibus amari, verum & obseruari mereatur. Idem fortè de Paulo Chocimouio vices Iudicis obeunte viro industrio, & iuris patrij peritissimo dixerim. At Georgius Piasecki nuper defunctus, Scriba, vel notarius horum, cuius etiam in decretis promulgandis magna erat au-

thoritas, cùm parentes vtrosq; ferme iam ad Atheismum vergentes habuisset, tamen vna cum quattuor fratribus germanis, parentum sectas exosus, quamprimum potuit se domo expedire, Catholicam Romanam Ecclesiam amplexus est, matre etiam nunc, in sua perfidia, sublato patre, perseuerante. Hic non solum filios suos scholis Soc: Iesu applicuit, è quibus inflammatum ad oppugnandas hæreses, animum retulere. verum etiam ex his vnus, Iacobus Canonicus Posnaniensis, sacris initiatus est, præbet'q; nobis eximiam spem fore, vt quandoq; ex Italicis studijs reuersus, decori Ecclesiæ & suo, Collegio magno sit ornamento. Castren: verò Magistratus officium quantum meminisse possum, semper habuit viros, Catholicæ religioni adhærentes, & cleri Sendomirien: obseruantissimos, prout & nunc habet Andream Prussynski, Vicecapitaneum solertissimum interpretem Iuris, siue Iudicijs Tribunalibus præsideat, siue Castren. iudicia exerceat. Imò ne nunc quidem Deus permisit aliqua labe hæretica illud inquinari. Ioannes enim Dębicki Iudiciorum Castren. notarius, hæretica domo, & parentibus hæreticis ortus, vir iuris patrij scientissimus, probitate morum omnibus acceptissimus, discussis in Castris Regiis, ad Smolenskum, omnibus quæ ipsum distinebant, de religione turbinibus, familia Dębicia non satis æquo animo id ferente, Catholicam fidem, potius sibi amplectendam putauit, quàm clamosis ministrorum, de præcipuis fidei Christianæ articulis, altercationibus iactari. Lipniciorum excepto, vno: similiter & Iugoslouiorum, è parentibus hæreticis prognatorum, quis [illegible] admiretur, continuatam in fide Catholi-

Catbolica perseuerentiam, quorum iam nonnulli, pie, & religiose in eadem fidei professione, obière, horum vero qui supersunt, posteritas, si bona institutio accesserit, florentem proculdubio in fide Catholica efficiet vtramq; familiam.

CAPVT XIIII.

Familiæ Sendomiriam, & Radomiam circum nonnullæ recensentur, tum quas hæresis nondum attigerat, tum quæ habeant paucos permixtos hæreticos. Inde ad Lublinensem districtum transitus.

LOngum foret commemorare plurimas nobilitatis circa Sendomiriam ædes, in quibus nullum iam extat, hæreticæ prauitatis vestigium, vel ad quas nullæ vnquam hæreses accessum habuêre, vt sunt Scotniciorum qui Iaroslai de Boguria, quondam Archiepiscopi Gnesnensis, & Parochiæ Scotnicensis, templi'q; eius è cocto latere extructi fundatoris præstantissimi Præsulis, encomijs tum etiam proprijs virtutibus commendantur. Podlesciorum quoque qui eiusdem stirpis, & Familiæ sunt, pietas, & religio nota est. Quis verò Bobolarum Leliuciorum fidei Catholicæ propugnatorum acerrimorum pietatem non habet perspectam & exploratam? si in vnicum Andream Regni Succamerarium Capitaneum Pilsnen: oculos coniecerit; vel etiam in placidissimos mores, Gasparis sacerdotis optimi, Canonici Craconien: vel vicinitate nobis coniunctum Iacobum

Bobolam

Bobolam intuearis. Sed & Valentinum Czerminski in vicinia nostra bonorum Regiorum Zbignouiensium interea possessorem, & in eodem Palatinatu, districtus Pilsnensis, propriorum non contemnendorum hæredem, mihi summa amicitia, & necessitudine coniunctissimum nefas existimo mihi per obliuionem elabi: qui fermè ab ipso Tyrocinio militiæ in Hungaria inter hæreticos, maximè Arianos, versatus, vel ne leui inclinatione, aut nutu illorum errores approbare deprehensus, tametsi per omnes militiæ gradus, etiam ad ipsos ducendos ordines peruenisset, semper tamen constantem animi magnitudinem, in fide Catholica retinuit: quin imo in Hungaria in promouenda Catholica religione, ita incubuit, vt in Amplissimis bonis Illustr: Ostrogiæ Dux Castella: Cracouien: in restaurandis Ecclesiis, & Catholicis sacerdotibus, in eas introducen: ipsius opera maximè vti voluit. Hic filiolum suum Ioannem, ex Stadnicia Zmigrodien: susceptum sub tutella sua Sendomirien: Studiosum esse iussit. Sed non permittit me sui obliuisci eiusdem districtus Pilsnensis, quantum ad bona Riglice propinqua Tarnouiæ, attinet Lyczkonum Familia nobilis tota Catholica, nec vnquam minima labe hæreseos aspersa, præsertim cum illius Martini Lyczko, Præpositi quondam Tarnouiensis, in memoriam reuocauissem, pietatem & integritatem, & circumspectam in rebus administrandis prudentiam, maximè vero erga parentem meum Stanislaum Cichocium, singularem animi affectum, præcipuè erga me ipsum, munificentiam liberalem, qui me adolescentulum, vnà cum nepotibus suis Martino, & Raphaele voluit iisdem

dem

dem impensis toto biennio studijs operam dare, virum certè insignem fuisse, constat, & studiorum promotorem egregium, qui testamento certos reditus reliquerat, quibus egentiores studiosi, in Academia Cracouiensi sustentarentur. Sed redeundum est mihi ad Sendomiriensis tractus viciniam. Nec possum Gorarum illud Hyacinthi Mlodzieiowski ærarij quondam Regij, & Krzeczeuiensi, & Piasecensi Præfecti domicilium, Parochiali Ecclesia, & sacello infernæ arcis, conspicuum præterire, eiusq; religionis, & probitatis esse immemor, nisi velim ingratus eius in me collatorum beneficiorum haberi, spero posteritatem illius paternæ pietatis exemplum secuturam, si à vestigijs illius non aberrauerit. Sed quis memoria comprehendat omnes quos Palatinatus Sendomiriensis profert Catholicos, vel qui ob vicinitatem loci magis sunt nobis coniuncti, vt sunt Gawronscij, Seuecij, Garbouij, Komornicij, Roskouij, Mrockones, Rusiecij, Iankouij, Slapkouij, Rzuchouij, Rogouij, Opocij, Swiecicij, ex Bidzienijs, & Posseuijs nonnulli. Nam Lipnicij qui quamuis hæreticis parentibus orti sint, maturè tamen ad Catholicam fidem sese recipêre, matre primum ad eandem reducta. de his loquor, ad quos bona Tulkouiensia, vicina nobis pertinebant. Georgius quoque Kochanowski de Konari, merito erit annumerandus inter Catholicæ religionis, qui circum Sendomiriam sunt sectatores præcipuos, tametsi non desint eiusdem Familiæ pleriq; qui illius Ioannis Kochanouij Poëtæ Sarmatici clarissimi, & inter Musas enutriti, & eruditi viri, pietatem, & religionem, in Catholica, & Romana Ecclesia haustam sequi

malu-

maluêre, quam prauis quorundam opinionibus, quæ nonnullos ex eadem Familia infecerant adhærere. Quia & Stchiecij hæreticos parentes minimè secuti fidem Catholicam amplexi sunt. Nec prætereundus mihi est vir amænissimi & festiuissimi ingenij, Stanislaus Bystriowski, quem Illustris Palatinus Sendomiriensis vices suas in instituendis precijs rerum, obire iussit, priscæ religionis tenacissimus, qui in bonis suis Sczyglice dictis, ex latere cocto, vnà cum turri adiuncta, Ecclesiam habet quam nunquam permisit ab hæreticis, in ijsdem bonis sibi vicinis prophanari: quin vxorem suam Zophiam Iazwieckam, hæreticis parentibus ortam, cùm semel atq; iterum ministros domo sua, strenuè eiecisset, ad Catholicæ Ecclesiæ gremium simplicioribus rationibus conuictam, matre frendente reduxit. Interseram quoque Petrum Domanicki, sequi maluit iam senex effectus resipiscere, & Catholicis adiungere, quàm cum Caluinianis ministris in infernum detrudi. & vt etiam à nobis remotiores attingam, Paczanouij, Parznioūj, Koualkouij, Borouij, & possessores bonorum Ostrouiec, & Piaski, qui circa Visliciam, & Corcinum, duas insignes muratas Ecclesias à multis temporibus prophanatas, iterum ad Catholicæ religionis exercitium reuocauerunt, à quibus non procul abest pagus Solec dictus, & Ecclesiam ibidem cocti lateris, non obscurum Zborouiorum quondam hæreticorum demortuorum receptaculum. Nunc verò Illustris Comitis Stanislai Tarnouij, Castellani Sendomirien: patrocinio securitate Ecclesiastica, & Parochiali, ab omni ministrorum inuasione immunis, & libera. Gercicensis quoq; penes Malicios,

Paro

Parochia, à Ioanne Stephanouio, quondam Stephani Regis aenarij Condo et Promo ex Hæreticorum Zaklikorum manibus vindicata, non postremum etiam inter restitutas obtinet locum, Malicien: Parochiæ, Catholicorum qui supersunt propinquum, relictum refugium, Radomiensis quoq; eiusdem Palatinatus districtus, plurimos habet auitæ religionis sectatores. Ex quibus Philippus & Florianus Ouadouij, ille Neapolitana legatione, hic Radiuili Cardinalis Romano comitatu, ambo autem pietate et religione insignes, primi se offerunt: quorum affinis Ioannes Ricouius, mihi vero antiqua necessitudine deuinctissimus, Catholicæ religionis propugnator acerrimus, semper extitit, adeò vt vindicato ex manibus Hæreticorum pago, Gorin dicto, ibidem Parochialem Ecclesiam à quadraginta annis à ministris Caluinianis occupatam, Catholicæ religionis cultui restitutam, omni opera exornare contendat. Nec minorem commendationem merentur Podlodouij, ex restauratione Parochialium Ecclesiarum, in bonis suis Przyticensib: et Wrzosensibus, pulsis inde ministris Caluinianis. Nec verò desunt ex Borkouiana Familia, qui strenuè Catholicam religionem tuentur, præsertim Stephanus Borkowski, mei propinqui fratris, Alberti Bugnarouicij, qui in vicinia Piotrouicensia bona possidet, gener: hic enim in pago suæ sortis Borkouiensi, quem cum Catholicis Modlißouijs communem habet, Ecclesiam Parochialem, à prophanis ministrorum delirijs, hucusque immunem conseruat, & retinet. Nicolao etiam fratre suo patruele, ad Catholicos, inuitis hæreticis parentibus, sese alacriter aggregante, quem Deus

ad se euocatum, cœlesti quiete potius perfrui, quàm turbulentis parentum et fratrum in religione opinionibus iactari, & distrahi voluit, cuius coniugem derelictam fœminam pijssimam, nunc in matrimonio habet Witkouius ille celebris Regius Secretari⁹, non solum ob auitæ religionis professionem, et pictatē, sed et in rebus agendis, legationibusq; obeundis, summam dexteritatem apud omnes commendatissim⁹. Nec omittendi sunt Dzikouij, Chleuicij, Gniewosij, Kochanouij, Timinscij, Lasocij, Karuicij, cum Karnicijs, Ruccij, Odrzyuolscij, Mecinij, quorum nonnulli etsi in suis habent Familijs, permixtos hæreticos: reperiuntur tamen plures, qui hæreses execrantur, et Catholicæ Ecclesiæ firmiter adhærent, libenterq; pro suo Radomiensi Capitaneo, agnoscunt Samuelem Ciolkum, præcellentem ingenio, et industria, ac in amore hominum promerendo, beneuolentiaq; concilianda, virum Catholicæ fidei assertorem egregium, in cuius Familiam vix puto luem aliquam, ex hæresibus contractam irrepsisse. Nec Opocinensis districtus, ad Palatinatum Sendomirien: pertinens prætereundus est, qui habet etiam egregios Catholicos, vtpote Strzebossouios, præsertim Petrum Tribunum, vt vocant, Lublinensem, Wasouicios, Gozdzikouios, Brzezinscios, Kordwanouios, & alios plurimos, qui cum Przerembio, suæ arcis Præfecto, non permittunt se à professione fidei Catholicæ persuasionibus ministrorum abduci. Ministri enim, recentes vix nouam aliquam prædam, cassibus suis inuoluunt antiquas solummodo sordes lambentes, quibus vtcunque se sustentent consectantur, cùm passim ex templis extrudantur,

vt pau-

vt paulo ante ex Parochialibus Ecclesiis, Gelnouiensi, Oleskouien: Odr. yuolen: & alijs innumeris pulsi, et exturbati sunt, Catholicis pastoribus in eorum loca succedentibus. Lublinensem terram, quantumuis nobis vicinam omisissem, si non illa fuisset quondam à corpore terræ Sendomiriensis detracta, pauca hæc tamen sunt adnotanda, in qua tot errorum, quot hæreses numerantur, antra, & cubilia frequentia existunt, ex quibus scaturigines blasphemiarum in Deum, & Dei Filium, in SS. Trinitatem, & in omnes cælites, horrendæ ebulliunt: nec satis venena illa vbiq; sparsa, cum, & sedulitate quorumuis religiosorum ordinum, & non infrequentium Parochorum, ne serpant cohiberi hactenus potuère: nihilominus tamen & Catholicorum, non paruus reperitur numerus retinentibus illos in priscæ fidei professione religiosis quibusdam Familijs, præsertim ex Dominicanorum & Bernardinorum sodalitijs. Accessit his Collegium Societ: IESV, ex cuius benè instituta iuuentute, speratur futurum, vt antra, et cubilia illa pestilentissima, aliquando disturbentur, et contrarijs antidotis, venena inde effluentia euanescant. Nec defuère imò non desunt viri quidam Illustres, et nobilibus maioribus orti, qui egregiè Catholicam fidem illustrârunt, ex quibus præcipuam palmam obtinet Firleiorum domus Illustris, & Sobiesciorum, præsertim illius Palatini Lublinen: cuius ex heresi miraculosa ferè fuit conuersio. Dicitur etiam de Vexillifero Lublinen: Czerny dicto, qui suam erga Catholicismum animi, iam solidam, & non fluctuantem propensionem testatus est, excitato in bonis suis Kijanensibus, egregio templo, quod

 idem

idem Samborcius fecit, & Koniecpolius Iudex illius terræ. Dersciorum, Brodouiorum, Kochanouiorum, & aliorum plurimorum eadem est in fide Catholica conspiratio, & consensus. Audiui & quendam ex illius Rzeczycij, Instigatoris quondam Regij, & Succamerarij Lublinensis filijs, matris pijssimæ, & sororum fidem, & religionem, quæ Catholica est, potius sibi sequendam putauisse, quam patris viri dissertissimi quidem, & solertissimi iurisq; patrij peritissimi, Caluinianis tamen dogmatibus impensius addicti, quorum ministris lateritiam synagogam, extruxerat, verum vt speramus, in templi Catholici formam, breui redigendam. Habet & nunc ille Palatinatus, officiorum primarios, omnes fermè Catholicos: *videlicet Palatinum, Castellanum, Capitaneum, Iudices, Subiudices, & Notarios Castren: & Terrestres, & alios. Sed promiscuæ nobilitatis, & oppidanorum, præsertim mercatorum, non paruus ad synagogas extra tamen ciuitatem, confluxus conspicitur, præcipua tamen nobilitas Catholicam retinet fidem, nisi forte illa sit Machiauelistis polyticis intermixta, quæ ex frequenti conuersatione cum Arianis, aliquid desidiæ, & tepiditatis contraxisse dicitur.*

Inter Illustres autem familias, in quas nullæ vnquam Hæreses irrepserunt, præcipuè numerantur, Tencinia, Tarnouia, & Mielecia: quorum si seriem continuam numerauerls, ad nostra vsque tempora, adeò pietate, & religione reperires insignes heroas, vt quid prius in eis admireris non facile reperias: religione illos excelluisse, testantur tot templa, tot monasteria, tot Xenodochia, ab illis erecta,

dota-

dotata, locupletata, & hucusq; ab omni hæreticorum manu violenta, defensa, & conseruata. Si oculos ad Reipub: statum reflexeris, si supremos exercituum duces requisiueris, si grauitatem sententiarum in consilijs depromendis desideraueris, si feruorem in propugnanda patria, & amorem in ea conseruanda expenderis, h.e familiæ abundè tibi suppeditabunt viros, quos laudes, clarissimos, quos reuereare grauissimos. Euolue annales omnium ætatum, et ex his falsa me dicere conuince, tametsi propositi mei, non est cæterarum virtutum genera, quibus hæ familiæ excellunt, stylo prosequi satis vtiq; fuerit, à fide & Catholicæ fidei, quam Romanam vocant tenacissima professione eos in medium producere, vt ex ea quæ de posteritate eorum sentiendum sit iudicetis.

Tenciniorum Familia ad duos eorumq; liberos, ferme iam redacta est, ad Illustrem Gabrielem Palatinum Lublinen: vnum, et alterum Ioannem Pocillatorem Regium, extincto nuper insignis prudentiæ, et non postremæ eruditionis viro, Andrea Castellano Belzen: cuius funeri magnifico, non ita pridem interfueramus. Lugubre spectaculum exhibuit nobis funus illud patre, et filiolo in Stasouiensis templi, ab eodem cocto latere extructi, et exornati, adjta illato. Eius coniunx Lescinia fœmina pijssima, plurimum auxit Ecclesiæ illius reditus, instituto vt vocant Mansionariorum Collegio, Dominus Deus conseruet nobis hanc Familiam Illustrem, et Catholicam, quæ à sexcentis fere annis Catholicæ fidei cultoribus præluxit, eamq; his vltimis temporibus, contra hæreticos magno animo tutata est.

Nec

Nec deerant fortasse ex eadem domo sacris initiati, et vtriusque iuris saltem ex Topororum gente, consultissimi viri, non enim illis temporibus erat insuetum, Principes viros, literarijs honoribus gaudere, vt appareat nullis vnquam hæresibus, hanc præclaram Familiam irretitam fuisse.

Tarnouiam autem domum, nunc sustinet & propagat, solus Illustrissimus Senator, Stanislaus Castellanus noster Sendomirien: vnà cum filijs tribus, Ioachimo, Gabriele, et Michaele, ex quorum coniugijs, speramus Familiam Tarnouiam in multa sæcula feliciter perduraturam. Debetur id pietati maiorum, debetur & parentis optimi in conseruanda Catholica religione, studio, & constantiæ, vtinam aliquando redeat ad eandem domum Comitatus ipse Tarnouiorum, ex quo serie continua vsq; ad nostra tempora, tam celebres, tam Illustres prodiere eiusdem gentis heroes: quorum summa pietas in excitan: & locupletan: Ecclesia Collegiata Tarnouiensi, & in ædificando monasterio sodalitij Bernardinorum, vt alia prætercam loca, enituit. Protulerat hæc eadem domus parentum meorum memoria, virum Ecclesiasticum, Præpositum Tarnouium, & Canonicum Cracouiensem. Sed dum ipsi paratur ad altiora subsellia ascensus, Deus ad se vocatum sublimius ascendere fecit.

Mielecia domus æque Illustris vetustissimorum Gryphorum Familiæ, quæ etiam supremos Magistratus Senatorios, quorum inter præcipuos est, Castellanatus Cracouien: gessêre: per totum Regnum, præsertim Russiam, & Podoliam Palatinatus, & alia Senatoria subsellia, è domo illorum non fuerant egressa. Nostra tempora attigerunt duo amplissi-

amplissimi Senatores, Sebastianus Castellanus Cracouien: cuius filius Hieronymus, Capitaneatum Sendomiriensem obtinebat, cuius ego pietatem, humanissimos mores, affabilitatem innatam, imo & erga me beneficum animum, satis admirari non poteram, Catholicum virum insignem, protulerant nobis ista tempora, si vita diutior ipsi contigisset. Nam & de Collegio Sendomirien: fundato, seriam mecum inire voluit cogitationem, assignando in eum vsum, certam pecuniæ summam, sed mors inopinata irritum reddidit id totum Domino Deo alteri hoc negotium reseruante. Ex eadem Familia ad hæc tempora superfuêre quattuor tantum fratres germani, Nicolaus Abbas Tinecensis, *sed quem præpropera mors nondum sacris initiatum eripuit. Ioannes alter qui tribus filijs Nicolao, Ioanne, et Hyacintho, pietate præclaram auxit Familiam. At Martinus ex Zophia de Stanislauice, coniuge lectissima, & deuotissima fœmina, Ioannem, Stanislaum, & Martinum, procreauerat, ipse intempestiua morte sublatus. Hi pijssima matre, omnes conatus in optima liberorum institutione, adhibente, Collegium Sendomiriense, ingenuis, & suauissimis moribus, nec minorem literarum cultu exornant, et exornaturi sunt, Christophorus horum patruus, adhuc cælebs permanet, Catholica professione fratribus non inferior. Addam & illud quod scriptum reliquit, in sua descriptione Polonica, Stanislaus Sarnicius, quamuis homo hæreticus, propterea insigne habere Gryphiam hanc domum, nostri vocant Swobodam, eò quòd habeat liberum liberalemque animum, & quod multas possessiones, vt quidam non inepte ex-*

ptè exponunt, Ecclesiastico ordini contulerit, vt donationes Iaxæ, qui fundauit Miechouiensem Conuentum Sepulchri Domini fraternitatis. Hæc ille. Numerabantur quoque antiquitus in Polonia, multæ æquè Illustres, & clarissimæ Familiæ, vt pote Kurozwanciorum, Rituianorum, Schidlouiorum, Melstiniorum, & Spitkorum, siue Iordanorum, Komorouiorum de Zywiec, sed quorum aliæ neque tempora hæc, in quibus hæreses ebullire cæperant, attigerunt, aliæ vix exortas, conspexêre; omnes verò istæ, egregia pietatis suæ, vbique monimenta, quasi Catholicæ et Romanæ fidei trophæa erexêre. Et ne tam propere recedamus ab Illustrioribus Familijs, recurram adhuc paululum ad Stadniciam domum, ad illam quæ se de Zmigrod dici et scribi vult, quanquam hæc magis ad Russiam pertineat, at Niedzwiedzum, Cracouiæ vicinum, cum in eadem Familia censetur commodè, & in eo loco recenseri potest, inter quos Andream noueratis, virum Catholicæ Ecclesiæ totum deuotum, pietate verò tanta, vt à religioso quouis in fundendis ad Deum Opt: Max: precibus, et à Sacrosanctis Christi Domini mysterijs, frequentandis, nihil differre videretur: hic quam sanctè vixerit, quam piè in Domino nuper obdormierit, celebris per ora omnium religiosorum volitat fama, eo nomine fratre Ioanne infelicior, quòd ipse, coniugem suam ex hæretica statim reddidit Catholicam, hic verò sororem eiusdem germanam, cum qua in matrimonio coniunctissimè vixit, nullis conatibus, nullis persuasionibus abducere ab imbibita, à parentibus hæresi poterat, ea tamen non sine spe conuersionis relicta,

præser-

præsertim cum ex eadem suscepisset, generosæ indolis filios, Nicolaum natu maiorem adolescentem, ex insigni morum suauitate, ingenij acumine, linguarum peritia, et ex tot peragratis externis Regionibus, comparata rerum variarum cognitione, ornatissimum. Nec minoris expectationis fratres germanos Marcum, et Stanislaum nactus, vtinam vixisset eorundem patruus. Georgius in expeditione Moschouitana graui infirmitate absumptus, superstite adhuc Christophoro patruo, cæterisq; ex eadem Familia, ex qua Martinum Stadnicium Castella: Sanocensem, quis dignis huc laudibus extulerit? virum consilio promptum, in geren: rebus expeditum, Catholicæ verò fidei assertorem præclarum, & longis passibus à fratre quondam Stanislao Lancucio hæresi infecto distantem. Hic afflatam Arianismo coniugem suam Białobrzesciam, ad Catholicæ Romanæ fidei professionem, suauissimis pertraxit modis; voluißet præpotens Deus, vt frater ipsius germanus Georgius, non minus strenuus miles (præsertim in Moschouiticis bellis) quam pius, & deuotus, & fidei orthodoxæ Romanæ, feruentissimus sectator, superfuisset non mediocriter, domus Stadnicię ornamenta propagata fuissent, prout etiam speratur eorundem magnam accessionem futuram, ex posterita te Illustris Adami Stadnicij, Castellani Calisien: superius nominati, quam ipsi edidit coniunx Gostomia, illius magni Hieronymi Gostomij filia, lectissima.

Cum verò finem dicendi facere vellem, Marcisouius, quasi retenta manu, adiecit se molestè ferre, quòd etiam Zebrzydouiorum, & Komorouiorum insignes Familias in-

ter Illustres non interseruerim, quæ semper religionis Catholicæ tenacissimæ nunquam ab eius professione desciuissent, & vt non repetam sæcula antiquiora, satis erit quasi in theatrum produxisse Illustrem Nicolaum a Zebrzydouice, Palatinum, & Generalem Cracouiensem, Sniatinensemq; Capitaneum, Floriani illius Castellani Lublinen: & exercituum Ductoris filium, eandem militiam ferè à florida iuuentute professum, at magis pietate, & religione conspicuum. Testatur id Collegium Soc: IESV *Lublinense, primarijs reditibus ab illo auctum. Testatur & mons ille Caluariæ celebris, Passionis Domini nostri ad viuum repræsentatiuus, per tot sacella, quasi stationes quasdam, primum comprehensionis Dominicæ, deinde sequentium actuum, qui omnes ad acerbissimos dolores, ludibria, tractiones, explicandos accomodatissimè oculis piorum subijciuntur, donec ad ipsum templum, & Monasterium sodalitij Bernardinorum perueniatur, distinctus: ad quem locum tanta hominum multitudo confluit, vt celebrioribus orbis locis, ad quæ religionis ergo concurritur, coæquari possit. Hæc omnia maximis impensis extructa, tametsi nondum perfecta, qua pietate illud pectus tam Illustris viri imbutum est, declarant, et testatum faciunt: à qua ne latum quidem vnguem abesse cupit, eiusdem filius Ioannes, Lanckorunen: Capitaneus, animi generositate, et eruditione, ex studio diligenti, tot peragratis Christianorum oris comparata, nemini secundus. Maior Polonia protulerat etiam quondam eiusdem Familiæ viros Illustres à Wiecborg, præcipuè illum Andream Episcopum Cracouien: terrorem Caluinianorum mini-*

ministrorum, præsertim in ipso initio grassantium hæresium, tum etiam Gasparem Palatinum Calisiensem, et alterum Palatinum Andream Berestensem, cuius nomen mihi non succurrit, qui omnes Catholicæ religionis tenacissimi fuêre. Komorouiorum vero de Zywiec peræquè antiquissima Familia conseruatæ religionis orthodoxæ, meretur non postremam laudem, quamuis vicina Vngariæ, & ibi diutius versata, non tamen passa est se aliquo hæreseos vento, sæpius Zywcum perflante, ab auita deturbari fide. Nicolaus vir excelsi animi, Capitaneus Oswięciniensis, in Zyuiecio suo, non solum sartam tectam conseruat religionem, & templa ornatu eximiò illustrat, sed & reditibus locupletat, & ministeria sacerdotum auget. Idem faciunt fratres eius germani, Petrus, & Alexander in adiacentibus suis proprijs bonis, qui nunquam à semel recepta à maioribus fidei professione aberrarunt, maximè parentem suum, virum in virtute & pietate conspicuum, secuti. Sed me hæc ad curriculum sermonum Cichocij adiecisse suffecisset, nisi peroportune occurrisset mihi Ioannes Plaza, Cracouien: arcis magnus, vt vocant, Procurator, vir omnibus pietatis officijs absolutus, & erga Ecclesiasticos homines propensione animi nemini cedens.

CAPVT XIIII.

Maior Polonia vnde & à quo infecta. Ex Gorcanis bonis ministri & eorum scholæ profligatæ. Eorum successores Czarnkouii & Zamoysci-

moyſcius. Ex Oſtrorogis, Potuliciis, Opalinſciis, Leſciniis, qui Catholici?

INterſerendum aliquid & mihi eſt inquit Cochleuius, non miror quidem, Cichocium, circa minorem Poloniam, tam diu fuiſſe occupatum; cum ortum ſuum ad eandem referat, ac ne mihi quidem maiorem Poloniam omittendam cenſeo: cui Syradienſis tractus vnde ego prodij, annexus eſt: Hic inde habet, imo gloriatur ſe habere, Staniſlaum Bikouium, Palatinum, tractus ſiue Prouinciæ ſuæ, & multos alios ortodoxæ fidei tenaciſſimos cultores, quos omnes difficile fuerit vno ſermonis curriculo comprehendere: non tamen exiſtimo ob interruptum ſermorem me alicuius veſtrum reprehenſionem incurſurum: ſi aliquantulum apud maiores Polonos hæſero. Dic aio ſodes, quidquid libuerit, leges enim in alloquijs inſtituendis tales recipi debent, quæ mutuam colloquendi libertatem non impediant, præſertim ſi inter amicos res tranſigatur, modo vt ad idem propoſitum referatur totum id, dequo agi cæptum eſt. Imò ſubintulit Cochleuius, iſtud ego metuebam; Cichocius incæptum ſermonem ne abrumperet, & vltra ſylueſtres ſaltus, flumina, & lacus, ne Maiori Polonia præterita, ſibi commigrandum putaret, præſertim in Ruſſiam, vel Lithuaniam. Nec eſt, quod timeat Poloniam, non ipſi tantam materiam, propoſiti eius continuandi ſuppeditaturum, quantam vix ipſi ſuppeditare potuerit ampliſſima Lithuania. Mihi quidem maiori in Polonia res non adeò exploratæ ſunt; vt inde aliquid obſeruatu dignum depromam, referam ta-

mm ta-

ram tamen quæ me quondam contigit audiuisse. Hæc fortasse è vicina Germania, & Witemberga, venena Lutherana non adeò adhuc Caluinianis toxicis permixta, hauserat, sed quis primus author, vel introductor fuerit, non memini. Puto tamen primam Comitum de Gorca, extitisse Familiam, quæ in maiorem Poloniam ministris peruium patefecit aditum, vel saltem sua potentia, qua tum pollebat, eosdem tutata est, permissa primo ministris domi suæ ad forum Posnaniense celeberrimo loco, sitæ, temploq; Parochiali vicinæ, concionandi, & cantilenas suas decantandi, facultate, ita; vt ferè eorum reboatibus obtunderetur, illius Ecclesiæ cantus: vultis autem ostendam, quemadmodum Deus suppullulentia istorum dogmata succiderit? Sustulit primùm totam eam Familiam, quæ summis magistratibus Senatorijs, præsertim Palatinatu Posnaniensi, passim perfuncta fuerat. Hæc dicitur ex paruis initijs orta, opera, & opibus Episcopi Posnaniensis, qui ex eadem Familia ad hanc dignitatem ob præclara merita sua, euectus fuerat ad tantam amplitudinem excreuisse, vt non solùm maior Polonia, verum & minor, Russia verò præcipuè, Gorcanorum redundaret bonis, & possessionibus, quæ omnia ad alienas Familias repente transiêre. Turobinum cum Sczebrzeßino, scholis hæreticorum, & ministrorum sedibus infame, luculentia, & celebria bona, in magni Zamoscij manus peruenêre, inde hæresi profligata, Catholicismo suus bonor restitutus est. Prætereo & alias eiusdem generis arces, & oppida (neq; enim possum omnia mente complecti) in quibus potissimum lues hæretica vigebat, quæ nunc in Catholicissimæ Familiæ

Czarn-

Czarnkouianæ ex successione deuolutæ manus, nihil aliud sunt, nisi pietatis cultus diuini, religionis Romanæ receptacula, & officinæ: & quod magis miremini, Palatium illud Posnaniense in quo Ecclesiæ Catholicæ instituta, exagitabantur, & conuellebantur; sanctarum virginum castitatem professarum, domicilium, & receptaculum factum est, & in monasterium versum: palpari igitur, & non solum videri potest, Deum præpotentem in vlciscendis suorum seruorum iniurijs frequentius, hoc modo vti consueuisse, vt familia: quæ prima ausa est templis Deo dicatis, in suis possessionibus, sacrilegas admouere manus: ipsa demum ex ijsdem bonis exturbaretur, & plerumq; ita extirparetur, vt ne vnus ex ea, gentem suscitaturus, supersit: quemadmodum in Minore Polonia dixisti contigisse Bonarorum stirpi, & Szafraniciorum. Retinet autem Dominus Deus quasdam integras, cùm præuidet ex illis nonnullos exorituros, qui abiectis paternis impietatibus, ad tam latè patentem per orbem religionem, redituri sunt, strenuè deinceps, rectam fidem propugnaturi. Talem habemus ex peruetusta, & celeberrima Ostrorogorum familia, Ioannem Comitem de Ostrorog Palatinum Posnaniensem, virum acumine ingenij, eruditione, pietate, & in rebus tractandis dexteritate æquè Illustrem, qui ferè primus ex ea gente, quam fermè vniuersam incendium illud hæreticum longè lateq; discurrens corripuerat; quibusdam etiam eo incendio absumptis, restinguere cæpit, primùm omni accurata sollicitudine peruestigans: hæreticorumnè, an Catholicorum castra sibi essent sequenda. In illis cùm omnia tur-

barum

barum plena, ventis fluctuantium dogmatum exposita, instabilia, sine ordine, sine modo, & ratione confusa, animaduertisset: in his vero omnia pacata, antiquitati consentanea stabilia, & inconcussa, & in rectum ordinem disposita perpendisset, hæc potius sibi putauit sequenda, quàm tot pugnantium inter se doctrinarum tempestatibꝰ, iactari, & illaqueari se permittere. Extant plurima eius pietatis, & religionis Catholicæ animosè defensæ, argumenta insignia, ita vt & ipsa posteritas, vtinam in multas sæculorum ætates duret, habitura sit, quòd imitetur, si institutio, tanto genere non indigna, accesserit. Opaliniorum de Bnin domum existimauerim non adeo hæresibꝰ infectam fuisse; nisi fortè Andream Opalinski, supremum Marschalcum Regni, aliqua labe in iuuentute aspersum esse contigerit. At hic postea qualis quantusq; Ecclesiæ Catholicæ Romanæ sectator, Senatorq; extiterit, norunt omnes, qui non obuersis oculis, illius virtutes intuentur: ex eius filijs Catholicæ religioni addictissimis, etiam vnꝰ eiusdem nominis Episcopꝰ Posnaniensis renuntiatus est, Illustrissimꝰ vir, in quo Episcopalis dignitas, splendori suo restituta, & pietatis sincerior cultꝰ, ad pristinũ gradum reuocatus videtur. Collegij certè Posnanien: Patrũ Soc: IESV, *promotor munificentissimꝰ, vt nihil a prædecessorũ suorum, quorum sumptibꝰ, et opera Collegiũ fundari cæptũ est, liberalitate, recedendum sibi esse existimet. Potuliciorũ quoq; Familia non postrema, cùm in suis bonis diu, plurimos fouisset ministros, Chodzieżum'q; eorũ oppidũ, continuos triginta annos concursum profugorũ apostatarũ, et qui seipsis instituendos tradebant, discipulorũ, pertulisset: nunc Potulicijs retro referentibus pedẽ,*

templum oppidi sacrificijs Catholicis peragendis addictum, & ad pristinum splendorem reuocatum, ministrorum oculos, cæco liuore obnubit, Gaspare, Ioanne, Andrea Potulicijs pro Catholica religione, ministris quibusuis sese audacter opponentibus. Samotuliorum insignis quondam Familia, hæresibus eam suffocantibus pene extincta, nisi superfuisset vltimus hæres Catholicus, qui Kamionkam bona sua, Leuartouiensi oppido vicina, iterum ad Catholicam religionem reduxit, templumq; ibidem à quadraginta annis, ab hæreticorum ministris occupatum, & possessum, vnà cum celebriori quondam schola, Parocho Catholico Adamo Iskirecki addixit, sed & in ipso oppido Samotuly, quemadmodum & alibi vbi potissimum hereses vigebant, vtpote in Grodzisko schola hæreticorum illis temporibus, celebri oppido, Kurnik, Kozminek, Goluchow, Wakz, Plessow, Wschow, Catholicis sacerdotibus, restitutæ sunt templa, vixq; aliquod vestigium, excepta Wschowa, hæresis tot annis continuatæ cernitur. Sunt aliæ plurimæ in maiori Polonia Familiæ hæresibus adhuc infectæ, ex quibus tamen plurimi Catholici prodiêre, vt Zaremborum, Gaieuiorum, vel eorum ad quos oppidum Ponecense, latibulis quondam symnistarum infame, hæreditaria pertinet successione: nunc Catholica religione & ortu duorum Ponetiorum, ex Soc: IESV Patrum Ioannis, & Michaelis concionatorum insignium, et Cichocij amantissimorum, vbiq; celebre. Posnaniensis verò maioris Poloniæ, præcipua vrbs, iam ab initio prurientibus ex nouis dogmatibus, multorum animis, varia sectarum genera admiserat; Picardi, Hussitæ, Lutherani, Caluinistæ, agmi-

agminatim eò conuolantes, sua in conuenticulis & synagogis seorsiuis, despumant deliria. At ne nunc quidem hæ pestes inde explosæ, quantumuis Senatus Catholicus, & præcipui ciues, & multò maior pars Catholicorum in eam incumbat curam: ne ciuitatis immunitatibus, & priuilegijs vtantur illi, qui diuersam à Catholica profitentur religionem. Et mirum est fæcem, cerdonum, propolarum, sedentariorum, & mechanicarum artium colluuiem; quæ passim per contigua vrbi oppida dispersa visitur, tantùm posse, vt non patiatur sibi suas coitiones prohiberi: tametsi multi operà Patrum Soc: IESV, & ordinum religiosorum, quorum in ea vrbe copia non exigua est, ab erroribus reuocati Catholicorum non paruum numerum, auxêre. Calisiensem Palatinatum existimo abundare hæreticis, vel antea abundauisse, nam Collegium Calisiense Societatis IESV, fortè iam multos retraxit ab impijs erroribus, & Catholicæ adiunxit Ecclesiæ. Sieradiensis tamen tractus quod sciam, non multos profert Hæreticos; Palatinis, Castellanis, Capitaneis, & cæteris Magistratibus semper Catholicam religionem professis. Idem de Lęciciensi, & Rauensi Palatinatibus, tanquam Masouiæ Catholicæ vicinis, credendum est. Sed iam reduco pedem, satis enim de Maiori Polonia dixisse mihi videor.

CAPVT XV.

Gostomiæ gentis ad Catholicismum reditus singularis, præsertim Hieronymi Palatini Po-

snanien: cum hæreticis congressus quales.

AT ego non patiar nos à maiorib⁹ Polonis tam citò auocari, inquit Marcissouius, nisi fortè Illustrem illum quondã Hieronymum Gostomium, Palatinum Posnanien: et Capit: nostrum Sendomirien: ad maiorem Poloniam, non pertinuisse existimetis, in qua, & summos Magistrat⁹ gessit, & possessiones amplas obtinuit: ad extremum, si Sendomiria nõ impediuisset, apud Sreden: Ecclesiam sumptuoso delubro exædificato, vna cum coniuge ibid. sepulta, vltimum quieuisset. Miror verò Cichoci, dum Sendomirien: orã percurris non vidisse te domi eum, quem maiorib. laudib. extulisse oportuerat: an fortè excidit tibi peramplum Gostomianæ domus nomen, cuius cùm in Anatomia tot accumulaueras Encomia, nunc ab alloquijs hisce nostris, pene eandem excluseras. Apage inquam Marcisoui, tunc illius Gostomij, qui me tot beneficijs, ab ingenti erga me fauore profectis, pene obruerat: existimasti obliuione aliqua captum, & nõ potius huic loco reseruasse ampliorem de eo disserendi materiam, & quamuis Gostomiana gens fortè ad Masouiam ortum suum referat, nihilominus tamen & hæc, inter Prouincias maioris Poloniæ censetur. Nõ existimaueram, inquit Marcisouius, sed teipsum præcurrere volui, cùm et ego ab eadem plurimis sum excultus beneficijs. Attendite igitur quæso, me de ea gente tanquam mihi notiori, loquentem, dicturus sum ea, quæ vos etiam audire delectet. Non equidem ignoratis familiam Gostomianam, quæ eadem Glouaciorum est, gente Nalenciam esse, pietate in Deum, & studijs erga Remp. propensissimis semper extitisse celebrem, & vsq; ad ea tempora, in quibus primùm hæreses grassari, & ex profundo stygio lacu emergere, cæperunt, vnà cum Lezenijs, qui eiusdem stirpis sunt, constantissimè in Catholica

tholica Romana Ecclesia perseuerauisse. Pater horum, qui nunc superstites sunt, Palatinus Rauen. vir aliâs prudens, & rei familiaris administrandæ peritissimus, primus se a nostra religione seiunxit, hæresesq; in eam gentem inuexit, tanto studio, & feruore, vt in comitijs publicis Varsauien: ad Gostomianam curiam, vel domum, tota, infectorum nouis dogmatibus procerum turba, confluerent, ibiq; sub ipsis comitijs Ministrorum conciones exerceri, cantilenis permixtis, cæptæ, primumq; duo ipsius filij natu maiores, Stanislaus, qui post patrem Rauen: Palatinatum est assecutus, & noster hic Hieronymus, venenum tenerioribus animis instillatum, exsuxêre. At ille quidem maior natu patris vestigia secutus, cùm esset ingenio acri, et politiorum literarum studijs, præsertimq; in verbis ornatè proferendis, consistunt, non mediocriter excultus, abduci nulla ratione se passus est, vt quòd imbiberat, expueret: cuius comitate, & affabilitate Clemens VIII. Pont: M. eo tempore Cardinalis, quo ad cōponendas inter Austriacam domum, & Serenis. Regem nostrum cōtrouersas lites, legatione fungeretur, delectatus, apprehensa illius manu, optare se ait, vt tantus vir pontificiā in Ecclesia quandoq; agnosceret authoritatē. Cui ille subridens respondit, tum demum se id facturum, quumprimum resciuisset, ipsum Summ: Pontif: esse creatum, nunquā id fortasse euenturum existimans, Pōtifex verò cùm esset renunciatus, memor promissi illius, amantissimè per literas eundem admonuit, vt staret promissis, & Catholicam amplecteretur fidem. Et quanquam actum fuerat nihil, ipso in suis erroribus permanente, mitiori tamen erga Catholicos animo fuisse, perhibetur. At noster Hieronymus promptiorem spiritum ad resipiscendum nactus,

tantò magis in Catholicismo profecit, quantò maiori ardore in Caluinismo propugnando æstuabat. Postquam enim illam, si dijs placet, Sendomiriensem Confessionem vel consensum, relabi verso vento animaduertisset, de Collegio siue Seminario ministrorum cogitare cœpit, & aliquot aureorum millia, potioribus in maiori Polonia ministris, ad opus incohoandum numerari iussit. Interea vero hominem hæreticum, è Germania accitum, filio suo Ioanni, vt eo præceptore, & institutore vteretur, adhibuit, qui pertæsus aulicæ conuersationis, præsertim cùm herum ad iucundiam propensiorem vidisset, persuasit patri, vt filium vnà secum ad Collegium Posnanien: patrum Socie: IESV studiorum causa mitteret, antequam illud Euangelicorum gymnasium ad effectum perduceretur: ibi confluxum esse nobilium adolescentum, & concurrentibus condiscipulis, melius posse studia tractari; se daturum operam, ne aliquo ad Papismum, vt tum dicebat, gustu moueretur. O prouidentiam Dei singularem, ille ipse quem custodem filio adhibuerat, cùm sæpiùs lectionibus Theologicis, & controuersis disputationibus interfuisset, & familiariùs patribus vti cœpisset, in quibus hactenus versatus fuisset erroribus agnouit, & re aliquatenus occultata, filio ad Catholicam religionem propensissimo, permisit sacris altaribus assistere, salutationes ad Beatam Virginem, ex calculis, seu rosarijs frequentiùs iterare, & sodalitati eius Virginis nomen dare: ipse deniq; eiurata hæresi Catholicum se esse professus, nec amplius dissimulandum ratus, non admodum ne herus resciret, erat sollicitus. Quòd cùm ad aures eius peruenisset,

vt

vt erat natura commotior, illico reuocauit vtrumque, et pessime custodem exceptum, detrusit in carcerem; vbi resedissent furores, quos in pectore nunquam patiebatur diu immorari, accitum ad se, mitiori iam animo, de initijs, progressibus, causis professi Catholicismi, perscrutatus est; qui cum dixisset se rationibus euidentissimis, ex antiquæ Ecclesiæ consensu petitis, et Doctorum testimonijs conuictum non potuisse amplius conscientiæ relucTari, et quiduis potius pati velle, quàm agnitam veritatem deserere: precatus est Herum vt recollecto animo diligentius inquireret; num eadem esset veteris Ecclesiæ cum hac, quàm haretici Papisticam vocant, in fide confessio. Istis optimus heros perculsus verbis, ad euoluendos Patres ita se accinxit, vt planè in ipsorum scriptis immersus esse videretur. Et quanquam à tenerioribus annis, nonadmodum studijs literarum incubuerit, cum vix Grammaticam attigisset, eamq; nedum exactè perceperat; tamen tantus vigor inerat iudicio perspicaci, vt quicquid legisset, statim in memoriam quam habuit vsq; ad miraculum tenacissimam, tanqnam in thesaurum reconderet. Ex Patribus, Diuum Hieronymum, cuius referebat nomen sibi multùm familiarem fecerat, tum et sanctum Augustinum, atq; Gregorium magnum: ex recentioribus D. Bernardum ita coluit, vt eius de consideratione ad Eugenium Pontificem librum, magna ex parte auidissima memoria retinuerit, antea quidem celebriores historicos percurrerat, vnde in promptu habebat exemplorum copiam, quibus non solum in quotidianis congressibus; verumetiam in consessibus comitiorum publicis, vteretur; impensius tamen

moribus excitatis, inde proturbetur. Quod si ego idipsum attentare voluissem, quantos rustici in me impetus fecissent, totamq; vicinitatem, in me concitauissent; ad eundem modum inquit, cùm omnes quotquot sunt per orbem Catholici flagrantem, & furentem rabiem vestrorum vt vultis Euangelicorum, in seipsis experti sint, meritò vos lupos, tametsi ouina pelle contectos, exhorrescunt: cornices verò istos recutitos Iudæos, siue qui inter Christianos versantur Alcoranistas, à quibus nihil imminet periculi, tolerant: neminem enim Catholicorum ad sectas illorum pertractos videmus: nisi fortè quis ex Caluinismo & Arianismo in Iudæos vel Mahometistas degenerauerint; admodum enim horum ad hos decliuis & præceps est via.

CAPVT XVI.

Apologorum eius in refellendis hæreticis mira promptitudo.

NE solus loqui Marcisoui, vel omnium meminisse videare, suppeditabo & ego quædam, quæ cum tuis verbis continuari possunt. Addebat & id ille vir non tam graue esse virum aliquem illustrem non admittere domum, quam admissum in stabulo aliquo vinctum detinere, ita non tam graue esse quòd Iudæi & Pagani fidei lucem non admittant: quam quòd Christiani admissam in cœnoso intellectu suo, quasi vinctam detineant: neque ad voluntatem, vt bona opera exerceant, transmittant. Præterea & illud non minus appositè dictum videtur, hæreticos esse

 pabu-

pabulum, & panem diaboli, nec aliter eum satiari posse, nisi vt quamplurimos deuoret, non tamen crudos sed etiam aliqua simulatione virtutum conditos, deijcit in stomachum, vult etiam & ciuilis in deglutiendo videri, nam vtitur ministris tanquam cochlearibus ex eodem pane excauatis, vt cùm absumpserit panem, etiam cochlearia ipsa deuoret. Et quoniam omnium ministrorum, & istius noui Euangelij præconum, naturam, ingenia, artes deceptorias, habebat perspectas, nullibi libentius, quàm in his explicandis immorabatur. Hos similes dicebat esse molendinis ad ventum oppositis, nam sicut illa cessant molere, cessante vento; sic & isti cessant, vbi destituuntur laude humana, cum quouis auræ popularis vento, circumferantur: Catholicos verò concionatores molendinis fluuiatilibus comparabat, quæ perenni circumuoluuntur vnda, eorum in doctrina constantiam, & eundem cum antiquitate consensum denotans. Nam & lignum ad aquas plantatum, cùm habeat vnde humorem trahat, semper virescit; sed illud quod in eminentiori loco terræ insertum est, ventis expositum facillimè arescit. Præterea eosdem buccinatores solebat comparare mari, quod vt mundetur, consueuit sibi vicina & adhærentia littora fædare, euomens in illa sordes omnes, ita & ministros, vt mundi & sine quouis crimine esse reputentur; nullibi disertiores fieri dixit quàm cùm in Pontifices, monachos, sordes suas, quibus eos conspurcent, euomunt: semper aliquibus vitijs ex seipsis recollectis, illos aspergentes. Huiusmodi Apologeticis exemplis sæpius vsus, quæ sagax, & acuta industria ipsi suppeditabat, hæreticorum ora obli-

nire

nire erat solitus. Sed cùm non sit nostri instituti, omnia ista persequi, satis erit, si declarauero, non tam verbis, quàm ipsis factis, Catholicorum res ipsum egregiè promouisse. Quis ipso in infringendis Euangelicorum studijs, qui legibus publicis suam impietatem tueri volebant, animosior? Quis in disturbandis consilijs, ad oppressionem Catholicorum comparatis, feruentior? in dicendis sententijs acutior? in tuendo ordine spirituali, præsertim hominum religiosorum concitatior? virum certè præclarissimum, & ab omnibus Catholicis, grati animi significatione prosequendum. Ne quidem et illud transeundum putauerim, quòd cùm quidam conquererentur vniuersos ordines, tot legibus, tot constitutionibus in omnibus comitijs promulgatis, ita constringi, vt quid sequendum, vel quid fugiendum, executione legum torpescente, foret; penitus se ignorare dicerent. Leges enim cùm sciscuntur, tanquam vtiles, et necessarias in ipsis initijs cum applausu ab omnibus excipi, et probari, sed cùm paululum inoleuerint, negligi, et contemni, cum nimia licentia eneruat vim totam legum, vnde non proueniunt legum illi effectus, de quibus multo tempore consultatum est. Ad hæc ille appositissimo Apologo vsus: Consultationes istas, de ferendis legibus similes sibi videri murium consultationibus, inquit, qui cùm nonnunquam indixissent omnium sui generis conuentum, consultaturi, quanam ratione, & modo, à fele, vel cato, vitam tuerentur suam, saltem vt ab repentinis inuasionibus, & lanienis sibi cauere possint, ab omnibus itum est in eam sententiam, vt felis collo, appenderetur tintinabulum aliquod, quo mures excitaren-

tur, et ita ſibi ab inſidijs cauerent, ne tam crebro ab hoſte inſidias ſibi ſternente, diſcerperentur. Placuit ſententia hæc vniuerſis, & lege lata, ab omnibus concluſum, ita fieri oportere; prodijt quidam mus, ætate, & prudentia maturior, & cum, non ſibi hoc ſenatuſconſultum diſplicere retuliſſet, quæſiuit tamen, a quonam illud tintinabulum collo felis inſerendum eſſet; ſingulis tergiuerſantibus, cùm nullus reperiretur, qui decretum illud executioni mandare velet, omnes dilapſi ſunt: idem fermè et apud nos fieri dicebat, leges condimus varias, decernimus, concludimus, promulgamus, paucas tamen executioni mandari videmus, præſertim eas, quæ contra potentiores feruntur. Vtinam verò illa Corczinenſis contra hæreticos lex, et ſanctio lata, hactenus vim ſuam retinuiſſet, non tantopere hanc confœderationem recentem, intruſam potius, quàm omniumconſenſu latam, vrgerent, optimarum legum euerſores, hæretici. Satis erat legibus optimis, Iuriſdictio Epiſcoporum, Eccleſiæ Catholicæ immunitas, cleri libertas, decimarum exactio, munita, & ſtabilita, ſed ſenſim ab improbis primùm conuulſa, demum & aboleri cœpta, cùm pauci inuenirentur qui ſe conatibus impiorum opponerent. Certè mirum videri debet his noſtris temporibus, hæreticos qui non tam potentes ſunt, & ad anguſtiorem numerum redacti; tantum poſſe, vt etiam comitiorum decreta, non ſolùm infringere, verum & tollere audeant. Quidſi penes ipſos quod abſit ſumma potentia magiſtratuum eſſet, de optimis, & neceſſarijs legibus, actum omnino foret; omnibus ſtupore quodam perculſis, ita vt quaſi quidam mures, non audeant furioſis hominibus ali-

quem

quem iugulo innectere funem, vt saltem intra limites ipsis præscriptos contineantur, & ad obseruationem legum antiquarum, retrahantur.

CAPVT XVII.

Concitatioris quandoque, & ad iracundiam propensioris animi eius condonatio, à veritate non aliena.

HIC verò rursus Marcisouius, accipio, inquit, libenter ea, quæ a Cichocio, ad meam narrationem apposita sunt, & quoniam felis, & murium induxit Apologum, ab eodem ore excerptum, cuius ego non memineram: addam & ego similem huic, de eodem fele, & muribus non iniucundum; si prius quædam præfatus fuero. Concitatior quidem noster Hieronymus, & ad iracundiam propensior videbatur, sed promptiùs deponere quàm assumere, inimicitias solitus; cuius aperta pectora nihil fraudis habuêre: intus rancores celare nescius, & simultates diu fouere ignarus. Quanquam iram propriè loquendo, non esse peccatum, sed passionem appetitus, cuius vsus potest esse bonus, & malus, docet S. Thomas, quæ etiam plerunq; in sacris literis & ipsi Deo tribuitur, vnde quòd ab ipso Domino dictum legitur: Qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. *in Græco additur dictio* εἰκῆ, *id est, immeritò, vel sine causa. Cùm igitur iræ affectus ordine, & ratione exercetur, tantum abest vt peccatum contineat, vt potius actus sit virtutis. Hinc Basilius: Ira bonarum actionum sæpè ministra est, cùmq;* Hortatio contra irascere:

Lib 5. Moral. cap 31. *ratione ducitur, fortitudinem, iustitiam, constantiamq; parit: & Gregor: quando ira vt instrumentum virtutis assumitur, quasi ancilla, ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam discedit. Debebat itaq; nostro Hieronymo venia dari: si quandoq; insitum à natura affectum secutus fuerat: nam & perturbatioris animi cùm resedissent repentini motus, non puduit, statim eos, si quos verbo læsisset, affabiliùs alloqui, præsertim, si quid controuersiæ cum sacerdotibus intercesserat, quos si probos esse, suoq; officio rectè fungentes haberet persuasum, mirificè coluit, nunquam liberalem erga eos subtrahens manum: quanquam in eos quos parum pudicè, vel sobriè viuere acceperat, acerbiùs inuehi solebat. Non puto tibi è memoria excidisse Cicboci, cùm domi tuæ sæpius exceptus fuisset (non enim pauperem mensam fastidiebat) vna vice, cùm fuisses eius affabilitate, ex placidissimo animo profecta, delectatus, liberiùs te eum esse allocutum, dixisseq; illam tranquillitatem, & sedatum dicendi modum, vehementer tibi placere, optareq;, ne vnquam excandescentiæ motum, ipsius valetudini nociuum, admittere velit: hoc vno dempto, incomparabilem virum, & propter absolutissimam prudentiam, suspiciendum omnium iudicio, futurum. Nihil hac tua libertate offensus erat; verùm cùm paululum subrisisset, falleris inquid Cicboci; dum ex erumpente cholera, meos affectus æstimas, quasi verò, & tu non eiusmodi motibus corripiaris, & nisi eos sæpius ad statum professionis tuæ reuocare nosses, te eisdem iactari oporteret, quibus me nonunquam abripi molestè fers. Mox ad Apologum à fele, & muribus peti-*

petitum, recursum pro more suo fecisse meministi: Mus inquid paruulos mures in cauernula enixa, dum pabulatum exit, ne quoquam prodeant, vel efferant pedem, seriò interminata est. Accubuit interim non procul felis; quem dum musculi parumper è cauerna prospectantes, intuentur, rati animal quoddam esse mansuetum, & aspectu satis venustum, nunc volas pedum lambentem, nunc quasi preces aliquas submurmurantem, prodire salutatum officij causa gestiunt, non tamen matris prohibitionem contemnere audentes, cum parumper processissent, mox iterum resiliunt. Felis fortasse ex prima saturitate non admodum erat venationi intentus. Interea verò gallus gallinaceus, cristato capite, & ocreatis pedibus, quasi calcaribus deauratis, conspicuus, supernè cùm deuolâsset; felem quem iam iam musculi adituri erant, loco mouit, complosis alis, & unico cantu edito, strepitum fecit ingentem, puluere quoq; non modico excitato: musculi perterriti, et prorsus exanimes, quàm primùm se intrò recepêre, toti pauidi, non sine causa ipsis matrem egredi prohibuisse, reuocârunt in memoriam. At verò postquam redijt mater, gratulabundi in occursum eunt, et quantis periculis penè erant obruti, exponunt. Percunctata mater, quid illud esset, de gallo gallinaceo, primùm referunt: se tantopere esse consternatos, vt vix aduentu ipsius recreati esse, et spiritum recepisse videantur. Nunquid filioli, inquit, mater, alter quispiam vobis ante cauernulam comparuit? nullum alium præter hunc, tam terribilem comparauisse affirmant. Fuisse quidem quendam alium cuius aspectu mirificè fuimus recreati, blandiusculum certe animal,

mal,

mal, conuersationem tu ipsa eius exposcere non dubitares, intellexit mater felem adfuisse. Ne inquit, filioli, metuitote illum cristatum militem, quem sæpius maiores nostri assum arrosère: illud illud animal ad nostri generis interitum natum, quod non contentum aliquem ex nostris prehensum deglutire; sed tot ludibrijs prius expositum, tot protrusionibus, & retractionibus fessum, tandem post multa ludicra oblectamenta, imam recondit in aluum: felis hic est, qui vobis postmodum maximè cauendus erit; quantumuis vobis blandiusculus, & deuotulus esse videatur, si salus vestra vobis cordi erit. Cum omnes quorsum res euasura esset, attentius spectaremus: an non videtis, subintulit ille, frustra Cicbocium torqueri, qui metuit, ne à me, quem putat illum cristatum, è Gallorum agmine calcaribus auratis superbientem militem, pedibus proteratur. Fit equidem nonnunquam, vt non tam citò compescantur efferuescentes motus, quos nisi illico represseris, magnum plerunq; excitant incendium, non verò tales existimaueritis esse omnes: sunt qui nôrunt opportunè districtum educere gladium, & eundem in vaginam iterum cùm necesse fuerit, recondere, quòd ad iram, et indignationem à sapientibus optimè relatum esse, nec vos ipsi qui assidetis, iueritis inficias. Igitur non felem, sed a quo nihil imminent cuiquam periculi, potius me reputauero. Relinquamus coberti ministrorum, maximè eorum qui Arianas suscitant, dudum intermortuas, blasphemias, blandulas istas vultuum, et verborum contorsiones: siue eorum, qui cum à sedato et bene composito animo gloriam humanam venantur, multas turbas tam in religione,

one, quàm in Repub: concitauêre, et plurimos in orcum detrusêre. Sed pleriq; ita taciturni, et sermonis parcissimi sunt, vt dum intus exitiosa consilia concoquere nequeunt, dissimulatione quadam, et clanculariјs persuasionibus, quasi a ntione et Reipub: vtilitate petitis, eos, quos volunt in odia hominum implacabilia, tanquam in aliquod barathrum præcipitent.

CAPVT XVIII.

Operum eiusdem, Munificentia, & liberalitas, in templa, Xenodochia, & quemuis Ordinem religiosum, succincta collectio, tum erga regem suum fides, & solicitudo.

TVM ego; *quasi animo resumpto, ita sum interlocutus. Tu verborum, sententiarum, industriæ, memoriæ, & acuminis affluentiam, quæ omnia in illud pectus Gostomianum, tanquam in domicilium, & sedem patentissimam confluxerunt, satis videris expresisse Marcisoui, mihi nihil aliud restat proferendum; nisi vt factorum, & operum ipsius, memoriam ad posteros transmittam. Debeo illi equidem hanc gratiam referre, vt quem erga me semper munificum, liberalem, & plurima amoris significatione me complectentem, fuerim expertus, eius operum, & factorum laudem intercidere ne patiar, quanquam me ipso tacente, ita in oculos hominum incurrunt, vt pro seipsis loqui videantur. Habent enim linguam quoque suam, in eiusdem laudibus*

celebrandis nunquam intermorituram. Atque vt primùm à pietate, & religione initium faciam quantis eam adornauerit, & auxerit operibus, percurramus. Posnaniense Patrum Soc: Iesv, Collegium, cùm adhuc tenuiores haberet reditus, nec tantam quanta nunc est operariorum frequentiam alere posset, huius profectò largitionibus non mediocriter sustentatum est: addidit & bona quædam, vt extaret gratitudinis suæ aduersus Patres Collegij Posnaniensis, quorum operâ, ab hæresibus expiatus, et Catholicæ religioni restitutus est, monimentum. Delubrum verò Sredense siue sacellun Ecclesiæ maiori adhærens, in quo corpus defunctæ coniugis suæ Sieniauiæ deposuerat, ab imo excitatum, marmoribus prælucentibus interfertis, magnis sumptibus exornauit, siue structuram altaris, siue picturam artificiosam spectes, vt facilè appareat, quàm magnifico, & heroico animo, ea omnia & conceperit, & perfecerit, in illudquè pago dicto Piotrouo adiecto: sacerdotes qui sacris operarentur, & pro se suisq; antecessoribus ac posteris Deum precarentur, introduxit. Diui Hieronymi templum sub arce Sendomiriensi vnà cum Nosodochio, siue hospitali, pulchræ exædificatum, et intus altarium picturis condecoratum, mihi, posterisq; meis Parochis S. Petri Sendomirien: regendum, et procurandum, perpetuò addixit: et quinque millium florenorum summam eidem attribuit. Quid verò dicam de Collegio Patrum Soc: Iesv Sendomirien: in quo fundando nullis pepercit sumptibus, magna pecuniæ vi, tum in bonis Czerminen: pro Collegio eodem coëmptis, tum instructuris, et fabricis erigendis, liberaliter expensa? Nec

parui

parui hæc omnia constitisse ipsi, censendum est, siue pretium pro areis comparandis, siue supellectilem, quam in vtramq; Ecclesiam, tam Collegiatam, quàm Parochialem, cum copioso argento facto, intulerat, spectes: nec repetenda ea mihi duco, quæ de hoc nostro Collegio Sendomirien: in Anatomia dicta sunt, hoc vnum addam, crebrius indefessum illud studium, et anxiam sollicitudinem in perficiendo hoc toto suscepto opere, me esse miratum, vt cùm diffideret (erat enim valetudine infirma, et non solùm morbis, verùm illo perturbato Rokossiano tumultu, miserè iactata, et attrita) se posse quandoq; absolutum opus intueri, totum illud æs, quòd habebat in nonnullis bonis, regiæ dispositioni obnoxijs, inscriptum, perficiendo Collegio addixit, filium, qui nunc Palatinus Inoulodislauiensis à Rege renunciatus est, sæpius obtestatus, vt si migrauisset e vita, operam daret, ne suæ voluntati, et desiderio moram aliquam interponi pateretur. Nemo Summum Pontificem, nemo regiam dignitatem, nemo Patrum Soc: I E S V religiosum ordinem, illo præsente carpere ausus, quin statim referret, id quòd audire nollet: qui natu minoris fratris sui Sigismundi summam & solicitam gerit curam, vt non solùm literis, sed potius pietate, & studio propugnandæ religionis Catholicæ, instructum videat; nec alibi nisi in classibus Patrum Soc. I E S V erudiri vult, & vt est ingenij acuti, speramus non degenerem, à tanto patre filium futurum. Verùm his obiter dictis, redeamus ad parentis optimi laudem prosequendam, non enim volo præterire illam effusam in egenos liberalitatem, & quotidianum de omnibus benè merendi,

rendi studium. Dicant Patres Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici, Sendomir: quam benignum, quàm munificum, patronum amiserint: præter eleemosynas, quas diducta manu, eisdem largiebatur, prædiolum numeratis sexcentis florenis, ab illis, qui ob incuriam superiorum illud obligatũ possidebant, exemptum, sublato etiam suo aduitalitio iure, tradidit liberè patribus ijsdem, ad quos ex fundatione primæua pertinebat possidendum. Prodeant quoq; Patres, quos Bernardinos vocamus; vndiq; ad eum tanquam ad promptuarium quoddam concurrentes: non solùm è vicinioribus Conuentibus suis, vtpotè Opatouien: Radomien: S. Catherinæ, vt vocant, deserti, verùm ex remotioribus quoq;. Taceo reliquos mendicantium Ordines, nullus ab eo discessit, qui non ampliùs quàm postulauerat referret, indignum enim sua natura putabat, modicum quid largiri, tametsi tot expensis, pro rege suo, pro Repub. factus planè videretur exhaustus: Nullam enim numeraueris expeditionem initio ab ingressu Stephani Regis sumpto, in qua vel ipse Ordines non duxerit, vel non miserit benè instructam aciem. Vnam expeditionem deplorato illo Rokossiano tumultu, reuocate in memoriam, ita vt egregiorum ipsius factorum, etsi alia defuissent, hoc magis insigne, & omni laude prosequendum eluceret. Nam cùm ferè omnium eorum, quos vertigo Rokossiana coripuerat odijs impeteretur, ita vt non alio ad tumultus serendos oportuniori loco, quàm ad Sendomiriam nostram vti vellent, hac potissimum ratione adducti, vt direptis, & deprædatis circumquaq; prædijs, quæ ad præfecturam ipsius pertinebant, à subsidio Regi ferendo

eum

eum excluderent, nullis ille insanæ multitudinis clamoribus nullis minis, & insultibus potuit deterreri, vt Christo Dei, Regi scilicet, & Domino suo in tam calamitosis rebus non adhæreret. Et certè inter alios proceres, qui regiarum partium erant, tam inuicto robore, & constantia tuendi Regis, obfirmauerat animum, vt ferè solius eius caput peteretur, & conuitiorum, atq; calumniarum plaustra intrepido semper exciperet pectore, vnde solus ad pœnas posci audiebatur. Ad Guzouum verò dum acies instructæ hastis in se conuersis, congrederentur; ibi vidisses hominem senem, valetudine non satis firma, cum phalange quam contrariæ factioni opposuerat, suo Regi ita astitisse, vt nihil sibi duceret optabilius posse euenire, quam vt Regis & Reipub. causa, vitam, cum sanguine profunderet. Tulit sententiam pro pio rege, Deus ipse, verum & Gostomij virtus, tantam in comitijs publicis promeruit laudem, vt ab omnibus Ordinibus dignus iudicaretur, cui addicerentur bona Reipub. Ianniki dicta, ad decursum centum annorum, penes ipsius posteritatem duratura. In quibus comitijs cum præteritarum turbarum amnistia introduceretur, festiuè dixisse fertur, se non repugnare, quominus introducatur: optare tamen, vt cum vulnera vulneribus æquiparantur, vellera tamen velleribus compensentur. Hæ sunt veræ, & genuinæ laudes Gostomij, quas nulla vnquam deleuerit ætas.

CAPVT XIX.

In Masouiam transitus. Ex hæreticorum insi-

gnioribus familiis, qui ordini Ecclesiastico inserti, vel quam præclari viri Catholici, ex Masouia prodierunt, præsertim sub auspiciis Martini Szyskouii Antistitis Plocensis.

Tandem vlterioris sermonis cursum, visum est abrumpere Cochleuio: non enim iam, inquit, opus est operosiore declamtione, cum virtutes Gostomianæ, toti iam fermè orbi innotuerint; nisi fortè exciderit tibi è memoria Thomas Gostomski, Palatinus Masouiæ, vir non solùm Catholicis addictissimis; verùm qui etiam filium habeat Ioannem Gostomium Cathedralis Ecclesiæ Cracouien: Prælatum, & Cantorem, iam sacra, cum dignitate tractantem, ita nobis Gostomiana domus non modò suppeditat Senatores amplissimos, verùm & Deo consecratos sacerdotes, suppeditum Deo propitio postmodum & Episcopos. Et mirum profectò videri debet, tot sacerdotes ex his familijs ortos, quæ ab initio in hæresi propugnanda, strenuas se apud nobilitatem, præstiterant, præsertim si numenumeris, Radiuilos, Firleos, Osolinios, Zborouios, Voinas, Kiskas, Pacos, Tiskieuicios, Piasecios, & alios plurimos; quos omnescertò constat è parentibus à Catholica religione alienis prognatos. Sed quid de nostra Masouia dicturi sumus? quam nemo ignorat inter Lituaniam, & Poloniam mediam interiectam, tamen ex vtraq; parte, intra limites suos, hæreses præteruolantes, nunquam admisisse, quin potiùs Plocensem, & Masouiæ Palatinatum illi funestæ confæderationi, se grauiter opposuisse, & contra eam in comitijs

comitijs publicis aliquoties protestationibus proclamatis, illud cum Sathana pactum, conuulsum, & protritum esse voluisse. Quantò magis nunc depressam, & deiectam videmus: cum Fœlix Criscius de Drobnin Illustris, Cancellarius regni, præcipuum Masouiæ decus, & ornamentum; cuius quoq; pater Palatinatus Masouiæ dignitatem Senatoriam obtinebat, vir prudens, & disertus, tantùm animi habeat; vt potissimis Anabaptistarum, & hæreticorum Antagonistis in faciem obsistere, in comitijs publicis non sit veritus, consanguinitate Gostomijs hic quoq; propinquus est: sed in retundendis hæreticorum insultibus, & infringendis contra Catholicos conspirationibus, multò propinquior. Vir certè dignissimus hoc loco, quem Serenissimus Rex noster, perspecta ipsius in rebus tractandis dexteritate, in expediendis promptitudine, in responsis dandis, insigni acumine, in hunc honoris gradum eueheret. Audeat igitur Lernea hæresis, Masouiorum pertentare animos, & illorum sacra antiquitus recepta, conuellere. Quid putatis Gostomios, quid Criscios, quid Vodinios, quid Varsicios, Radziminios, Parisios, & multos alios facturos? nonnè hanc bestiam arreptis crinibus, in Auernum illico præcipitaturi sunt in lacum, vel in Stygiam paludem demersuri? Cæcinè erunt impuri Symnistæ, nec consideraturi, quemnam in speculis constitutum habeant, Catholici Masouiani Antistitem, ad cuius nutum, contra has cohortes infernales, exturbandas, illico se sint accincturi, neq; permissuri, vt intra viscera sua, pestis hæretica perserpat. Certè Episcopi sui Martini Szyskouij, pastoris vigilantissimi, pietate

ctate

etate, & eruditione præclari, & in conflictibus non solùm cum Ministris; verum & cum equitibus putatiuis exercitatissimi, ductum, & imperia semper sequentur; etsi impressio aliqua violentior emerserit, sub ipsius vexillum pastorale, agminatim conuolabunt, Palatino Plocensi viro Catholico, & Ioanne Tęcinio præfecto, siue Capitaneo eiusdem vrbis cæterisq; ex ordine Magistratibus seriò in eam rem incumbentibus; ne aliqua contagio hæretica in Masouiam toties ob Catholicæ religionis studium, à multis laudatum, irrepat.

CAPVT XX.

Quibus propugnatoribus Catholica religio in plerisque Prussiæ locis hactenus conseruata, Introductis ad Monasteria antiquitus fundata Deo dicatis Virginibus religionis professione, & familiæ splendore insignibus.

AT neq; de vicina illi Prussia, multum sibi blandiantur siue Lutherani, siue Caluinistæ, præsertim in vrbibus, portubus, & emporijs insignioribus, Gedani, siue Dantisci, adhuc regnante Sigismundo primo rege, in ipso initio Lutheranæ factionis, incentore, & antesignano, quodam Ioanne Ssolcio, qui conscenso suggestu, populum vrbanum perfidia Lutherana infectum, ad diripienda templa, & sacerdotes vrbe eijciendos concitauerat, variè est primùm iactata Catholica religio; sed tamen prudentia Sigismundi

gismundi regis, Ssolcio, cum alijs tredecim seditionis authoribus sublatis, cæteris in exilium actis, iterum restituta erat. Verùm sub Sigismundo secundo, Augusto Rege, multa colluuie Lutherana in vrbem immigrante, præualuit factio, Lutheranismo infecta; ita vt necesse fuerit ob vitandos maiores motus, concedi ipsis Augustanæ confessionis exercitium, saluis cænobijs, Dominicano, & Brigittano. Sed & hæc multa sunt ab hæreticis perpessa, bis fermè pulsis inde fratribus religionem professis, quin sub initio regni, regis Stephani, & vicinum Cistercienstum Oliuense monasterium, a permixtis iam maiori ex parte Caluinistis, direptum, & deuastatum; tandem rebellium sumptibus ex pacto restaurari, iussum, antiquis possessoribus inhabitari permissum est, ita nunc & in ciuitate, & extra vtcunque reuiuiscit Catholica religio, Patribus Soc: IESV *non solùm Gedani, verùm & Torunij, eam impigrè fulcientibus. Quanquam ob id, multas perferunt persecutiones, & calumnias; sed isti persequutores id habent cum reliquis hæreticis commune, quibus peculiare est, hanc religionem vbie Diabolica persequi, & fictitijs mendacijs proscindere. Mirabamur ante indicta comitia Varsauiensia, anni millesimi sexcentesimi tredecimi, Gedanum, Torunium, & Elbingam, conspiratione mutua inita, scriptum quoddam per conuentus particulares sparsisse, cauerent ordines vniuersi a Iesuitis, ne Emporia opportuna, cum magno regni detrimento ab illis occuparentur: seditionum enim excitandarum optimos artifices esse nugabantur, atq; passim omnes ciuitates in quibus collocati sunt, ab illis malè sibi metue-*

re, ob ſeditiones ab illis multoties excitatas: mendaciſſimum hoc hominum genus eſſe, omnes ciuitates in quibus degunt Soc: IESV Patres, ſuis patentibus teſtimonijs in ijsdem comitijs prolatis, toti conuentui probauerunt,& magnificè & ſplendidè mentitos eſſe, euidentiſſimè demonſtrârunt, illos ipſos,& eorum miniſtros omnium ſeditionum, & turbarum auctores eſſe, & fuiſſe, comprobantes. Sed multas eiuſmodi contradictiones, diſceptationes, aduerſa iudicia, agitationes, & ſcopulos, ſocietas eſt prætervecta, ipſa adhuc inconcuſſa, & immota, permanente. Nam quantum in quibuſdam præſertim hæreticorum,& quorundam polyticorum locis imminui videtur, tantum imò multò magis in alijs,creſcit & augetur; comitiorum etiam regni decreto, contra iſtos Pruſſicos conſpiratores, firmata, et ſtabilita. Nam in reliqua Pruſſia feruet præſertim in oppidis regijs introduct⁹ Catholiciſmus, paſtoribuſq; legitimis addicta templa,motis pleriſq; ex locis miniſtris, reſtitutæ in pagis Parochiales Eccleſiæ, vigilantia, et cura, trium inſignium Catholicorum Præſulum, Illuſtriſſimorum Hieronymi Rozdrazouij Cuiauienſis,et Pomeraniæ, qui plenus laudis,et gloriæ ob inſignia in Eccleſiam Dei,et patriam merita, Romæ in templo Societatis Al IESV dicto, apud eos Patres quos viuus vnicè colebat, et obſeruabat, inter quos et fratrem germanum Staniſlaum, qui adhuc ſupereſt in viuis ſe habuiſſe gloriabatur, funere ſanè munifico ſepultus quieſcit, vir certè omni memoria digniſſimus, vtpote Pontifex vigilantiſſimus, Senator prudentiſſimus, et Patriæ ſuæ ciuis amantiſſimus, Petri Tilicij, ex Culmenſi Epiſcopatu in Cuia-

uien-

uiensem; post è Cuiauiensi in Cracouien: ob insignes suas virtutes, et solicitudinem in tuenda religione prisca translati, et Laurentij Gębicij é Culmensi, itidem in Cuiauien: euecti, vt non prætoream Varmiensis Ecclesiæ Antistitem prudentissimum et præstantissimum, Simonem Rudnicium. Neq; enim hic permittit, nec vnquam illi permisêre, hæreticos, in vrbibus Prussiæ celebrioribus, tantùm audere, quantum ipsi in eijciendis Catholicorum sacerdotibus licuisse sibi existimabant, vtpote Toruni, et Gedani, ad quorum insolentiam reprimendam, multæ tentatæ viæ, et nuper Reuerendissimus Franciscus Lacki Episcopus Margarethensis, et Wladislauiensis Suffraganeus vt dicitur, ad Monasterium Monialium Gedanensium S. Brigidæ, in Iurisdictione Episcopali continendum, commissarius destinatus fuerat, vir eruditus et dexter, et Cichocio nostro vt audio summa necessitudine coniunctus, horum etiam petulantiam publico comitiorum decreto placuit compescere. Mariæburgum, et alia pleraq; non ignobilia oppida, non solùm iam ferunt Catholicos sacerdotes; sed et reuerentur, Præfectis arcium, et ciuitatum (cùm ferè sint omnes Catholici) plebem in officio continentibus: tum et Palatinorum, et Castellanorum, magna est, in comprimendis ministrorum insolentijs, authoritas, tum Familiarum insigniorum, vtpote Dzialiniorum, Kostkarum, Konopatiorum, Vaierorum, assiduus in tuendis Catholicis, labor, et solicitudo. Allatrant quidem, ex quibusdam angulis nonnulli adhuc ministelli; præsertim qui se ea parte Prussiæ, quæ Ducalis dicitur, tutiùs posse latere existimant; vt nuper quidam

dam prædicans Dzialdouiensis malè sani capitis sui, figmenta voluit inde efferre, sed statim ab Archidiacono Pomeraniæ Slupio, acutissimo scripto, in eosdem angulos retrusa sunt; atq; vnde prodière, ignominiosè redire compulsa. Verum et e Ducali Prussia, Catholici non solum sacerdotes, sed quicunq; eodem nomine censebantur, tametsi incolæ essent, & nonnulli è nobilitate antea exulare iussi; nunc reflantibus ventis, iterum admissi, libertate vnicuiq; exercendæ religionis Catholicæ, & restaurandarum Ecclesiarum, vel erigendarum relicta, spem faciunt Romanæ fidei, vberiores progressus quandoq; nos visuros, præsertim cùm & in ipsa sede Ducatus Prussiæ, id est Regiomonti templum, pro exercitijs Romanæ religionis, ex pacto ædificari iussum, quod & sufficienti prouisione dotari, et Episcopo Varmiensi subijci, perpetuis temporibus debet. Permittamus interim Lutheranos, cum Caluinistis, odijs vatinianis, inter se concurrere, et exitialibus furijs, vsq; ad consumptionem decertare: fieri enim potest, vt quandoq; perspectis, tot discrepantium dogmatum, et rituum, toties mutatorum, et mutandorum diuersitatibus, princeps ipse, et populus cordatior, istos delicatulos prædicantes, quorum Euangelium totum vxorum est, è finibus suis facessere iubeat; nisi fortè ad Atheismum, vel Gentilismum, relabi voluerint, à quo non longè abfuisse videbantur. Sed imprudens præterieram, illa insignia religionis, et deuotionis Catholicæ duo instaurata, Culmæ videlicet, et Torunij, virginum Deo dicatarum Monasteria, quæ à multis retroactis annis, collapsa, & ferme ab hæreticis depressa, nihil nisi extremam ruinam

mina-

minabantur. At Deus præpotens, qui infirma eligit, vt confundat fortia, suscitauit regulæ S. Benedicti virgines præclarissimas, stirpis nobilissimæ, quæ tanto studio, tanto feruore incubuerunt, ad reficiendum, non tam tecta, quàm ad instaurandam disciplinam regularem, & in pristinum statum reuocandam, religiosæ vitæ, obseruantiam; nullis parsum est sumptibus, dotes selectissimarum virginum, rei perficiendæ, & promouendæ adscriptæ. Fit è Polonia ingens Illustrium, & nobilissimarum virginum eò concursus, quæ spretis, & abiectis mundi vanitatibus, & nanijs, in vnius cælestis sponsi nuptias, transière. Antea quidem eiusmodi virginum, è Prussia in Poloniam, receptus fuère securissimi, nunc demum versis velis, è Polonia confluitur in Prussiam; ibi reperias, Firleiæ Familiæ, Palatini Cracouien: filiam vtramque, totidem Sieniauias, Sieniauij Marschalci supremi regni ex coniuge Gostomia, fæmina deuotissima, susceptas, lectissimas virgines, ad quas cum amplissimæ possessiones, & hæreditates peruenturæ essent, & ob id a plurimis, paris conditionis viris, in matrimonium expeterentur, maluerunt, pia non renitente matre, sponso adhærere Christo, quam fluxis, & caducis bonis, irretiri, è quibus iam vna non multo post sacrum acceptum velum, re professionem religionis factam, spectante matre, consummata in breui castissimam Deo reddidit animam. Non commemoro multas alias præcipuarum in regno Familiarum filiolas, & virgunculas, quæ ibidem, vel iam sunt religionem professæ, vel in pietate, & honestis moribus, tanquam in seminarijs quibusdam, institutæ. Inde

etiam coloniæ aliquot, Leopolim, Posnaniam, Nieswiezum, Iaroslauiam, deductæ, quin & in nostram Sendomiriensem oram imo in ipsam vrbem deducendæ, magnam confusionem, & ignominiam hæreticorum coniugijs, quandoq; pariturae sunt, & patriam virtutibus castissimis, ac ista religione dignis, illustraturæ.

CAPVT XXI.

Per quem in Lithuaniam hæresis irrepsit, Radiuilorum ad Catholicismum regressus.

HÆc effatus Cochleuius mihi liberum campum vsq; in Lituaniam excurrendi reliquit, ego verò tum tædij leuandi gratia, tum quòd tot annis me ibidem fuisse versatum nunquam pœnituerit, libenter me huic vastissimo comisi campo: sic igitur incipio. Cùm videatis meum propositum eò spectauisse, vt declararem consensum hæreticorum quem Sendomiriensem vocant; consensu Catholico, tam firmo, tam diuturno, tanquam si paleam lapidi illiseris, disturbatum, & in varias partes distractum, efficacius certè demonstrari non poterat, quàm si ostenderetur, à primis hæreseon introductoribus, illico posteritatem illorum desciuisse, & maiorem partem eamq; nobilissimam & præcipuam, fælici regressu ad Catholicismum vsam, leuitatem maiorum suorum in deserenda Ecclesia, & disseminandis hæresibus, damnâsse. Et vt extra Poloniam vtramq;, Masouiam, & Prussiam paulisper exspatier vsq; in Lituaniam, adeste quæso animis, & illum Nicolaum Radiuilum, qui diceba-

dicebatur Niger, Palatinum Vilnensem reuocate in memoriam. Potentia ille pollebat maxima, ita vt familiam suam totam in Duces Imperij Romani euexerit; gratia apud Sigismundum Regem tanta, vt quod vellet impetrare se posse non diffideret, eundemq; & regem, & Socerum haberet: clientelis plurimis elatus, magna nobilium Lituanorum caterua stipatus, prodibat in publicum, ita vt cùm ex tepido adhuc lecto, se proripiens vestiretur, iam agmina honoris causa eundem antecedentia, progredi, ac procedere iuberentur. Ministrorum ad eum vndiq; confluxus densissim°, tanquam coruorū ad discerpta à feris, animalium cadauera: sacerdotes Catholici ludibrio primùm habiti, & multas persecutiones perpessi, demum & pulsi, domicilia sua, & templa improbis ministris relinquere, coacti. In medio Vilnensi foro, synagoga cum excelsa turri erecta, atq; è suburbano amplissimorum ædificiorum Lukiskiano, vbi primùm isti cœtus cogi cœpti sunt, ad eandem tota illa colluuies prædicantum quasi in oportuniorem ad fallendum vrbis locum traducta, vltimam ruinam templis Catholicis minari videbatur. Ruthenis templa sua impigre propugnantibus, ac fortè vt fluxæ fidei noueris gentem applausu suo eosdem concitantibus. Diui Ioannis Parochiale templum, palatio ipsius oppositum, antequam synagoga exædificata fuisset, iam periclitari cæptum cum Ecclesiasticum cantum suis cantilenis & reboatibus obstrepere, conquererentur, malesuadi ministri. Nec extra periculum Opatouiensia, & Schidlouicensia in Polonia versabantur templa: vix iam millesima pars Catholicorum superesse censebatur: tota ferè Lithua-

nia

nia hæresibus infecta, blasphemas vndique in Deum, in cælites, in Ecclesiam Romanam eructabat voces. O præpotentem Dei manum, ô consilia eius indissipabilia. Interea dum terra, & puluis os attollit suum, ecce effertur ille, qui primus fenestram prauis aperuerat dogmatibus, per quam hæreses locustarum more inuolantes, quidquid adhuc supererat Catholici luminis, obfuscare, imò extinguere nitebantur. Deus verò Opt: Max: non passus est præclaram Radziuilorum gentem, nomen celebre, ex hæresibus fotis, & quaq; versum sparsis, sibi apud exteros acquirere, sed ad maiorum suorum splendorem, qui ob fidei auitæ professam constantiam satis Illustres fuerant, gradum vertere, & vestigia torquere iussit. Suscitauit illico filium eius natu maiorem, Illustrem Nicolaum Christopherum, cui ex Palatinatu Trocensi in Palatinatum Vilnen: promoto, præcepit, vt damna generis repararet sui. Non est opus vt recenseam, quo ardore in restaurandas Ecclesiæ Pontificiæ ruinas hactenus incubuerit. Fratribus tribus germanis ad Ecclesiæ gremium perductis, effecit, vt vnus ex illis Georgius S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis primùm Vilnensis, post Cracouiensis Episcopus renunciaretur, cuius viri sanctitatem, & vitam integerrimam, etiam ipsi hostes Ecclesiæ, admirati sunt. Ingratus profectò dicerer, si non summo affectu beneficia eius in me collata prosequerer. Hic enim me in eo quem obtineo loco collocauit, illius manibus sacris ordinibus initiatus sum, illius semper munificum, & benignum animum expertus continere me nequeo, quin sæpius memoriam ipsius refricem. Non commemoro Albertum, &

tum, & Stanislaum vtrumque Catholicæ fidei vsq; ad extremum spiritus, habitum, propugnatorem acerrimum. Posterioris verò tanta erat religio, qualem varò in eis, qui in spiritualem ordinem adscripti sunt repereris, maturius quidem quàm sperabatur peregrinatione Lauretana suscepta, extinctus est, reliquit tamen duos filios pietatis, & deuotionis suæ hæredes præclarissimos. Nec Alberto defuit filius ex Curlandiæ Ducis filia susceptus, quam ab hæreticis parentibus in matrimonium ductam, non solùm Catholicam, verùm pietati, & religioni deditissimam reddiderat, filio in ysdem virtutibus exercitatissimo, vterq; horum in Lituania supremi Marsalci officio perfunctus, post Stanislaus Samogitiæ Capitaneus renunciatus, in Senatu amplissimo non postremum obtinuit locum. Non satis igitur habebat Illustris Nicolaus Christophorus, fratres amantissimos ad Orthodoxæ fidei pietatem perduxisse, peregrinatione, vt scitis Hierosolymitana absoluta, se & fratres suos accinxit ad Ecclesiarum structuras excitandas, vel reficiendas: ad fundanda religiosorum ordinum, & Deo deuotarum virginum domicilia, & cùm pater eius multas scholas, in quibus iuuentus venena hæretica hauriret, instituisset, hic Nesuisij amplissimum Collegium patribus Societ. IESV *extruxit, vbi tres filij sui vna cum flore iuuentutis frequentiori, fidem incorruptam, mores ingenuos, vnà cum studijs honestissimis imbiberent; qui iam maturiores facti, à parentis optimi semel professa religione, ne latum quidem vnguem, aberrant. Illi ipsi debetur, quod nobilissimarum familiarum iuuenes tot habemus in asserenda Catholica*

veritate ferventes, in hæresibus propulsandis strenuos, in cultu diuino promouendo alacres. Quis non obstupescat Dei Opt. Max. prouidentiam intuens singularem? ad instaurandam, & retinendam fidem Romanam, quæ vix depressum attollebat caput, non medijs vsa est remotis, sed propinquissimis, id est, eiusdem filijs, qui ferè primus portenta hæreticorum dogmatum inuexit in Lituaniam, & ministrorum in lites, & iurgia acuere linguas docuit. Præclari, & Illustrissimi fratres, quorum memoria apud piam posteritatem semper vigebit, quibusnam laudibus prosequendi estis? Pudeat hæresim suorum primordiorum, & ficulnei quo niti volebat fundamenti: Quis enim existimâsset tam repentinam stramineæ religionis mutationem futuram? Longè dispari Catholica religio progreditur via, nec sistit gradum quousq; repererit solidum, in quo figat pedem fundamentum. Ab atauis, & proauis, si numeres posteritatem, facilè eandem recta serie ad sexcentenos perduxeris annos, vel in Lituania ferme ad trecentos. At impia hæresis statim in primo, vel secundo deficit partu, inde ad Mahometismum, vel Atheismum decliui delabitur via: sterilis enim est, & arentia habet vbera, furtiua tantùm sobole gaudet, nec curat, credatnè, an teneat aliquid infausta proles, modo vt à materno sinu abductam, per tot errorum ambages, in infernum præcipitet.

CAPVT XXII.

Chodkie-

Chodkieviciorum, Sapieharum, Woynarum, Wolouiciorum, Pacorum, Tiſkieuiciorum, & aliorum multorum ob fidei Catholicæ profeſſionem celebre nomen.

SEd adhuc in ipſa penetralia Lituaniæ progrediendum eſt: non enim poſſum præterire Illuſtres Chodkieuiciorum, Sapieharum, Voinarum, tum & Kiſkarum familias, neq; enim omnes enumerare poſſibile eſt, quæ ex lacunis hæreticorum, aut ſchiſmaticorum ita emerſêre; vt ne veſtigium quidem antiquorum errorum, & ſuperſtitionum, in illis reperias. Fulgentia ſydera in Eccleſia eos dixeris, ad quorum imitationem plurimi inferioris ordinis, ſe compoſuêre. Ioannes ille Chodkieuicius, vir ſine controuerſia magnus, quem vulgus terrorem improborum hominum vocare conſueuerat, bellicis artibus clarus, omnes ferè hæreſes antea peruagatus, tandem leuitatem, & inconſtantium, fluctuantium dogmatum, deteſtatus, toto animo Catholicam amplexus eſt religionem, in qua tuenda, adeò profecit, vt palam, ſolidis rationibus, aſſertores iſtos noui Euangelij impietatis conuinceret, & ſæpius confuſos à ſe dimitteret. Hic filios ſuos nunc ampliſſimos Senatores, quorum alter Capitaneus Samogitiæ, & ſupremus Dux Lituanici exercitus, & tot victorijs apud exteras nationes clariſſimus Ioannes Carolus: alter Alexander Palatinus Trocenſis renunciatus, Catholicam religionem acerrimè tuentur, & propugnant: hos non alibi quàm in Collegio Patrum Soc: Ieſu inſtitui, & erudiri voluit; imò et

fratris sui filios etiam Castellanatu Vilnensi, et Capitaneatu Samogitiæ (quanquam hic sterilis obijsse fertur) primaria, ac senatoria dignitate Illustres prouidit, vt apud eosdem patres pietate, et optimis artibus imbuerentur: putatisné sobolem illorum cum adoleuerit, iterum ad Caluinismum transituram? At iam ex adultis facilè periculum facietis, an ita sint instituti, vt potius è vita discedere malint, quam in tantam turpitudinem religionis desertæ prolabi. Quid commemorem inclytam Sapieharum, et Voinarum domum, vtramq; mutuis officijs inter se deuinctissimam, Sapieharum, prima me in Lituaniam venientem excepit, Woinana, in expediendis quæ ad ærarium plerunq; et ad Rempub. pertinebant negotijs, ita me exercuit, vt sublato è viuis Laurentio Woina, Thesaurario, vt vocant, totius Lituaniæ supremo, Stephanus Rex ad eandem functionem ærarij Polonici, assignato in Thelonco Crac: quotannis mihi honesto stipendio, ad decessum meum perduraturo, me transtulerit, secretarijq; munere fungi voluerit. Certe vtraq; domus genus suum non vtiq; ad Catholicos referre solet parentes, cùm illi ipsi non ex Catholicis parentibus prognati; sed partim ex hæreticis, et schismaticis orti; ita tamen vt a proauis, et atauis, per decursam progeniem, deriuatam fidem Romanam, in eosdem arbitrére: si incunabula eorum non habueris perspecta. Consideret quis Leonem Sapieham, Cancellarium Magni Ducatus Lituaniæ, Theodorum, siue Bogdanum, Minscensem Palatinum, et illius nepotes, Nicolaum nunc Palatinum Minscensem: Paulum, et Andre-

am

am præclaros in officijs publicis, viros, mihiq; quondam summa necessitudine coniunctissimos, tanto affectu Catholicæ religioni addictos, vt non in Lituania, sed in ipsa Roma natos, & educatos esse putares. Olsanense illud domicilium quondam hæreticorum à Paulo Hyppei regis supremo, per Lituaniam magistro, & Osmianensium, ac Homelensium præfecto, magnis sumptibus à ruinis vindicatum templum, vel potius à fundamentis denuò excitatum, sacerdotibus Catholicis introductis ita celebre redditum est, vt circa viciniam vix reperias quòd cum ipso, siue structuram è cocto latere perfectam, siue suppellectilem cultui diuino destinatam, siue organa mille aureorum nummis, vix perfecta, & absoluta species, conferri & comparari possit. Puto iam nullum reperiri Sapiebam; qui non sit Romanæ religionis sectator. Si verò ad æquè præclaram Woinarum familiam oculos reflexeris, mirari non desines, quam multos ab vno parente, a Catholica religione alieno, prognatos filios, & nepotes reperias, qui Romanam potius fidei professionem, quam Græcanicam, vel potius Ruthenicam sequi maluêre. Hinc prodijt Illustrissimus ille, & omnium virtutum ornamentis absolutissimus, hæreticorum terror, Catholicæ religionis propugnator acerrimus, Benedictus Woina, Episcopus Vilnensis, mihi verò multis colendus officijs Antistes, vna cum fratre suo Gabriele, Magni Ducatus Lituaniæ Procancellario, Senatore amplissimo: itidem cum nepote suo Benedicto Woina; Episcopo Metonensi, qui ipsi est in eadem Ecclesia Vilnensi a suffragiis. Hinc prodijt &

Andreas Ducatus Lituaniæ Incisor, Grodnensium Iudiciorum præfectus, eiusdem nepos, cui me quondam, idem ipse Præsul Reuerendissimus, dum in Italicas proficisceretur oras, comitem adiunxerat. Nunc verò Procancellarij, & Andreæ Incisoris tot filij, an non magnam accessionem ad Catholicismum facturi sunt suæ gentis, & familiæ? Lucam verò, & Basilium antiquæ, et nobilissimæ Kopciorum gentis, relictos hæredes, quorum sororem germanam eamq; iam Catholicam, Andreas in matrimonio habet, absit vt prætercam, qui etiam ex schismaticis parentibus Ruthenis prognati, matre vidua reluctante, adhuc a tenerioribus annis fide Catholica imbuti, hucusq; in eadem constantissimè perseuerant, & ad posteritatem eandem summo conatu transmittere curant. Hinc cæteri ex ordine excellenti pietate viri, qui plebem Catholicam ab hæreticis, & schismaticis opprimi cæptam; magno animo semper sunt tutati. Certè perillustris Andreas Woina, Incisor Mag: Duc. Lituaniæ, cuius officium Senatorio ordini proximum est, id apprimè curat, vt Catholici homines quos in suis bonis Ruthenis habet permixtos, sua habeant templa, & proprios sacerdotes, quòd præcipuè præstitit in oppido suo Wysokie dicto, templo è coctis lateribus ibidem elegantissimè exædificato, & dotato. Præteribone Wolouiciorum familiam insignem? in qua diu viguit hæresis impia, sed vnà cum Eustachio Wolouicio Castel: Vilnensi, qui Sendomiriæ è viuis sublatus est, extincta, amplius vigere desijt: sed per Dei gratiam immensam, viget, & floret Catholicismus inter Wolouicios, strenuè hunc promouente, integerrimo, & Illustri

lustri viro, Hieronymo Woloiuicio, ærarij Lithuanici supremo Quæstore, & Senatore amplissimo, cui mecum Romæ quondam intercesserat mutua necessitudo. Et animaduertite ferè in omnibus his quas enumeraui familijs, repertos esse, qui non solum hæreses abiecerint, verùm sacris initiarentur: quemadmodum & in Wolouiciana habemus virum egregium, & ex pietate commendatissimum Eustachium Wolouic Lithuanicum Referendarium, Præpositum Trocensem, & Custodem Vilnensem, & ne quid ipsi ad amplitudinem meritorum defuisse videretur, in Polonia Abbatem Lubinensem à Serenissimo Rege nuper renunciatum. Quemadmodum etiam ex Kiskarum Familia præsertim quæ prima Arianismum in Lithuaniam introduxerat Reuerendus D. Kiska Canonicus Vilnensis nuper est creatus, vt prætercam familiam Pacorum, quæ etiam cùm esset magna ex parte heresibus infecta, ita vt ex ea, quidam Episcopus Kijouiensis Lutheranam sectam potius, quàm Catholicam profiteri maluerit, nunc ediderit religione, & prudentia ornatissimum virum Nicolaum Pacum, ex Suffraganeatu Vilnensi, ad Episcopatum Samogitianum euectum. Omitto Tyskieuicios, Skuminos, quorum nonnulli in Senatum cooptati, & Catholicam fidem professi, ad Senatum cælestem transiêre, ex quibus Eustachium Tyskieuicium, Castellanum Smolenscensem, virum doctum, & suauem fuisse memini, vt prætercam Georgium Tyskieuicium Palatinidem Brzestensem, qui institutum Soc: IESV *amplexus omni commercio, cum mundo sibi interdixit. Nicolaus Hlcbouicius Palatinus Smolescensis, ex par-*

ex patre ministrorum & Euangelij Caluiniani fautore decantatissimo natus. Ioannes Zauissa Palatinus Vitepscensis, tum & Wiesolouius, Marschalcus aulæ Lithuanicæ, vnà cum filio mensæ regiæ Structore, quem Dapiferum vocant; et alij plurimi, Catholicæ religionis zelo insignes viri etiam hic præteriri non debebant, ita vt Senatus Lituanicus multò maiori ex parte iam ex Catholicis constet, cum antea præter duos Episcopos, vix vnus, aut alter reperiretur, qui non fuerit hæresim professus. Atqui plurimi horum quos recensui, in classibus Patrum Soc: IESV *educati, et eruditi, in Episcopos amplissimos, in Senatores grauissimos, in Duces, et milites strenuos, in Præfectos variorum officiorum regni solertissimos, in Catholicos feruentissimos, opera, et institutione Patrum Soc:* IESV *euasêre. Et audebit quispiam ex angulo prospectans hæreticus, vel ex Polyticis gelidus Catholicus affirmare, neminem, doctrina, eruditione, gerendarum rerum peritia, insignem et celebrem virum ex Gymnasiis Iesuitarum prodijsse? O insanas istorum mentes, et pectora cœca, liuoris, odij, et inuidiæ tenebris, immersa.*

CAPVT XXIII.

Zamoscii Magni Cancellarii, & exercituum ductoris Encomia.

Hic cùm paululum interquieuissem, Marcisouius quasi interruptum sermonem redire ad lineam coegit, inquiens: Satis vagari Cichocio permissum est in Lituania: ego

vero

verò eum inde extrahbam in Russiam viciniorem nobis, tum in Podoliam, & Volhiniam. In Russia Chelmensis tractus primus sese offert, cum Zamoscio, Ioannis Zamoscij, Magni illius Cancellarij, & exercituum Regni supremi Ductoris celeberrimi nominis; quaqua versum orbis terrarum patet viri, praeclara ciuitate & Collegiata Ecclesia, simul Academia studiorum ab eodem fundata, insigni.
Hic licet ex praeclarissimo in hoc regno ciue, vt qui ordines militares etiam ductare solebat, haeretico tamen prognatus sit, puto tamen teneriorem aetatem, non adeò a stillicidio saltem leuiusculo, dum sub eodem tecto cum haereticis versaretur, immunem, & vacuam egit, cùm adhuc angustum pectus, vberiorem toxici infusionem respueret. Sed maturiori iudicio, ex litterarum studijs sibi comparato, propensus illius ad veritatem inuestigandam animus, nullo negotio assecutus est; non continuo verbum Dei & Euangelium illud esse, ex quo quisq; sibi sensum prout libitum fuerit, colligit, vel quem ex propria interpretatione elicit, praesertim cùm progrediente aetate, animaduertisset, non leue, & reiectaneum negotium esse, & tale quod pueri se in faba reperisse clamitent, praesertim illud, de quibus inter haereticos hactenus contenditur. In grauissimis fidei nostrae controuersiis, eosné sequendos sibi proposuisset vir inclitus, qui canum in morem, non quod in se proiectum est; verumetiam, quòd in via iacens fortuito se obtulit, siue id lignum sit, siue saxum, ferumué, dentium suorum periculo admordere, consueuerunt? An non turpitudinem vitae suae, & spurcitias, quas impuro vo-

munt ore, non nisi Pontificiorum sacerdotum criminibus contegere, & palliare semper nituntur, ipsi omnium mortalium, quos vnquam terra produxit, inquinatissimi? Contulit vir celeberrimus Ecclesiæ Catholicæ dogmata, ab ipsis fontibus antiquitatis petita, purissimæ doctrinæ sponsæ Christi, & reperit adeo esse consentanea, vt initia illorum cum progressu vsq; ad nostra tempora (si quosdam ritus ἀδιαφόρους *qui fidei professionem non mutant exceperis) eadem omnino censeantur, quibus nunc passim omnes Catholicorum Ecclesiæ vtuntur, & fructum pietatis auitæ eum referunt, vt à proximè elapsis temporibus, nunquam explicatius, vt patet ex Catholicismo Concilij Tridentini, & alijs plurimis editis libris, instituta religionis Christianæ, tradita, & promulgata esse videantur. Dixeritisné tam insignem virum quem ego ante clarissimorum virorum Elogia, qui apud Iouium recensentur, ponere non dubitauerim, perturbatæ religionis causas, & exordia, grassantium hæresium, ad amussim non perpendisse? An peragratis tot prouincijs præsertim nostræ patriæ contiguis, non poterat animaduertisse, illam gentem ab domini, & ventri curando deditam: a Luthero qui nunquam alias nisi in colloquijs potatorijs, & Culinarijs, vel si libet Symposiasticis disertior videri volebat, in suam sententiam nullo negotio pertrahi potuisse? Absuisset sanè à tanto taliq; viro, Lutheri, & eiusmodi farinæ homuncionum librorum euoluendorum oportunitas, cum magis adseria, & grauiora perscrutanda, solers, & industrium ferebatur ingenium; nihilominus ex emergentium turbarum impetu, nonné colligere*

ligere poterat; quo res euasura esset? An non vel auditu perceperat, Principum Lutheranismo infectorum, contra suum legitimum dominum, & Imperatorem conspirationem initam, & grauissimum fuisse motum bellum: in quo comprehensi, & trucidati plurimi, non eas quidem quas merebantur pœnas, sed quas Cæsaris Caroli quinti clementia ipsis indulserat, persoluêre. Scilicet ignotus illi erat centum millium rusticorum cæsus numerus, qui ex scriptis Lutheri, Monachi incestuosi eam hauserunt doctrinam: vt sibi licere existimarent, nobilitatem, & dominos legitimos funditus extirpare, & in licentiam quidlibet faciendi prorumpere. Notum est illud Tragicum factum illius sartoris Monasteriensis Regis nebulonis, Batauí: Tumultus Gallicos & contra Regem arma ab Hæreticis sumpta, ipse fortasse spectauit illo tempore; cùm in Theatro illo literarum Lutetiano, pectus illud omnigena scientiarum cognitione imbueret, sed & in patria varios conatus Hæreticorum, ad euertendum spiritualem statum comparatos, & spectauit, & detestatus est. Catholicam verò religionem ita coluit, vt nullum diem elabi pateretur, in quo sacrosancto sacrificio Missæ, ijsdem verbis semper cum sacerdote vsus, non interesset. Zamoscense templum testimonium perhibebit semper, quo studio, & animi propensione in cultum diuinum propagandum incubuerit. Non satis erat miro artificio illud erexisse; verùm voluit quoq; Collegio Canonicorum, & Sacerdotum locupletioribus redditibus attributis, multò illustrius reddere: thiara etiam Pontificali, quam infulam vocant, à Summo Pontifice,

quæ Decani Ecclesiæ, dum sacris operaretur, exornaret caput, impetrata. Quid verò dicam de Academia bonarum literarum ab ipso ibidem excitata, & doctis viris Cracouia accitis, condecorata? Hæc certè, non aliam profitetur religionem, quàm Catholicam, præsertim cùm etiam sacerdotia quædam habeat adiuncta: Sciebat enim vir Illustrissimus hæresim pestiferam, potissimum in Gymnasiis, corrupta iuuentute, coaluisse, & inde spargi per multas Prouincias cæpisse; vt verò diram hanc luem à suo Zamoscio, et vicinis circumquaq; locis, auerteret; pari ratione progrediendum sibi esse putauit, Gymnasio ad instituendam iuuentutem, et in pietate Catholica erudiendam, fundato, et dotato. Quod non minori liberalitate fouet, & conseruat Illustris filius eius, Thomas Zamoscius, in quo adolescente, nescias quid prius mirere; pietatemnè singularem, à maternis vberibus vnà cum lacte haustam: an illud acutum, acre, & sagax ingenium, præcipuarum linguarum vsu admirabile, & suspiciendum. Latinam cum Græca ita coniunxit, vt in vtriusq; profectu parentem breui sit exæquaturus. Arabicam, & Germanicam quoq; perdidicit; Italicam facili negotio consecuturus, imò & alias si modò animum applicuerit. Quarum specimen, adhuc viuum patrem tibi Cicboci, dum apud eum nomine Capituli Sendomirien: negotia quædam tractares, exhibuisse narraueras, qualem verò futurum virum putabitis, quem non de tramite recto impia sacrilegæ flectit contagio turbæ. Acuat quantumlibet stridens hæresis, promptam in iurgia linguam, hanc viribus inuictis, et firmo retundet

pectore

pectore Thomas præclarus, Zamoſcianæ bonor, decusq́ domus.

CAPVT XXIIII.

Ruſſia, Podolia, Volhinia, ex ſchiſmaticis, & Hæreticis quos habeat Catholicos.

SEd tum iterum Marciſouius; Opportunè hæc à te dicta ſunt Cicboci: non ſolum Zamoſcenſis ſchola ſuas partes in profligandis miniſtrorum delirijs, vel tua Cicboci Sendomirenſis in Arrianorum blaſphemijs diſſipandis, ſtrenuè actum eſt; verum & Ruſſiam totam de qua nunc agimus, obiectis tot Soc: Ieſu Collegijs, ſperamus, perpurgatum iri. Non enim ſatis fuiſſet Zamoſcenſis Academia, ad tot hæreſes, et ſchiſmata, per Ruſſiam graſſantia ſubuertenda; niſi præpotens Deus Leopolienſe, Iaroſlauienſe, Kamenecenſe, Luceorienſe, Collegia patrum Soc: IESV *excitari permiſiſſet: Sathana miris modis piorum mentes interturbante, & impiorum ad obſiſtendum ne res ex voto ſuccederet armante, et excitante. Leopolienſe Collegium, quantis difficultatum tempeſtatibus iactatum, & non ſolum à Iudæis, Schiſmaticis, Rutbenis ciuibus quibuſdam nominetenus Catholicis; verum et à nonnullis Eccleſiaſticis, qui inſtituendi Collegij feruentiores promotores eſſe debuêre, oppugnatum: nihilominus ex mera diuina voluntate, palmam ex his omnibus retulit, et obtinuit. Nec Iaroſlauienſe in ſuis primordijs expers difficultatum erat, ita vt de tranſlatione illius cogitari cæptum fuerit; nunc verò*

florens, & studiosa iuuentute, abundans videmus. Kamecense Podolicum, quamuis ob tenues reditus ad tantam amplitudinem, vt illa priora non peruenerit, opera tamen Ioannis Andreæ Prochnicij illius loci præclarissimi Antistitis, excitari cæptum: ad iustam, vt illorum locorum ferunt vastitates, quandoq; frequentiam peruenturum speramus. Luceoriensis, siue Lucensis Collegij, ab Illustrissimo Martino Szyskouio, tunc Lucensi, nunc verò Plocensi Episcopo, prima iacta fundamenta, & magna ex parte promota à Paulo Wolouicio, eius successore Episcopo vigilantissimo, non minori cura, & impendio eò perductum, vt iam studiosis bonarum literarum pateant scholæ, classesq; & pietatis officinæ superstruantur. Sed de his Illustrissimis viris nolo parum dicere, aut vtriusq; maximam laudem, cum istis nostris incomptioribus alloquijs coniungere: certè qualis quantusq; sit Szyskouius, iudicatura est posteritas. Tot igitur Collegijs auctam Russiam, Podoliam, Wolbiniam, cum habeamus exploratum, sperandum est breui, schismaticos, & hæresibus infectos, tametsi in perniciosis hæresibus demersi obdurucrint, vel in semitas rectas quandoq; reuersuros, vel mutuis collisionibus fractos, & conuulsos, in paucorum eorumq; obscuriorum homunciönum numerum relapsuros. Vultis videre quibus rationibus vt id credam adducor? Circumferte oculos per Illustriores, & insigniores quas illæ prouinciæ complectuntur, familias, vix vnam, aut alteram alicuius precij reperietis, quæ audeat negare se, cum Catholicis velle sentire: introferte in penetralia domorum antiquarum, ab hæresibus nuper irrum-

penti-

pentibus, infectarum, & admirationem meam mirari desinetis tam subitas variationes, & vicissitudines dogmatum sese mutuò excludentium, sublatas, quibus ad omnem auram tam familiare fuit moueri, et mutari vt ipsa turrium ανεμοτιμια a ventis circumacta; stabiliom esse putaretis. Sieniauiorum praeclara stirps, pacis, et belli artibus, aequè Illustris, in disiciendis vel comprimendis Tartaris, turmatim in Russiam inuolantibus, animi robore praestans, dum incautius ministrorum admisisset ineptias, succubuerat quidem; Procopius tamen in ordinem Senatorium cooptatus, et supremus regni Marsalcus effectus; deprehensis a Nouellantibus spississimis vndiq; in Catholicam fidem congestis mendacijs, maledictis, et calumnijs vela obuertit, et in Catholicae Romanae professionis portum delatus, paulo post in domino placidè obdormiuit: duas filiolas ex Helizabetha Gostomia foemina pijssima susceptas, Christo Domino desponsatas, in caelo proculdubio reperturus. At Hieronymus Adamus Regni totius, vt vocant Pocillator, ex fratre nepos, magnifico templo, lateritij operis, Brzezanijs excitato, et altero ex firmis roboribus extructo, satis testatus est, quantopere ipsi infausta haeresis sensim in familiam suam irrepens, displicuerit. Similiter et Iazlouieciorum domus, à profligatis saepius Tartaris, summam promerita laudem, et consilijs Senatoris celebris, opera Nicolai Capitanei Snatinensis, et Hieronymi fratris sui, ex haeresibus emersit; vtinam illud par fratrum superuixisset, vna cum illis extinctam Iazlouieciam familiam, non vidissemus. Ita Russica, et Podolica templa, nitori, et splendori suo restituta, sacerdoti-

doti-

omnes isti, ministrorum colluuiem in Russiam passim confluentem. In Leopolien: et Præmislien: tractu nonne Stadnicij, Krasicij, Humnicij, Dziaduscij, Didinij, Corniacij, & alij quamplurimi, sunt idem attentaturi? & nunc per Dei singularem gratiam quotidie audimus, nonnullos ab hæreticismo reuocatos, Catholicis se adiunxisse, in vicinia eiusdem tractus. Et ex Domaracijs quoq; nonnulli, quibus proaui et aui, cùm Catholicam religionem sartam, et integram reliquissent, et Parochialem suam Ecclesiam in bonis Luticze dictis, hucvsq; integram, & à ministris liberam conseruassent: patres eorum cum se non possent ab inextricabilibus ministrorum ambagibus explicare, in hæresim prolapsi, eam quasi hæreditariam filijs quoq; reliquêre, quorum quidam vsq; ad Arrianismum, vlterius progressi sunt. Cæteri verò maturiori consilio rem expendentes, ad proauorum, et auorum religionem, recursum fecêre; quorum Ductor, et antesignanus, Reuerendissimus Daniel Abbas Paradisiensis creatus, Stanislaum Subdapiferum Leopolien: virum industrium, et multis Legationibus nomine Regio perfunctum: tum Matthiam patruelem fratrem, suæ Centuriæ Ductorem, et militem egregium, in eandem fidei professionem receptos lætatur, posteritatemq; eorundem damna suæ familiæ resarciturum, cuius curam maximam gerit, confidit. Hæc libentius retuli quod inaudiuerim ex eisdem fratribus quendam, licet à Catholica religione alienum affinitate aliqua, tametsi remotiori Cicbocium nostrum attingere. Bolestrascicius quoq; insignis vir tot errorum opinionibus fatigatus, nuper Catholicis se adiunxit.

in quibus ipse cum domestica familia, & cum subditis, qui Catholicè inter Græcanæ religionis homines degunt, & rei diuinæ statis diebus, intersit, & sacramentis vt pium Catholicum decet, rite vtatur, probum & doctum suis impensis, domi sacerdotem alit, qui non sibi tantum in rebus salutis operam nauet; sed & omnibus orthodoxis, quotquot in illa solitudine agunt, sacramenta, illis ministrando obtenta tamen à Loci, vt vocant, ordinario, id faciendi potestate, inseruiat. Quid putatis quanta lætitia pium illud hominis pectus extulit, cum videt à se, ad tertium, imò & quintum lapidem posci sacerdotem, qui pænitenti, ægro aures præbeat, sacro corporis, & sanguinis Christi pabulo, reficiat, oleo sancto inungat, matrimonio assistat, ac infantulos fonte Baptismatis lustret. Sed & Græcanici ritus, subditi sui, multum se ei debere fatentur. Omnibus enim suæ ditionis colonis, quorum aliquot myriades numerari possunt, vnà cum suis sacerdotibus incitamento, & adiumento fuit efficaci, vt sese cum vno Capite Ecclesiæ Christi, in terris Romano nempe Pontifice coniungeret, & ei obsequentem Episcopum, Wladicam vulgo Præmisliensem, pastorem suum agnosceret: Speratur fore, vt cum ciuitatem cuius iam initia non infeliciter iecit, & à nomine gentis, & familiæ suæ Balgrodum appellauit, ad plenum perduxerit admissis in eam varij status Catholicis, & introductis sacerdotibus, in illis etiam incultis locis, Romana religio efflorescat. Atq; vt tanto maiorem horum, quæ dico, fidem mihi detis, eos qui inde veniunt, (remotiores quippe ab eo sumus) & illo viro familiarius vsi sunt, te-

tomiam Cichocij aduersus fratrem tuum, etiam Anonymum (ita enim vos tenebriones prodire in lucem non soletis) vix credo te legisse, alioquin talia de Soc. Iesu scribere ausus non fuisses. Remitto igitur te ad præfatum autorem, non enim visum est: tunc temporis singulas rationes tuas, præsertim cum ignotus sis conuellere, sunt enim friuolæ: imo nihil nisi nugæ, ac meræ calumniæ, in Societatem Iesu omnibus bonis, ac pijs probatissimam, confictæ. Quodsi clarius cognoscere vis prodi in lucem, aut desine consilium, quod ex Deo est nec dissipari potest, impiè impedire. Hæc ille: sed neque illi qui iam in Domino obdormierunt, ab Encomijs defensæ Catholicæ religionis excludendi sunt, quorum non exiguum numerum protulit nobis, præstantissimorum ingeniorum, suppeditatrix Russia. Reuocare in memoriam, non difficile fuerit, Stanislaum Orichouium, Roxolanum, si quis illius, Quincunces, Chymeras, cum agminibus ministrorum concertationes, & conflictus varios, legendo percurrerit. Similiter & Melchioris Mosticensis, Lucæ Leopolitani, ex Dominicanorum familia, vel vlterius Ioannis eiusdem patriæ, Academici, conciones, reuocauerit in memoriam, qui illis temporibus, ferme soli se pro Domo Dei hæreticis opposuêre, vt non commemorem, Leonardum Louiciensem, & Cyprianum Sredensem, Suffraganeum Vilnensem, et ex eadem prædicatorum religione plurimos viros insignes, qui pari conatu furorem, & insanam illam Ministrorum rabiem repressêre, atq; toti Russiæ vitæ sanctitate doctrina, facundia tanquam quædam faces præluxêre. Sed iam mihi ex Russia

pedes efferendi sunt, in qua nondum habeo omnia perspecta, & explorata: dicuntur enim quamplurimum partim hæreticis, partim etiam Russicis, & Schismaticis parentibus orti; præsertim illi quorum tenerior ætas in Collegiis Soc: Iesu pietatem, & honesta studia imbibent, Schismaticos parentes noluisse in religione sequi; sed ante initam vnionem Catholicis ritibus adhæsisse. Fortasse quis Zbarascios, Czartoriscios, Rosinscios, Korecios, Kostrscios, quorum etiam vnus religionem Bernardinorum familiæ professus, tum Strusios, Baczacios, & alios quosdam putauerit esse, de quibus cùm non admodum mihi constet, potius tacendum est, quàm aliquid incerti proferendum. Quanquam de Zbarascijs Ducibus non ausim dicere, genusné illorum fuerit eiusdem cum Russis religionis, an verò fidem Romanam semper professum, certè constat de Duce Ianussio Zbarascio, Palatino Braclauiensi Christophori, & alterius, qui nunc supersunt patre, virum fuisse Catholicæ et Romanæ fidei obseruantissimum, et sententia sapientissimi Stephani Regis artis militaris peritissimum; prudentia, & consilio præsertim in expeditionibus bellicis singulari, insuper et ciuem probum, et Reipub. amantissimum iudicatum, de quo præstat tacere quàm paucis verbis tot laudes tanti viri complecti, et comprehendere velle. Satis est nunc mihi dixisse posteritatem nobilitatis Russicæ, haustis pietatis, et institutionis Catholicæ salubrioribus documentis in viros Catholicæ religionis amantissimos, et propugnatores eiusdem acerrimos, euasuros: qui ill s Podolicos Zegrouios, vel potius Zelgouios, tantis patronis destitutos, vnà cum

cum suis argutijs, et ineptissimis inductionibus exsibilaturi, et in lacum Auernum præcipitaturi sunt, ita vt iam non fuerit necessarium ad eius scurriles, et aniles ratiocinationes conspuendas, fatigare ingenium præstantissimi, & doctissimi sacerdotis Olbruchti Borkouij, quem optimè nostis. Sufficeret inferiorum classium ad detegendam eius impudentiam iuuentus ingeniosa: Nam si antea nondum eiusmodi præsidijs comparatis, Vscio, Cracouiecio, Kropiecio, Lesko, Rimanowo, Dubiecko, fortasse recentiùs Potoko, ministrorum ista cohors cedere coacta, & templa eorundem locorum ab illis occupata, Catholicis sacerdotibus addicta sunt, quid nunc futurum speratis? cùm maximè frequentium Catholicarum scholarum celebritate, et ingenti auditorum caterua circumfluere videamus Russiam, quæ suam iuuentutem tradit pulcherrimis artibus informandam, industrijs ingeniorum artificibus Soc: Iesu Collegiorum præceptoribus.

CAPVT XXV.

Illustrissimi Ducis Ianusii Ostrogii, Comitis á Tarnow, Castellani Cracouien: religionis Catholicæ, á pueritia amplexus.

P*Ostquam finem dicendi Marcisouius fecisset, Cochleuio monente, continuare narrationem ipsius aggressus sum: Quin Volbiniam quæ adhuc superest mibi quoq; emetiendam censui, cùm non minora quàm in ipsa Russia, & Podolia, ibidem reperiantur Catholicæ fidei incrementa, præsertim*

præsertim si magnas, & Illustres introspexeris familias, inprimis verò Illustrissimorum Ducum de Ostrog, quis non admiretur, ab antiquis Ducibus Russiæ, deductam generis seriem? si addideris eos esse nepotes, & pronepotes, magni illius Ioannis Tarnouij, exercituum regni supremi Ductoris, et Castellani Cracouien: viri, tot victorijs ex hoste reportatis, clarissimi; et Senatoris pacis, et belli artibus æquè celeberrimi, ac prudentissimi; quem ego sæpius ex illo clementi et herili affectu, parenti meo, cui a puero penè sua obsequia addixerat, præstito, summis laudibus efferre consueui. Ianusius Castellanus Cracouien: inter proceres regni eminentissimus, potiùs maternam paternæ religioni præferre maluit, et ob eam rem, multa à parente religioni Græcanicæ addictissimo, perpessus, maximam stabilis, et constantis animi laudem promeruit, quem credo ex mea annua institutione aliquid propensioris animi, erga Catholicam religionem initio hausisse: postea in aulâ Maximiliani Imperatoris versatus, protinus ita se Catholicis adiunxit, vt eorum professionem suam quoq; esse diceret. Reuocatus inde à patre, qui cùm indignationem magnam in filium concepisset, teneram adhuc illam ætatem duriori tractatione, et asperioribus verbis retrahere, a proposito conatus est, vsq; adeò, vt cum nihil se proficere videret, ad duriora quæq; animum adiecerit, videlicet se cum indignis modis tractaturum; nisi Catholicismo renunciaret, minitatus. Et cum semel concitatiori in eum insurrexisset animo, incuruum gladium, quem acinacem vocant, arreptum, ob terrorem incutiendum, cùm iam educere velle videretur, suum

propri-

proprium imparem quidem huic rei perficiendæ obtulit, eò quòd breuior, & suo lateri potius quam ictui accommodatior esset: Indignum enim putauit esse, paternum ensem sanguine filij infici, cùm idem suus præstare posset. Attonitus pater, & tantum animi robur, se iam amplius posse labefactare diffidens, conscientia propria permisit illum vti. Et quo animo etiam nunc erga Catholicam Romanam Ecclesiam sit affectus, apparet ex tot templis, per Volbiniam in suis bonis, præsertim Ostrogi, & alibi ædificatis, ac dotatis, vnò etiam Monasterio D. Francisci, in loco Mięndzyricz dicto, maximis sumptibus extructo. Constantinouij templum satis amplum, & splendidum è cocto latere ab eodem exædificatum, & sufficienter prouisum visitur: alterum Czudnouij, vna cum Xenodochio erectum, nec minus Poloucij sumptuosè excitatum, quod nunc est in principum Iaroslauiensium ditione, Stepanense itidem, ob introductos Catholicos sacerdotes non ignobile. Tarnouiæ quoq; instituit Mansionariorum Collegium, quod horas Beatæ Virginis, vnà cum sacro, tempori Aduentus Domini accommodato, Rorate dicto, quotidie decantaret. Taceo, quanta solicitudine in Hungaria, dum bona coniugis suæ Maliouiensia haberet in potestate, (quam ex hæretica Catholicam, eamq; feruentissimè religionem Romanam amplectentem effecerat) restaurationibus Ecclesiarum incubuerit, opem ad id accedente Martini Wroblouij, Collegij nostri Sandomirien: Archidiaconi, à quo antequam illa bona in hæreticas deuoluerentur manus, cultus diuinus more Catholico iutroductus, summo concurrentium feruore,

Ff *propa-*

propagari cæptus fuerat. Et quamuis de Ecclesiis conseruandis cautionibus, & pactis interpositis, satis abundè prospectum esset, hæretica tamen fides perfida, non est passa ritus Romanos, in ijsdem templis diutius retineri, quæ res maximarum litium, ob pacta violata, præbuit occasionem: non tamen optimum illud studium, & voluntas propensa, suo merito caritura existimanda est. Illud autem in isto Heroe insignem meretur laudem, quòd decimas Ecclesiasticas, non solùm putat diuini iuris sanctionibus, in veteri lege esse introductas, verùm & in noua, siue essentiam, siue modum decimationis spectes, vim legis diuinæ vel Ecclesiastico obtinere debere: atque suo exemplo, istos refractarios prouocare, ad eas extradendas consueuit; vt è bonis, & possessionibus suis amplissimis, Clero, & sacerdotibus, ad quos ex primæua fundatione pertinebant; earum auehendarum potestatem permittat, prospicitq;, ne eas quas collegerint manipulares, præfectus possessionum, & prædiorum suorum vendant; sed potiùs eas pro arbitrio suo, cui vsui voluerint applicent. An non hoc est pij, & generosi pectoris argumentum, quòd à prima institutione sua, Catholica religione imbutum, ad hoc vsq; tempus coalescentibus viribus, inter tot procellarum turbines, & opinionum, de religione concurrentes pugnas, non aliam nisi Catholicam, eandemq; Romanam Ecclesiam, summo iudicio, quam toto conatu sequeretur delegerit. Non defuere quidem in illo tot nationum, tot religionum, in aula Cæsarea confluxu, siue Hussitas, siue Viclefitas numeres, siue tot Sectarum inter se dissectarum, agmina, quibus si volu-

voluisset adhæsisse, fuerat licitum: præsertim cum Bohemica, & Russica lingua, tam in elocutione, quàm in pronunciatione, magnam affinitatem habeat, & fermè germanæ sorores, Polonica ab vtraq; non mediocriter discrepante, ab omnibus Slauonicæ gentis nationibus censeatur. Sed repudiatis, quibus tunc scatebat illa celebris Pragensis ciuitas, omnibus quotquot eò confluxerant hæresibus, Tarnouianæ præclarissimæ domus vestigiis, in qua Catholicismus potissimum vigebat, ita institit, vt ne transuersum quidem pedem, in deuijs istis, vel hæreticorum, vel schismaticorum saltibus, collocare voluerit, vnquam. Testabitur idem de eo in multa secula perpetuata posteritas; testabitur & illud insigne monumentum, quod adhuc vita superstite, in Ecclesia Collegiata Tarnouiensi, opere mirabili, & sumptuoso, sibi, & coniugi Pannonicæ, poni curauit, apud quod instituti sacerdotes, pro ipsius, & coniugis suæ anima, Deo Opt. Max. perpetuò sunt supplicaturi.

CAPVT XXVI.

Fratris eiusdem, Ducis Constantini, ex schismaticis erroribus emersio.

ENimuero fratris eius germani Ducis Constantini, si quis vitam piè, & religiosè transactam considerauerit; dabit profectò veniam, quòd eius memoriam refricandam, & ad posteros transmittendam esse duxerim. Hic enim tametsi è schismaticorum, quibus à pueritia irretitus fue-

rat placitis, tam citò non potuerat se expedire, fortasse metuens, ne in similem parentis offensam, incurreret, tamen breui, resumpto animo, palam testari non erubuit, se cum schismaticis erroribus, quibus Russica gens infecta, eosdem obfirmato, quin potiùs obstinato animo mordicus retinendos sibi putat, nihil commercij habere velle; cúmq; se tanquam in portum ad gremium Ecclesiæ Catholicæ Romanæ recepisset, Deus bone, quantas & ille sustinuit, postquam resciuit pater, molestias, & insultus, nec scio an non fraternis maiores, & vehementiores. Nihil tamen his motus, forti, & inuicto animo pertulit omnes; vt non abs re nomen Constantini inditum in baptismo acceperit. Tanta verò pietas, tantus ardor religionis illud pectus innocuum occupauerat, vt nihil ab homine religionem professo, quamuis in matrimonio aliquamdiu vixisset, distare visus fuerit. Præces horarias more sacerdotum recitare, sacro missæ sacrificio, quotidie interesse, eidemq; reuerenter assistere, imo & ministri officio fungi, præter consuetas sibi, & peculiares obsecrationes, et meditationes, ita consueuerat, vt piaculum putaret aliquid horum singulis diebus omisisse; quam animi in exercenda pietate, & deuotione sedulitatem, præpotens Deus insigni miraculo (vt fertur) gratam sibi fuisse comprobauit. Nam cum Tarnopoli operanti sacris sacerdoti, illius loci Parocho, cui Ioannes Trzesigłowka nomen, et cognomen erat, assisteret, & ad sumptionem calicis ventum fuisset, vidit sacerdotem huc & illuc se obuertentem, totum consternatum, et pauidum, calicem ex vna in alteram partem crebrius transferentem, quid hoc esset primum

mum

mum admiratus, demum resumpto animo accessit propius, et introspicere calicem iussus, plenum sanguine, et cruore videt; nihilominus vt totum hauriret, nulla horroris habita ratione, sacerdotem hortatur: hausit ille et tantum abfuit vt aliquem horrorem sensisse visus sibi fuerit, vt potius suauissimo quodam odore se afflatum esse, affirmare non dubitauerit. Hæc se ex ore amborum audiuisse testatur Martinus Wroblowski Sacræ Theologiæ Doctor eximius Archidiaconus Sendomiriensis. Subrepseratne illi sacerdoti aliqua incredulitas, vel an hoc tanto insigni miraculo voluerit Deus, gratum sibi esse demonstrare illum pium Ducis erga cultum diuinum affectum: vel vt tantò magis currentem ad eundem amplectendum excitaret, dicere non habeo. Si forte sacerdos reliquisset illum calicem, vt erat sanguine plenus non exhaustum (apparitionem enim miraculosam, prohibere sumptionem huius sacramenti, communiter Doctores docent) poterat seria inquisitio ab officio spirituali, vt res diligentiùs examinaretur institui, mihi tamen verisimile est ob testimonium tanti, et tam religiosi principis, non aliter se rem habuisse. Certè et illud non minùs mirabile, cum iam ægrotus decumberet, et persentiret Deum Opt: Max: ex hoc corporis ergastulo ad præmia immarcescibilia, et æterna, breui se educturum, tantam hilaritatem animo conceperat, vt nullis rerum mundanarum distractionibus, cupere se eam interturbari multoties testatus sit, cùm paulò ante & coniugi, et familiæ suæ abundè prospexerit, imò proclamari voluit vt si quis, etiam ex sibi subditis hominibus sentiret se ab ipso aliqua in re grauatum, et

vel minima iniuria affectum esse liberè, et tempestiuè accederet, se omnibus satisfacturum; eò consilio vt deinceps spacium relictum haberet, ad se recolligendum, et ad tam arduum iter, sarcinis compositis, vel potius deponendis, præparandum. Cùmq; iam animaduertisset omnibus satisfactum esse, etiam coniugem charissimam obtestatus est, ne concideret animo, missosq; istos eiulatus, et ploratus faceret: se à summo Imperatore ab hac terrena militia ad fulgidas coronas vocari, quas cuilibet redditurus est iudex iustus qui modò legitimè certauerit, et datam semel fidem vsq; seruauerit ad extremum halitum; quam deinceps ad se admitti prohibuit, asserens se ipsius præsentia à quodam Musico concentu suauissimo, qualem nunquam audiuisset, auocari: et iam, iam morti proximus, ab astantibus auditus est tanquam ad aliquem inuitantem se, dicere, se mox affuturum nullamq; moram: quin ad suum dominum properaret interpositurum: sicq; placidissimè mortuus est. Virum certè tum ob generis sublimitatem, quam ex Ducibus de Ostrog, et domo Tarnouiana serie non interrupta, traxerat, magis tamen ob insignem in Deum pietatem, et constantem religionis Catholicæ professionem, omnium laudibus celebrandum, et votis singularibus prosequendum. parentis offensam, multis, & varijs modis deprecabatur, sæpius ad eius genua procumbens. Emollierat quidem hac sua submissione aliquantulum senis animum, tamen nec mortui sepulturæ interesse voluit, nec ita magnifico apparatu, vt decebat, funus efferi passus est. Sepultus est in templo Parochiali ciuitatis Ostrosiensis, ritu Catholico,

quod

quod quidem tum temporis erat è ligno extructum; nunc verò ab Illustrissimo Duce Ianusio, è cocto latere, ob gratum fratris sui memoriam, elegantissimè erectum, & dotatum.

CAPVT XXVII.

Quis, & quantus fuerit Constantinus senex pater eorum, Posteritatis Ducis Alexandri Ostrogiensis, in Catholica fide profectus, Zaslauiensium Ducum, & aliorum Wolhiniæ procerum, ad ritus Romanos accessio.

AT de sene illo dierum, & annorum plenissimo principe, ex ortu, potentia, & virtutibus singularibus, clarissimo, parente horum aliquid quoq; dicendum est. Fertur enim filios à se, ob religionem durius tractatos, recollecto animo indoluisse, & propensiori animo erga Catholicos esse cœpisse. Constat enim ab vnione illa quæ postea inter Romanam Ecclesiam, & ritus Ruthenici Episcopos, siue Wladicas, coaluerat, non admodum abhorruisse; si quædam admissa fuissent, quæ ille ad vnionem perficiendam necessariò pertinere debere existimabat: alioquin futurum fuisse principem, omni exceptione maiorem. Nam cùm esset obseruationum suarum tenacissimus, nihil eorum prætermisit, quæ putabat suæ religioni consentanea esse. Ieiunia apud Ruthenos frequentia eaq; multorum dierum continuatione protensa, sic obseruauit, vt ægrè, cum ex aliquo

quò morbo eum decumbere contigisset, suasu medicorum resciderit. Statis semper precibus intentus inscitiam & ignauiam suis sacrificulis & æditnis sæpius exprobrauit. Cæterùm ad omnem humanitatem, & mansuetudinem, cuilibet exhibendam, nullum promptiorem vidisse te dixeris: erga subditos eadem semper clementia vsus, qua pater erga liberos, in eleemosynis erogandis profusissimus; erga doctos, & alicuius precij viros liberalis, & munificus, præcipuè verò erga eos, quos artis militaris peritissimos esse acceperat, quibus plerumq; & integra attribuebat bona. Quid existimatis, si tam præclaras virtutes vnico charitatis Christianæ nexu deuinxisset, & erga Romanam Ecclesiam, paulò æquiori animo fuisset, nonnè referendum eum inter cælites putaretis? prout à Moscis relatus est, statua insigni argentea, sub nomine ipsius, dedicata. Huic cùm vnus tantùm superfuisset filius, qui eandem secum religionem profiteretur, quem à prima pueritia, nullis latinis literis instructum esse voluit, forte ne & ipse reliquos sequeretur fratres, cùm in eius posteritate totam spem conseruandi Ruthenici schismatis collocauisset, eum nobilissimo & opulentissimo matrimonio iunctum, etiam inter Senatores relatum, Palatinum Volhinensem factum videret, ad cuius amplitudinem nihil præter ipsam religionem defuisse videbatur. Quem breui repentino morbo extinctum, & sublatum, cum multis lachrymis prosecutus fuisset, splendidissimo apparatu, & planè Ducali extulit, paulò pòst & ipse filium subsecutus est. Hic tamen Constantinum, & Ianussium, filios cum tribus filiabus generosam prolem,

lem, quam ex omnium virtutum genere ornatissima Anna Iaroslauiensium bonorum hærede, consorte sua, sustulerat, totam Catholicam reliquit. Deo non permittente, ne Kostkarum generosus sanguis, ex quo tot insignes viri Catholicæ religionis obseruantissimi, ex quo etiam B. Stanislaus Kostka Soc. IESV *præclarissimum lumen, ortus est, prodiere, aliqua labe schismatica inficeretur. Filij in Collegio Soc.* IESV *Iaroslauiensi, pietate, cum egregijs virtutibus, atq; literarum studijs imbuti, iam in supremis studiorum classibus versantur, & in ipso curriculo Philosophico non contemnendos fecerunt progressus, neq; illorum pater à Catholica religione longè abfuisse dicitur, morti enim proximus, cùm iam iam animam acturus esset, optauit sibi aliquem Catholicum sacerdotem adduci, qui eum à schismate, & peccatis expiaret, prout relatione certa se accepisse ipsius Illustrissima coniux, fæmina lectissima, & deuotissima, fatetur: adeò vt non dubitet anniuersarios pro ipsius anima dies, cultu frequenti sacrificiorum, præsertim Sacro sanctæ Missæ, epulo etiam religionis hominibus, & pauperibus, abundantissimè exhibito, quotannis instaurare, & celebrare, à quibus omnibus profectò supersedisset, si ipsius ad Catholicismum propensum animum, nisi obstitisset pater, non habuisset exploratum. Abeat igitur cohors tota hæretica schismati permixta, & cesset sibi iam domum, & familiam Ostrogianam vendicare, cùm iam nullus ex Illustribus, & præclarissimis Ducibus supersit, qui non sit Catholicus. Nam & Illustres Zaslauien: Duces, qui eiusdem stirpis, & familiæ sunt, non solùm Catholici sunt: verùm*

etiam toto conatu in promouendam Catholicam religionem incumbunt. Illustrissimus Ianussius Palatinus Wolbiniæ, non solùm à schismate, verùm etiam à portentosis de Deo, & Sanctissima Trinitate opinionibus, ita emersit, vt in illis oris feruentiorem Catholicæ religionis assertorem vix reperias. Testatur illud Bernardinæ familiæ celebre domicilium siue cænobium, vnà cum templo Zaslauiæ ab ipso erectum: testantur & alia templa ab eodem excitata, & prouisa, filios suos Illustrissimos Duces in scholis Patrum Soc. Iesu instituendos cumuit, vt appareat honestissimas artes, vnà cum probitate, et religione, quibus multos antecellunt, illos inde exsuxisse. Certè Alexander Castellanius, primum Volbiniæ, nunc Palatinus Bratslauiensis, iam Senator amplissimus factus, quem generum sibi Illustrissimus Dux Castellanus Cracou: magno iudicio adoptauerat, Catholicæ religionis amantissimum, se vbiq; exhibet, et testatur, vt Patres Soc: Iesu institutionis suæ, vberrimum existiment se referre fructum. Bonis profectò auspicijs studia literarum, vnà cum classibus Soc: Iesu vsq; in Volbiniam Illustrissimos Duces secuta sunt. Sed hic limes Russicarum prouinciarum esto. Audiamus Cochleuium aliò sermonem transferre parantem.

CAPVT XXVIII.

Stephani Bathorei Regis, inuictus in tuenda religione Catholica animus, Collegia Patrum Societ: Iesu & templa magnis sumptibus, ab eo erecta, & ædificata.

Tum

TVm silentio indicto illico Cochleuius sic effatus est, ab Illustrissimis Ducibus, nonnè recta ad Serenissimos Reges procedemus via? Nihilné in proximè se subsequentibus duobus regibus Stephano, & Sigismundo elucescet, quòd ad continuandum, vel concludendum institutum nostrum posse addi existimabimus? Magna, et splendida sunt quæ in principibus viris commendatione videntur digna, sed in regibus maxima, quos Deus peculiari quodammodo maiori, quàm reliquos, tuetur & protegit patrocinio, ita vt non solum pijs regibus, verùmetiam impijs, & à cognitione Dei alienis, adhibeat Angelorum custodiam, nam et Angelo Gabrieli, Angelum Persarum 40. diebus restitisse scriptura commemorat. Stephanum porrò Regem, Catholicos parentes habuisse, multorum produnt testimonia, nam in Somlio paterna illius arce, Catholicam religionem, tanquam in quodam sacrario, conseruatam esse, reliquis familijs in hæreses prolapsis, constantissimè affirmatur, vnde Andream, et Christopherum fratres in hac tempestate fluctuantium errorum, etiam professione Catholicos fuisse, extra controuersiam est, hæretici quidem, vt eorum moris est; religiosum videri potiùs, quàm esse voluisse, in vulgus sparserunt; sed lippis oculis inspiciebant, Cracouiæ, Lublini, Vilnæ, Polociæ, Claudiopoli, Soc: Iesu templa, ab eo partim fundata, partim locupletata, castissimamq; Dei Opt. Max. propagatam religionem: vt prætereã templum Grodnense, magnis sumptibus, et adhuc feruentibus bellis, ab eo ædificari cæptum. Subacta Liuonia summa celeritate Colleginm Soc: Iesu Rigense, et Derpatense

tense erexit, instituto'q; prius Episcopatu Vendensi & sacro eius Diecæsis Collegio, tum aliquot Parochialibus Ecclesiis restitutis sacerdotes ex Polonia, & vicina Lithuania acciuit. Ad templorum ornatum & supellectilem Ecclesiasticam comparandam, nullis vnquam pepercit sumptibus, attonitis, & ad templa Catholico ritu renouata, accurrentibus Lotauis, siue Igouijs, ex quibus pauci admodum supererant, qui priscæ religionis, & Catholicorum obseruationum recordarentur, qui præ gaudio visi sunt, a lachrimis abstinere non potuisse. An non hæc omnia ardentissimæ pietatis argumenta dixeritis esse? ab initio quidem tantam de eo hostes Ecclesiæ conceperant opinionem, vt eo regnante, Romanam religionem funditus ruiturum, sibi persuaderent. Sed ô Dei prouidentiam singularem. Ille ipse, qui votis hæreticorum expetitus videbatur, & audiebatur, tantum in asserenda Catholica veritate enituit, vt sub hoc rege, reflorescere inciperent Ecclesiæ Romanæ instituta, & priscæ pietatis exercitia instaurarentur. Multos ille ab impijs erroribus retraxit, plurimos non solum ex Polonis, verumetiam Hungaris suis, ad agnitionem purissimæ veritatis reduxit; prædicantum raucæ conticuerant voces, tot clarissimorum concionatorum, quibus id temporis aula abundabat, concionibus, & doctrinis obtusiores factæ, ad quas fluctuantes hæretici frequentiores confluere solebant, et ad agnitionem veritatis, perduci. Quanto verò studio audiebat suum Socolouium, ex Soc: Iesu Martinum Laternam, et Antonium Ariam Hispanum, è Franciscanorum familia Italum, et reliquos è Soc: Iesu Patres

in

in medio Latio te esse putauisses; si eos audiuisse contigisset, adeò conciones, Latini sermonis elegantia, grauitate rerum, et ponderibus argumentorum, redundabant, vt pateret cultioribus nationibus Polonicæ linguæ ignaris, auscultandi accessus. Etiam ipsorum hæreticorum concursus non infrequens cernebatur, quorum nonnulli ad saniorem redibant mentem, pleriq; etiam varijs iactati opinionum procellis, quid sibi sequendum esset pendebant dubij. Verum tu hæc melius Cichoci nosti, qui id temporis ab aula nusquam abesse consueueras. Hic igitur tantus Rex, magna ex parte ab hæresibus repurgato Senatu effecit, vt minores ex equestri ordine; in Pontificios fierent insultus, vbiq; iuribus Ecclesiasticis strenuè defensis. Nec quisquam inde trahat suspicionem, quòd non perceptis ritè Sacramentis hinc à nobis subductus est, multis idem contigit etiam religione, et deuotione celeberrimis viris, qui cum vellent, aliquo occulto Dei decreto non potuêre similibus Sacramentis vti. Hoc tamen ipsius religionis extitit insigne argumentum, quod aliquot ante obitum diebus, aduentante die Dominico, non potuit abduci, quominus sacro et concioni publicè interesset: nunquam enim cultum diuinum, siue in grauibus Reipub: negotijs, siue in expeditionibus bellicis, siue in venationibus, neglexisse visus est: Quid igitur dicet, quo se vertet venefica hæresis? suasne an Catholicorum partes potiores, hoc Rege fuisse, ipsumq; à partibus suis stetisse contendet? Circumferte oculos per omnes huius regni partes, an non mendaces pronunciabitis

Ministros, quorum in ore frequens cantilena erat, vix aliquem sub Transyluani Principe Catholicum, superfuturum.

CAPVT XXIX.

In Suecia sub Ioanne Rege introduci cæptus Catholicismus, tum propensus eius ad Catholicismum animus.

QVid verò de Serenissimo Sigismundo Rege nostro dicturi sumus? qui pietate, & propagandæ Catholicæ religionis studio, plurimos antegressus est reges: ego, qui in ipsius aula, multo tempore versatus sum, & Secretarij munere perfunctus, cùm omnia explorationa habeam, præsertim & in ipsam Sueciam, aulam secutus, eò libentius in medium hæc adfero, quò magis ipsius beneficio obstrictum me esse agnosco. Et vt paulò altiùs mutatæ religionis initia in regno Sueciæ repetam, Primus Cristiernus, Daniæ, & Sueciæ rex, eam tyrannide sua labefactauit, sublatis è medio quinquaginta optimatibus, & tribus Episcopis, quos sibi minùs fauere suspicabatur, quo ob tyrannidem pulsò, cùm Sigismundus primus Rex, oblatum sibi per legatos Torunij regnum non acceptaret, Gustannus Serenissimi nostri regis auus, qui solus ex præcipuis familijs supererat, et regnum publico nomine administrabat, omnium suffragijs, regnum obtinuit, vir prudens, et animi excelsi, ad rem militarem, & ad ministrandam Rempub: æque idone-

idoneus, sub quo, florentissimum euasisset Sueciæ pacatum regnum, nisi a Ministris Lutheranorum qui iam eò irrepserant, malè persuasus, Catholicam religionem, vnà cum Episcopis exulare iussam, implacabiliori odio fuisset prosecutus. Nec deerant mali consultores, qui accessione bonorum Ecclesiasticorum, pulsis Episcopis, contendebant Reipublicæ commodis, prospectum iri. Et sic regnante illo, demum filio eius Erico, Catholica religio oppressa, nescio an aliquot tenaciores habuerit sectatores, successit demum, diuina admirabili dispensatione, alter Gustaui filius Ioannes, ducta in matrimonium Catherina Iagellonia Sigismundi Augusti sorore, & Serenissimi regis nostri matre, pijssima, & deuotissima fæmina, quam plurimi ex Catholicis vna cum selectissimis matronis, secuti, iterum in Succiam, exercitium priuatum sacrorum Catholicorum, intulerunt. Tandem & ipse rex Ioannes, pientissimæ coniugis religione motus, vt erat non vulgari eruditione, & rerum diuinarum cognitione, non mediocriter excultus, non obscurè vidit hæreseos caliginem regno suo, magna exparte esse offusam, & deprehensis Lutheranorum, & Caluinistarum in tractandis scripturis fraudibus, & sexcentis inter se dissidentibus dogmatibus, mox fidei rationem, ad vnanimem patrum consensum, reuocandam sibi statuit, quem cùm reperisset, antiquæ Ecclesiæ conformem esse, non erubuit, publicè pseudoepiscopos eorumq; ministros falsitatis, & impietatis arguere, ita vt in conuentu publico, Sacrosanctum Missæ sacrificium, esse illam incruentam oblationem, & victimam sanctam asseruerit, & ad confessionem

veri-

veritatis, totam illam ministrorum turbam adegerit, statimq; in quibusdam templis altaria excitari permiserit, Vpsaliæ præsertim, & Vastenis, & alibi. Redieant deniq; ad obseruandum, statis diebus, ieiunium, vtpote feriæ sextæ, & quadragesimæ, quam vt traditionem Apostolicam se velle obseruare asserebat, sanctorum orationes, intelligebat in Christo magnam vim, & efficaciam habere, easq; expetendas. De purgatorio verò quid senserit, hinc apparet, quòd cùm funus coniugis suæ, insigni sanctimonia reginæ, Catholico ritu efferendum curauisset, etiam omnibus regni incolis, vt pro illius anima orarent, seriò, & districtè, mandauit, ita, vt & ipse Vpsalensis pseudoarchiepiscopus, necesse habuerit, dum ex suggestu publicè declamaret, hæc verba proferre. Regina, inquit, inter præstantissimas dotes, auitam Iagelloniorum, & aliorum Christianorum regum, religionem Catholicam, sine qua nemo saluus esse potest, constantissimè semper retinuit. Sed & de reliquijs sanctorum quàm piè senserit constat. Corpus enim sancti regis Erici & ossa thecis argenteis, per Catholicos tantum sacerdotes, præsertim Soc: Iesu, qui erant reginæ à confessionibus, et sacris, honorificentissimo in loco templi Vpsaliæ reponi curauit, similiter et Diuæ Brigittæ, a qua genus ducebat ossa, restituta argentea theca, quæ inde erat ablata Vastenis honorificentissimè inclusit, ibidemq; ordinem sanctimonialium virginum, vnà cum cænobio, non modò conseruauit, verùm et auxit, vt, quid de votis castitatis senserit, non obscurè appareat. Proinde et serenissimo tunc Principi filio suo, Sigismundo, exercitium

citium Catholicæ religionis indulsit, & post obitum reginæ, vt ei sanctè promiserat, idem præstitit, Patres verò Soc: Iesu, & summa beneuolentia est prosecutus, & quid de illis senserit, palàm affirmare non dubitauit. Nam & curam institutionis filij sui illis permisit, & consuetudine illorum delectatus eorum doctrinam, & pietatem; ministris sæpius opposuit: ruditatem & ignorantiam sæpius illis exprobrans.

CAPVT XXX.

Iactata fluctibus in Suecia à Carolo Sudermano Catholica religio, Sigismundi Tertii Serenissimi Regis nostri Catholicæ religionis assertoris, feruentissima pietas.

SVb tali igitur & tanto Rege afflauerat quidem aura benignior Catholicorum animis, præsertim Regina adhuc superstite, & nondum in regnum Poloniæ filio Sigismundo assumpto; sed iterum fato quodam occultiore, gradum retrò abducere Catholicismus cæpit, rege nouis nuptijs irretito; cunctanti verò interea obrepsit mors. Successorem sibi Serenissimum Regem nostrum iam pridem designauerat, suffragijsq; omnium hæredem declarauerat, quem & ego, ad sollennem illum inaugurationis actum, secutus sum. Reliquerat quidem rex nonnullos Catholicos sacerdotes, quibus Adamum Steinchalenum tunc Canonicum, nunc verò Custodem Sendomirien: qui ipsi erant à sa-

cris, virum pium, et doctum, cùm inde in Poloniam rediret, præfecerat, ac securitati Catholicorũ, quicunq; ibi velerant, vel relinquebantur, bene prospectum esse arbitrabatur, nisi Caroli Sudermani perfidia, & Tyrannus, in contrarium ventum, reflauisset, pium propositum regium; qui præter ius, & æquum exclusis omnibus, quos rex reliquerat, tam sacerdotibus, quàm ijs qui eius nomine erant officia administraturi, occupato cum perduellibus Sueciæ regno, totum fermè Catholicismum extinxit, direptisq; thecis argenteis, in quas Ioannes rex, ossa S. Erici regis, & Diuæ Brigittæ incluserat, & sanctimonialibus pulsis, iterum Ministris, curam sacrorum, si modo sacra, & non execranda hæresis deliria dicenda sint, addixit. Quid putatis? quo animo tulerit Serenissimus Rex noster, non tam regnum sibi perfidè ademptum, quàm potius inde religionem Catholicam profligatam, quam toto conatu, iterum in Succiam introducere cupiebat? Nec adhuc spe deijcimur, recuperato (si peccata nostra non impediuerint) regno, in illis septemtrionalibus, & hyperboreis tractibus, quandoq; veritate, illucescente, Catholicos plurimos futuros. Certe pium, & ardens in promouenda, & propaganda vbiq; Orthodoxa fide, regis nostri singulare studium; quis non admiretur? Eductum è regno hæreditario, quod cymmerijs tenebris, ministrorumq; fœtidis exhalationibus, pene obrutum est, amplissimarum prouinciarum, quæ ex diuersis nationibus vnam eandemq; constituunt Rempub: in qua exercendæ pietatis, & virtutis suæ patentiorem haberet campum, Deus præpotens principem, & regem esse iussit: plura etiam adiectu-

rus;

rus; si in excolenda pietate, & spirituali ordine tuendo animum non remiserit, et strenuè se hæreticorum conatibus opposuerit. Nec dubitare nos patiuntur tot egregia ipsius facta, in quibus omnibus elucet, præstantis, et ardentissimæ pietatis zelus: nam præter statas, et occultiores horas in quibus, antequam aliquid negotij aggrediatur, primùm sibi Deum Opt: Max: propitium, et placabilem, depromptis ex imo pectore supplicibus votis; reddere consueuit, et nunquam committit, vt aliquem diem non audito incruento Missæ sacrificio, elabi sibi patiatur, quod idem Serenissimæ Reginæ, & filio suo principi Wladislao, totiq; fermè ipsius aulæ, commune, & peculiare cum ipso est. Nec satis habet quotidie Christiano sacrificio interesse, nisi frequentius, diebus præsertim solennioribus, expiatus per confessionem, si quæ obrepserunt erratis, de eodem altari participet. Cæterùm in cultu diuino, præsertim in publicis sacris, quæ cura? quæ solicitudo? vt quam decentissimè omnia fiant. Musicorum etiam instrumentorum concentus, quo impensiùs maximè in templis, ad decantandas laudes diuinas vtitur, quam grauis, et ad deuotionem excitandam, compositus sit, etiam externi admirantur. Episcopis verò, et sacerdotibus tantus honor; vt non alterum Dauidem, vel Iosaphatum desideraueris, eos summo iudicio deligit, pietatem, et probitatem vitæ in vnoquoq; spectans, nec admodum promotorum istorum vt vulgo dicunt persuasionibus, quos plerunq; sanguis vel necessitudo aut prehensationes dementant, fidem adhibens.

CAPVT XXXI.

Eiusdem insignia opera in propaganda Orthodoxa fide recensentur. Cracouiæ SS. Petro & Paulo templum ingentibus sumptibus excitatum, & patribus Soc. Iesu addictum, tum Petri Scargæ Sepultura, condecoratum, Collegium Orsanense ab eodem fundatum.

POrrò erga familias ordinum, & religionum, mirificam animi affectionem quis enarrauerit? præcipuè patrum Soc. Iesu, quos vsq; ad inuidiam aliorum, & obseruat vt patres, & reueretur, vt quondam præceptores, & institutores suos, quorum fidem, constantiam, pietatem, puritatem vitæ, tot argumentis probauerit, vt nullis vnquam aliorum persuasionibus, ad auertendum ab illis animum, adduci se permiserit: hæreticis frendentibus, fortasse & aliquibus Polyticis Catholicis. Cum verò tumultuariæ quædam conditiones regi obtruderentur, quarum vna erat, vt Iesuitas ab aula proscribi pateretur, ita exarsit, vt profiteretur, se nec regnum ipsum tanti facere: vt innocentes homines, & de se benè meritos, a se excludi permitteret: imò eò attentius Scargam concionantem, & tempora illa deplorantem, audiuit, & a suo latere, ne quoquam discederet cum reliquis passus est, vix tandem senio, & laboribus confectum, & sese humillimè obsecrantem, vt ab suis obsequijs missum faceret inflecti potuit. Audiueram Ci-

choci

choci Sendomiriense Collegium, in quo emeritus ille Ecclesiastes conquiesceret, & exuuias istas mortales deponeret, sibi delegisse: nec ignoro te tantum hospitem obuijs vlnis excepisse, qui non tam amœnitate loci delectatus erat, quam, quod templum Collegio annexum, à S. Petro nomen habeat. Nam licet illud Cracouiense multò splendidius à Serenissimo rege maximis impensis, et artificio singulari etiam sub nomine S. Petri ædificetur, nec multum a perfectione abest, tamen video propensiori animo, aërem Sendomiriensem, quo foueretur sibi placuisse. Sed cur postea mutauerit animum, causas aliquas subesse puto, nec enim temerè tantus vir id fecisse credendus est, non tamen desiderio tuo omnino frustratus videris. Recta enim ab aula Sendomiriam contendit, ibiq; aliquot hebdomadis moratus, et ternis concionibus, ac non mediocri subsidio afflictas ex incendio ciuium fortunas, subleuauit. Maximi autem te facere existimo, tam celebrem verbi diuini præconem, totius vitæ suæ conciones, Sendomiriæ idq; in tua Parochiali Ecclesia, finiuisse, et olorem illum ante obitum, aures vestras miris demulsisse modis. Placuit autem Deo vt celebris Ecclesiastes, in celebriori condereiur, et vrbe, et templo, Regiamq; munificentiam, et hoc ipso facta gratam sibi fuisse ostenderet. Licet per multos audiui hereticos, et frigida suffusos Catholicos grauiter indolere quod hæc tam insignis structura, et regia munificentia dignissimum templum ita assurgat, queriq; non modicè, quod in gratiam Iesuitarum, tantum pecuniæ expendatur, quam militi potius erogari opus esset. Certum est à Iuda hausto

 spiri-

ſpiritu, tales diſtendi ſolere, nec admodum conſiderare pietatem non ſolum ad bella ſuſcipienda; verùm & perficienda, vtilem eſſe, nec bellicis victorijs Dauidem regem obſuiſſe, cùm in ædificium templi, tantum auri, & argenti congeſſiſſet. Et ſane magnum quid iſtis videtur, ſi Rex, cuius tam latè patet imperium vnum templum Deo Opt: Max: ædificet, cum legamus Alphonſum Octauum, non totius Hiſpaniæ, ſed tantùm Caſtelle regem, trecentas Eccleſias ædificaſſe, et magnis reditibus dotauiſſe, Boleſlaum pium qui in Bohemorum regno patri Boleſlao Sæuo ſucceſſit, viginti templa, a fundamentis excitauiſſe ſcribit Dubrauius. Lib: 6. *Quot verò à Caſimiro magno noſtro Poloniæ rege, ædificata, et dotata ſint templa, quis enumeret? Certè quæ extant antiquiora, omnia illius opus eſſe dicuntur, Petrus Danus ſiue Duninus, ſeptuaginta ex ſecto lapide ſcribitur ædificaſſe templa, cum nec rex, nec princeps eſſet. Et audebit quis, Sereniſſimi regis noſtri liberalitatem, & in cultum diuinum expenſos ſumptus, carpere? At inquiunt, non decet regem tantopere his, quæ magis Monachis vel ſacerdotibus, quam principibus conueniunt, occupari. Scilicet Dauid in medijs occupationibus, non fatetur ſe in die ſepties laudem dixiſſe Deo, & media nocte ad orandum & confitendum ſe è lecto proripuiſſe? Scribit Cuſpianus, Albertum Ducem Auſtriæ non erubuiſſe, publicè cum ſacerdotibus, & pſallere, & cantare Solenniaq; ſacra quam deuotiſſimè celebrare: quòd impij, & ſcelerati homines illi vitio vertebant, aſſerentes eum Monachum non principem eſſe.* In Alber. 2. *Et Pontanus de principis inſtitutione affirmat, Alphonſum*

phonsum seniorem Calabriæ Ducem, qui omnes ætatis suæ, multorumq; ante seculorum reges superauit, studio veræ religionis, ritus Christianos, & solennes cæremonias, tanto cultu obseruâsse, vt ne ab ipsis quidem Pontificibus in hoc vinceretur. Quod si bi tam ex pietate, & religione, quàm ex rebus præclare gestis à grauissimis scripturibus celebrari meruère, quidni idem easdem, vel ob iustiores etiam causas Monarcha noster æque pius ac felix mereatur? Cuius pietatis placet adhuc duo recentia symbola mundo palam facere.

Mandatum Serenissimi Regis nostri ad Torunenses in Causa Catholicorum transmissum.

Spectabiles, & Famati Fid. nobis dilecti. Pręter omnem nostram expectationem accidit ea his ipsis diebus nobis de Fide. V. nunciari quę aliena sunt omnino à Fide. V. officio, legibus, & institutis Regni planè contraria. Significatur, enim nobis solenni Fide. V. denunciatione interdictum esse Catholicis sacerdotibus, ne sacra ritu Catholico obeant, ne quod orbis Christiani recepta consuetudo rite vsurpat, publicę supplicationes statis diebus fiant, Catholicęque religionis, cuius auspiciis posita, dicataque est Torunen: Ciuitas exercitium ne liberum sit, & ne ij qui hoc nomine censentur in publicum sacra: (quę inuidioso, vel magis impio nomine Idola, ab iis qui Magñdis nomine hoc denunciationis munere functi sunt, nuncupantur) proferre

ferre audeant, ne scholę Catholicę in quibus iuuentus ad pietatem, & honestatem eruditur, amplius aperiantur, ne tecta ædium vsibus eorum qui Ecclesię seruiunt dicata restaurentur. Quę omnia quorsum vergant, facilè perspicimus, nimirum vt in Regno quod Diuina gratia Catholicum inprimis est, à paucis nouarum rerum studio incensis leges nouę, & inauditę ferantur, publico verò decreto scitę, & promulgatæ, temerario ausu abrogantur, & refigantur. Meminisse sanè oportebat Fid. V. quid de tranquillitate inter eos, qui in diuersos de Religione sensus abierunt conseruanda publicè decretũ sit, quid postremo de scholis Torunen: cõstitutum. Hęc priuata authoritate rescindi, & ex arbitrio vnius alteriusué, de ijs quę ad vniuersum Reipub. statum pertinent iudicari minimè æquum existimamus, sed Fid. V. debere ab eiusmodi conatibus desistare, & intra officij sui metas se continere. Nec existiment sui arbitrij esse, aliquid ad conseruandam trãquillitatem Ciuitatis expediens immutare, cùm nos id, qui diuino munere has partes sustinemus, prospicimus, ne qua turbarũ occasio detur. Frustra etiã Fid. V. inanes sibi fingũt metus, quasi à pauca ista iuuentute, quę apud vos eruditur, seditionis alicuius ansa oriatur: suos modò Fid. V. ita vt debent, ac tenentur, in officio contineant, Catholicis ne quam iniuriam inferant, publicum eius Religionis exercitium quale ab ipso Ciuitatis exordio obseruatum fuit, ne turbent, reliqua omnia pacata erunt. Et vt intelligant Fid. V. rem hãc nobis cordis esse hisce

hiſce literis noſtris Fid. V. ſignificamus, omnes & ſingulos, tam ſpiritualis, quàm ſęcularis ſtatus, & conditionis homines, qui in ciuitate ſuburbijsq; Torunẽ: Catholica Romana profeſsione cenſentur, ſub noſtra protectione eſſe. Dent itaq; Fid. V. operam, ne qua in re violentur, & ſecundùm ex pręſcripto legum, Regni pax, & tranquillitas ſeruetur, ſecure ſacra tractentur nec contumelijs aut iniurijs innoxij afficiantur. Cæteroquin violati ſalui conductus noſtri Regij pænis ſubiacebunt. Varſauię. 8. Maij. 1614.

Eiuſdem S. R. M.
Ad Torunien. Epiſtolam reſponſum.

Spectabiles & Famati Fid. nobis dilecti. Accepimus literas Fidel. Veſtr. quibus nobis ſignificant, quibus de cauſis, ne publicæ ſupplicationes more Catholico ſtatis diebus in Ciuitate noſtra Torunien. fierent, prohibuerint. Iam antea cum id aliunde accepiſſemus, perſcripſimus Fid. V. minimè nobis probari hanc pręconum è Fid. V. in pręſcribendis, definiendisque legibus, quibus homines Eccleſiaſticos teneri volunt, temeritatem. Ne nunc quidem factum Fid: V. nobis placet, neque hę rationes quibus eò adductas ſe oſtendunt, ſatis idoneæ videntur, quæ iuſtam excuſationem contineant. Fruſtra enim Fid. V. metum excitandæ ſeditionis prætendũt, cùm id totum poſitum ſit in poteſtate Fid. V. ne tumultus in ciuitate fiant, quorum initium,

neque à personis Ecclesiasticis, quę paucæ isthic, & inermes sunt, neque ab ea quę in scholis Catholicis eruditur iuuentute, quę arcta disciplina continetur, & facile pręceptorum suorum animaduersione coerceri potest, orietur, suos modo Fid. V. in officio contineant, neque quicquam noui, in ijs pręsentibus negotiis, quę ad statum ciuitatis non pertinent, decernant, ac denique de iis iniuriis si quę priuatim intercedunt, ad eos qui corrigendi habent potestatem referant. Non dubitamus autem Fid. V. prioribus literis nostris, sedulò admonitas, diligenter expendisse, quid officij earum sit, & quid fides quam nobis, & Reipub. debent, exposcat, de quo serio iterum monemus, Fid. V. ac vt securum, hominibus Catholicis in Ciuitate nostra statum pręstent omnino volumus. Cupimus de cętero Fid. V. bene valere. Dat. Varsau: die 15. Maij. 1614.

Certè nostri Serenissimi regis nunquam intermorituram laudem prosecutura est, posteritas: pietatis verò & religionis studijs, Deus ipse ob sui castissimum cultum, dabit æternum in cælo testimonium: Hæresis verò obstinatissima eo regnante, non attollet amplius cristas, sed in perpetuam confusionem, & baratrum præcipitabitur, nusquam inde emersura. At verò occidente sole, somnus occupat oculos: nos iam alloquiorum huius diei finem imponamus; cras Deo propitio, iterum reliqua prosecuturi.

LIBER

LIBER TERTIVS.

Summulæ seu synopses Capitum.

CAPITIS PRIMI.

Falsò insimulari Iesuitas, eos in quibuslibet Synodis, & conuentibus legum, & sanctionum Ecclesiasticarum, pręcipuos esse artifices, Tum quid de plerisque legibus sit sentiendum.

CAPITIS SECVNDI.

Causę odiorum in religiosum ordinem Soc. Iesu, pręcipuæ inuestigantur, & duo inprimis inuidię effectus, recensentur.

CAPITIS TERTII.

Inuidię tertius effectus fusius explicatur, duobus illis prioribus, atrocior & sanguinolentior; idque initio sumpto ab Anglia.

CAP. IIII.

Iacobi VI. Anglię & Scotię regis. rancor in Pontificem, & Bellarminum Cardinalem, primum ex inuidia ortus. Tum an Bellarminus cum rege componi posſit.

CAP: V.

Stuartorum apud Scotos familia, quę & qualis, Tum & de Iacobo VI. quid sentiatur à plerisque, De coniuratione contra eum facta.

CAP: VI.

Religio Iacobi, simulata & tecta, Neroni, vel Constantino Arriano Imperatori similior. Politicorum ingenium quale?

CAP. VII

Ex Germania emergentes hęreses, quam cladem Episcopatibus pręsertim insignioribus attulerunt. Quędam de Africa, Asia, & aliis.

CAP. VIII.

In Germania Catholicismi, cum hęresibus collisiones. Ad quæ loca reuecta Catholica fides, per Belgium, & Heluetios, vbi Collegia Patrum Societatis Iesu.

CAPITIS NONI.

Rhænanę Ecclesię Cathedrales, & vrbes, & reliquę per Germaniam insigniores, quę Catholicę, tum quę habeant hęreticos permixtos, & in quibus locis Collegia Societ: Iesu reperiantur.

CAP. X.

Per Bohemiam, Silesiam, Morauiam, Hungariam, in quibusnam locis, adhuc vigeat Catholica religio, & ad eam quorundam procerum recursus.

CAP. XI.

In Transiluania, variè iactata Catholica religio, primùm pulsis, iterum restitutis Iesuitis, secundò pulsis, nec adhuc restitutis.

CAP. XII.

In Galliis de religione concertationes varię, Societas Iesu eiecta, sed maiori cum laude restituta, Vniuersitas Lutetianę Academię, variè erga Societatem affecta, & qui in ea insigniores fuerę viri, Hæreticorum cum numero Catholicorum, collatio,

CAP. XIII.

Collegia Soc. Iesu, in Galliis frequentia, insignium virorum, eiusdem instituti prouentus vberrimus. An extra eum ordinem Illustres, & aliqui præclari viri ex institutione Iesuitica prodiere.

CAP. XIIII.

Societas Iesu, quos insigniores, in Polonia, & Lithuania ex Episcopis habeat patronos, & promotores.

CAP. XV.

Pręlati, & Canonici, insignis Ecclesię Collegiatę Sendomiriensis, cuiusmodi sint erga Patres Soc. Iesu, propensionis, Tum an ex scholis Iesuitarum, etiam in Polonia aliqui Illustres, & pręclari viri prodierint.

CAP. XVI.

Iesuitę an sint Mathematicarum scientiarum, pręsertim Astronomię ignari, Prędictionum Astrologicarum, vanitas & futilitas demonstratur.

LIB.

LIBER TERTIVS.
CAPVT I.

Falſo inſimulari Ieſuitas, eos in quibuſlibet Synodis,& conuentibus legum,& ſanctionum Eccleſiaſticarum, præcipuos eſſe artifices. Tum quid de plerisq; legibus ſit ſentiendum.

POſtridie maturiùs ſpreto cubili; cùm pro more abſolutis precibus, ſacris quoq; ritè peractis, parumper inambulando proceſſemmus, ad illud remotius à domo nemus, recto perreximus greſſu, syluulam amœniſſimam, virentibusquè quercubus ad ſe inuitantem dixeris: varijs auium concentibus aures permulcentem: aluearia quoq; in excauatis roboribus, plenaq; examinibus apum fæcunda, Cochleuiana induſtria ibidem propagata, tum agri circumquaq; fertiles, ad ſuum cultum, vel ignauiſſimum quemq; allicientes; horrea reddunt Cochleuio aſpectu quidem iucunda, ſed vſu quotidiano mox atterenda. Dum verò ſatis expatiationi indultum eſt, placuit in viridi gramine, ſubſtratis quercuum truncis, conſidere. Hìc ego dum vtrumq; intueor, primasq; ad alloquendum partes vtriq; defero; En Cochleuius iure ſuo, tanquam fundi ſui arbiter, vſus, ita exorſus eſt. Multa equidem heſterna die percurrimus, quæ audiſſe, & dixiſſe non pænituit, ſermone ſermonem ex occaſione inuicem protrudente, non tamen abſq; ſuſcepti ne-

gotij proposito, exceptis his, quæ ad mensam in commessationes, vel in ipsum Comum intorta sunt, neq; id indecorè, cum inter epulas, de his quandoq; non illepidè garritur. Cæterùm siue modum loquendi cum hæreticis concitatiorem spectes, siue natum, ex Anonymi de reformatione Pontificia discursum, siue quasdam artes hæreticorum detectas; & consensum ridiculum Sendomiriensem ad Zephyrum iactatum, vel turbine in aëra sparsum, consideres: tum etiam elogia clarissimorum virorum, qui paternis erroribus nec irretiri potuerunt; sed pro oppugnatoribus, strenuos se Catholicæ religionis propugnatores præstitêre, perpendas, non procul ab Anatomia Cicbocij discessum esse video, cum ad eam illustrandam, vel si qui insultus in eam fierent vindicandam, hæc omnia congruo quodam modo pertineant. Nunc verò quis probibet ne iterum ad eam expendendam progrediamur, præsertim quantum attinet ad Societatis Iesu Patres, in quorum lacerandâ fama, & figendis in illam hæreticorum rostris, tantum operæ positum est, vt aciem illorum hebetiorem, & obtusiorem ex crebriori retunsione, putem esse redditam. Ac inprimis miror Cichocium Synodi Petricouiensis nullam in Anatomia fecisse mentionem, cum Anonymus contendat Iesuitarum operâ Concilij Tridentini decreta, & ibi suscepta, & approbata esse, nam alibi vbi non tanta vigebat Iesuitica persuasio non sunt admissa; nostris verò Polonis, qui nondum Iesuitarum habebant exploratas artes, facilè ab illis impositum esse. Quid si ego nomine Synodi Petricouiensis Anonymo huic impudenti os obtumuero, qui nescio vnde colligebat;

bat; in eadem Synodo de vnionibus, & conspirationibus Hispanorum, Austriacorum, & reliquorum principum Catholicorum, contra diuersæ religionis sectatores, a Iesuitis tanquam Pontificijs satellibus, tractatum esse, & eò perductam Synodum, vt absolute nulla exceptione interserta, omnibus quas obtrudebant, Pontificijs sanctionibus, se submitteret, inde vero aliquam in Repub. insignem perturbationem exorituram sibi videri. Sed sunt hæc Anonymi figmenta, & somnia futilia, & vana, imo in ordinem spiritualem totum probrosè, & petulanter dicta: quasi verò non ibi adfuerint Episcopi, & Præsules, pietate, ac eruditione insignes; imò Senatores amplissimi, qui cùm essent ex ordine equestri, ad eas dignitates assumpti, poterantné Iesuiticis persuasionibus induci, vt si aliquod inde periculum Reipub. imminere animaduertissent, non iuberent facessere illorum consilia, præsertim cum feruentissimo studio, prout & ipsa nobilitas integrum statum Reipub. conseruare cupiant, an verò sacerdotium parentum, consanguineorum, affinium conuellit iura? & tollit illam solicitudinem in conseruanda Repub. qua ante sacerdotium initum, erant, affecti? Si vero in decretis Concilij Tridentini admittendis aliqui ex Societate præclara eruditione viri operam quoq; suam contulerant, nunquid propterea toti Synodo præfuisse, imò in suam sententiam eandem pertraxisse censendi erunt? Nonne videtis stultitiam istius Anonymi, qui dum Iesuitas in odium adducere contendit, tantum illis tribuat, vt sine illis nihil, ab Antistitibus, & clero vniuerso sciscí, & approbari potuisse, deblateret. Interfu-

terfuêre quidem illi Synodo, cùm etiam, & ipsi inter Clerum regularem numerentur, nullam tamen ferendarum sententiarum potestatem sibi vsurpauerunt, verum Episcoporum, & seniorum decretis vnà cum reliquo clero acquieuêre. At malè sanus impostor, dum Iesuitarum consilia arrodere vult, non videt, quantò Illustriores eos reddat. Num adeò stupidos, & rerum diuinarum, ac humanarum cognitione tot Senatores, tot Antistites, tot Praesules esse destitutos existimat, vt sine opera Iesuitarum, rem tanti negotij expedire nequiuerint? O contumeliosam in vniuersam Rempub. Polonam, quae ex vtroq; componitur statu, imò potius delirum, caput. At leges, & decreta sanctionum in Repub. libera, nonnisi in comitijs, & consensu omnium ordinum posse promulgari, vt omnes ex aequo obligent; vociferabitur? rectè sanè, si acceperis ad polyticum non verò ad statum Ecclesiasticum haec referenda esse. Non repeto quae de hac re in appendice Anatomiae copiosè tractauit Cichocius. Illud addiderim, me non mirari, quod ille Anonymus pro legibus, sanctionibus, & consuetudinibus seruandis, tantopere laborat, ita vt à nemine has debere violari, vel infringi contendat, scilicet metuit suis spurijs legibus miser, ne libertas quidlibet credendi tollatur, ne confaederatio, & illud pactum cum inferno, è numero legum deturbetur, ne Iurisdictio Ecclesiastica iampridem conuulsa, iterum ad suos legitimos Iudices reuocetur: ne per leges contrarias templa Catholicis adempta, vnà cum pretiosa supellectili, restituantur, vel ea quae adhuc integra remansere, ne ab haereticis depraedentur. Et hae quidem leges, &

sanctio-

ſanctiones, antiquitus vim legum publicè promulgatarum, obtinebant. Hic verò neſcitur quas nobis nouas, & ante hoc ſeculum inauditas obtrudit: ſi enim legum, & conſuetudinum legitimarum ſuſcepit patrocinium, potiùs fuiſſet tutatus, illam priorem Corcinenſem confœderationem, vel illas, a maioribus vſurpatas conſuetudines, cùm ad Euangelij decantationem gladij ſtringebantur, & vnà cum hæretico eidem menſæ accumbere nefas eſſe putabatur, aut certè ſi cedere nollet, lintea cultris diſcindebantur. Si licebit has leges, quæ contra hæreticos latæ ſunt iſti conſultori abolere, nobiſne non licebit legibus, & conſuetudinibus, contra Deum, contra Eccleſiam, contra pietatem latis, nos tueri? Quid ſi leges ferantur, vt nullus homo reperiatur ſanus, vel ne aliqua mulier ſeneſcat, vel vt faber ferrarius, non forcipe, ſed nuda manu ferrum ignitum attrectet, nonne ridiculæ, & inſanæ exiſtimabuntur? At multò magis illi ridiculi qui putant quidlibet agendi licentiam, & libertatem, legibus ſtabilitam eſſe: & permiſſa cuilibet, quam quiſq; ſequi voluerit hæreſim, optione, pacem, & concordiam coire et conſeruari poſſe, et ſublata Eccleaſiſticis, Iurisdicendi facultate, à polyticis tantùmmodo petendam, et Eccleſiaſticam quoq; ad eam pertrahendam eſſe? Satis ſatis ipſa experientia edocti ſumus, quis fructus ex impijs, et execrandis legum ſanctionibus conſecutus ſit. Leges quidem in immenſa volumina exercuêre; tamen quas probes, vel improbes, adhuc in controuerſo eſt, cùm pleræq; ex oppoſito pugnent, cum lege diuina, naturali, iure Canonico, et Cæſareo, imo et cum ipſa ratione. Multæ enim ex priuato-

rum commodorum causa natæ, ac intrusæ potiùs quàm latæ, publici consensus vim obtinuêre, vt nec ipsi Polytici, quibus earum corrigendarum facultas demandabatur, potuerint inire rationes, et modos quibus in illis emendandis, abrogandis, et disponendis vterentur. Rectè illud Plautinum quadrat in Gurgulione, Rogationes plurimas propter vos populus sciuit, quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam, quasi aquam frigidam feruentem esse, ita vos putatis leges. Et in Trinummo, mores, leges iam perduxerunt in potestatem suam, magis sunt obnoxij, quàm parentes liberis suis, eæ miserè etiam sunt ad parietem fixæ, clauis ferreis, vbi malos mores adfigi nimio fuerat æquiùs. Certè nihil est intolerabiliùs lege iniqua, quæ Tyranno ipso est longè atrocior: tyrannus enim mori, vel tolli potest; at lex quamprimùm lata fuerit, statim robur perpetuitatis habere incipit. Examinentur leges Anglicanæ, & aliarum Prouinciarum, ab Hæreticis occupatarum; inuenientur Neronianis, & Diocletianis centuplo atrociores. Iste verò Anonymus, metuit ne Synodus Petricouiensis decernat, omnino conandum esse, vt antiquæ leges contra hæreticos latæ, reuocentur, ad quas in locum pristinum restituendas existimat, Iesuitas totis viribus eniti, proinde etiam à nullo ordine tam malè sibi metuunt Euangelici fratres, vt ab hoc; quem exitialibus odijs prosequuntur: dantq; omnem operam, ne Synodis intersint, ne in consilia adhibeantur, ne Academias obtineant, ne iuuentutem informent; sed vt potius regno pellantur, quos vno ictu extinctos velint. Sed abeat cum suis nugis Anonymus

nymus iste. At cum hæc per leges antiquitus receptas illis non permittantur, vt tantopere insaniant, nos potius leges contra illos latas, quæ proscriptione bonorum, & ignominiosa infamia, illos puniri iubent, proferemus. Nam in hæresibus coercendis, summa clementia est, non esse clementem, inquit Augustinus, cum quæ contra illos feruntur leges, & eis videntur aduersæ magis pro eis sunt, quoniam multi per ipsas correcti sunt. Molestus quidem est medicus furenti frenetico, & pater indisciplinato filio, ille ligando, bic cædendo, sed ambo diligendo: Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo, crudelitas est. Sed iam abeat cum suis nugis Anonymus iste exlex. Hic intercepit sermonem Marcisouius, & cum causas tantij odij erga patres Soc. IESV *recensere cæpisset, inuidiam quoq; non postremam se demonstraturum esse pollicitus est, cui cùm annuissemus, ad hunc modum disseruit.* Epist: ad Bonif.

CAPVT II.

Causæ odiorum in ordinem religiosum Soc. Iesu, pręcipuæ inuestigantur, & duo inprimis inuidiæ effectus recensentur.

TORqueri inuidia hunc Euangelicorum cætum, quòd tanto successu religiosus hic ordo propagatus sit certum est, cùm constat 29. prouincijs cum duabus viceprouincijs, intra tam breue tempus ab origine sua, eum distinctum esse, qui habet domos professas viginti vnam, Collegia du-

centa nonaginta tria, domos probationis triginta sex, domos residentiæ nonaginta sex, numerus sociorum ad decem millia sexcentos extenditur: atq; timeo ne in eandem inuidiæ societatem pertraxerint quosdam ex Catholicis, & Polyticis consutos inquietioris cerebri homines (non ausim dicere de quibusdam religiosorum ordinum viris qui quasi è diametro oppositam hanc sibi religionem invulgus spargunt.) Qui voluerit legat Apologiam Cicbocij contra eiusmodi oblatratores scriptam, vel potius Apologeticum responsum, illis qui è publico loco durius in societatem sanctam inuecti sunt, quàm illorum professio postulare videbatur. Cicbocius profecto adduci non potuit, vt euulgaret passim scriptum illud, quod apud te Cochleui, vel ab ipso tibi communicatum, vel ab aliquo alio clanculum descriptum, semel me vidisse contigit. At mittamus hæc omnia, & ad propositam odij causam inquirendam, propius accedamus. Ego puto præcipuam esse, quam dixi inuidiam, si ipsius definitionem, naturam, & effectum consideraverimus. Est enim inuidia dolor de aliena fælicitate conceptus. Diuus August: docet: Lib: con: Adimât: Cap: 17. *dolorem de aliena prosperitate tunc inuidiæ naturam inducere, quando ea de causa homo de alterius bono dolet, quia per id bonum, sibi videtur minor fieri, & alter præferri, aut coæquari, qui inferior erat, vnde idem inquit, sic inuidet par pari, quia ei coæquatur, inuidet superior inferiori, ne ei coæquetur, ex hoc liquet natura inuidi, quòd non tam ipse cupit bonum habere, quàm ne alter habeat: vnde etiam fit, vt tum demum diligere incipiat proximum, cui inuidebat, quando eum in miseriam incidisse, ac bono priua-*

tum

tum esse, videt. Basilius vero; hoc bonum habet, inquit, Cap. 10. de inuidia. *inuidia, quod nocumento est ipsi inuido, quasi secum adferat pœnam, est enim vitium afflictiuum ipsius habentis, vnde scriptura inquit, putredo ossium dicitur inuidia.* Prou. 14 *Si igitur perpendas quidnam, non solùm hæreticos, verùmetiam nonnullos religiosorum ordines (si modò eiusmodi religiosi dicendi sint) tum & quasdam Academias ad exacuenda in Iesuitas odia, excitauerit, facilè reperies, bonum quo frui eos Dominus Deus voluit, in causa esse. Vultisné videre; cur illi inuidorum oculos excæcent, & pene effodiant? Atq; vt ab hæreticis incipiamus, quos non tam inuidos dixerim, quàm odio quodam æstuantes, & eò peiores, quod eos odio habeant gratis, id est sine causa, imo contra causam, nam oderunt illos, quos diligere debebant, cum solicitè illorum salutem quærant, non vt animos eorum exacuant, verum vt ab erroribus retrahant, & gremio matris è cuius sinu exciderant, restituant. Pessimum ingratitudinis genus est, eos qui effusa manu conferre volunt beneficia, non solum persequi; verumetiam occidere velle, de talibus conqueritur dominus.* Multa Ioan. 10. bona feci vobis, propter quod horum vultis me lapidare? *De talibus quoq; Psaltes:* Qui tribuunt mala pro Psal: 37. bonis, detrahebant mihi. *Illos autem pessimos, & Dæmonibus similes, qui eos odio habent, nihil inde vtilitatis reportantes. Sed sibi inquies; malè metuunt, à Iesuitis Hæretici, cùm vident apud Reges, Principes, Respub. eos in magno pretio esse, Collegia eorum tam multa propagata, numerum eorundem in dies magis, ac magis crescere,*

 Prin-

Principum nobilium filios eandem Societatem ingredi, ingenijs, & industria præstantissimorum iuuenum, frequentia Collegia eorum repleri: templorum, & ædium fabricas in altum assurgere, & tam splendidè exornari: pubem tenerum ad pietatem colendam, ad morum honestorum imitationem, ad literarum studium, excitari, eodemq; modo in iuuentute formanda, & erudienda eos progredi, quo Lutherus in ea deformanda, & corrumpenda vsus est, cum primùm Academias, & scholas occupâsset, è quibus tanquam ob intemperiem aeris, locustarum tot agmina, tot pessimorum dogmatum, & morum corruptorum examina, prorupêre. Hæreticorum verò scholas, siue Academias nec tam frequentes, nec tam celebres esse, vtpote se inuicem corrodentes, nec in eodem doctrinæ præsertim quod ad religionem spectat, consensu, & modo sibi cohærentes, tanquam si scopis solutis, virgulta quaquauersum dispergas, ita erga hæc omnia concurrunt, odium & inuidia, vt de principatu certare videantur. Nam ministelli dum vident se à suis heris negligi, vel prorsus contemni, & vix non inter aurigas collocari, quid putatis? quanta inuidia dispunguntur miseri, cùm vident patres Soc. IESV *non solùm ab ipsis Catholicis benignè foueri, verumetiam à contrariæ factionis hominibus, eis quoq; honorem deferri? Ita enim comparatum est, vt quælibet virtus, si in homine aliquo etiam vitioso reperta fuerit, honorem suum amittere, haud possit. Quodsi multæ æquè egregiæ virtutes in idem indiuiduum concurrant, tantò magis in admirationem sui etiam inuitos excitant, & ad honorem sibi debitum præstandum, pertrahunt.*

trahunt. Quo pacto autem prædicantum ista fæx dum considerat, se Iesuitis in eruditione, in tractandis rebus, in disertis concionibus, imparem esse, non debeat inuidia disrumpi? inde necesse est, vt tot contumelijs, tot conuicijs in Iesuitas iactis, cùm veritate non possint suam turpitudinem, & imperitiam obtegere, conentur vel falsa esse, vel ficticia, aut incredibilia quæ Iesuitis tribuuntur, plenis buccis, impudentibus tamen, concrepare. Incidi nuper in commentaria Toleti in Lucam, ibi video tres inuidiæ effectus ab eo numerari, primùm istam incredulitatem prosperitatis alienæ ponit, inuidus enim ne prosperitate alterius cui inuidet torqueatur, & affligatur, difficilè credit prosperitatem, aut bonum quod alteri euenisse narratur, et nisi ita sit manifestum, vt negari non possit, id sibi dissuadet, quasi effugiens tormentum, quod ex illo bono sibi imminet. Secundum effectum ponit, quando ratio, et mens ita conuincitur, vt assentiendum sit, et aliena fælicitas, siue prosperitas sit credenda, quærit inuidus verbis minuere, et eleuare saltem apud alios, vt non sit credibilis prosperitas illa, aut minor reputetur, quàm est. Tertium effectum adfert, vt cùm priores conatus non benè successisse viderit, studeat rebus ipsis impedire, aut auferre alterius prosperitatem de qua dolet, vt sic cruciatum inuidiæ à se remoueat. Hinc iam ego video procedere tot iniustissimas despoliationes, expulsiones, incarcerationes, despectuum, tendicula, verbera, homicidia, vt in Cain, Saule, et fratribus Ioseph videre est. Rectè Paulus huius vitij mala considerans, dixit plenos inuidia, et postea subiungit homicidio, contentione, dolo, malignitate, Ad Rom. 1.

-tate,

tate, susurratione, detractione, quæ omnia ex inuidia tanquam ex radice generantur. His tribus effectibus inuidiæ afflati Hæretici, vnà cum inuidia pudorem prostituêrunt, persuadent enim imperitis, ea quæ in Indijs nunc aguntur, in disseminanda fide Catholica, in conuersione tot regum, populorum, nationum, in tot editis per Dei potentiam miraculis à Iesuitis conficta esse. Sect. 2. art. 36. *En incredulitatem quam in Anatomia, refutatam legi, scilicet distantiam, & intercapedinem locorum minuere tot testium, tot scriptorum, tot literarum famam, ita vt etiam Regibus, Principibus, & doctissimis, atque in rebus literarum monimentis consignandis solertissimis viris, imponere nitatur Societas. Secundum verò inuidiæ effectum habent fortasse cum quibusdam polyticis, qui etiam Catholici dic volunt, communem, qui extenuant, & minuunt ardentem Societatis in lucrandis animis zelum, quòd plerunq; etiam non vocati sese ingerant, quibus non graue sit, etiam quasdam penetrare domos, vbi spes aliqua conuertendi hæretici, vel ad pænitentiam adducendi Catholici, affulserit, affingentes alias caussas, quæ manifeste cum illorum professione, & institutis pugnant. Ad conciones eorum, populi confluxum frequentiorem carpunt, dum eum blanditiis, & phaleratis verbis, ad se pertrahere calumniantur, cùm certum sit Iesuitas, sæpius vinum, quàm oleum vulneribus infundere solere. Præterea rationem docendi, & modum erudiendæ iuuentutis, illi ætati conuenientissimum, illa ad studia capessenda prouocantia incitamenta, illum indefessum circa pulueres scholasticos laborem, tamen & eam gratitudinem referunt,*

referunt, quam ex inuidia prognatam excipere, & fouere illi consueuerunt, quorum liuor exulceratum semper exedit animum, ita vt mirum sit hunc morbum etiam doctis, & eruditis viris plerumq; familiarem esse. Pulchrè enim videtur expressisse Cælius Rodiginus; qui dicit, proprium huius mali esse, non remotis, sed qui eiusdem professionis sunt, eiusdem questus, vel alia quauis similitudine coniunctis, inuidere. Vnde Dominus dicit, Prophetam non esse acceptum in patria sua, nam qui eiusdem gentis, vel patriæ sunt, quandam videntur habere æqualitatem, & paritatem. Si aliquis virtutibus, vel prosperitate præcellat, illi molestè ferunt, se ipsis miseriores, reputari. Hinc prouerbij locus, Ægyptio Scyta non inuidet, nec enim ab Academijs, scholisq; vel aliquibus eodem religioso instituto viuentibus minora perpessi sunt Iesuitæ, quam ab ipsis hæreticis, siue Machiauelismo infectis Polyticis. Et rectè Plutarchus sensit; inuidum optimum quemq; virulentia sua insectari: sed inprimis quos summo nisu ad virtutem tendentes intuentur, & dum laudes illorum concoquere nequeunt, velut ex quadam societate commendationes eorum nauseabundi, auersantur. Hinc inuidiæ pessimum germen, detractio per multorum ora, etiam horum qui sibi Catholici, vel religiosi videntur, oberrat, & ab aliquo arreptum conuitium, non intra pectus recondunt, sed quasi partu maturo vrgente, foras excludunt. Rectè Spiritus Sanctus hac similitudine vsus, comparat eiusmodi sagittæ infixæ in femore canis. Sicut enim canis non quiescit, donec sagittam excusserit; ita nec illi quiescere possunt

Lib: antiq. lect. 20 C. 30

Luc. 4.

Eccl. 19.

qui proximorum virtutibus inuid nt, donec verbum malum, quod de proximo audiunt, alijs retulerint. Ego verò nihil referre existimo, detrahentem audiat quis, an detrabat ipse, nam teste Hieronymo: Si deesset auditor; non esset detractor, nemo enim illi aliquid libenter narrat, qui narrantem grauiter, & molestè audit. Idem in scriptura reperitur, ventus Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis
Prou: 16. *linguam detrahentem. Sed concludam hoc totum duobus*
D. Aug: 130. & 137. *ex Epistolis Augustini adductis locis. Quid mirum est inquit? si homines seruis Dei detrahunt, & quia eorum vitam peruertere non possunt, famam decolorare conantur, cùm ipsum Deum, & Dominum illorum quotidie blasphemare non cessent, cùm eis displicet, quidquid contra eorum voluntatem iusto & occulto iudicio facit. Et iterum: Hæretici inquit non nisi hominum crimina colligere affectant, & eo ipso plura falsissimè iactant, vt quia ipsam diuinæ scripturæ veritatem criminari, & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus fingere, quidquid inmentem venerit, possint. Postquam conticuit Marcisouius, Prolixus satis mihi videris fuisse, inquit Cochleuius, duobus effectibus inuidiæ exponendis, sed ille tertius, quem præterire voluisti, maiori mibi videtur exaggeratione, & deploratione dignus, & quoniam te defessum esse animaduerto, experiar, num in eo explicando mentem Toleti assequi possim.*

CAPVT III.

Inui-

Inuidiæ, tertius effectus fusius explicatur: duobus illis prioribus atrocior, & sanguinolentior, idque initio sumpto ab Anglia.

Tertius igitur inuidiæ effectus, & si sit illis duobus grauior, & acerbior, inde tamen emersit, hoc est, à verbis in rem ipsam, & actionem, in verbera, cædes, expulsiones, proscriptiones, bonorum direptiones, erumpens. Igitur non satis est inuido quòd seipsum excruciet, nisi alios, calamitatibus, & pressuris, quibus inuidet, inuoluat, ne ipse solus perijsse videatur, præsertim, si habeat adiunctam sibi sororem, superbiam, & fastum. De Adriano Imperatore legitur, tanta fuisse inuidia, vt celeberrimum quemq; artificem, quem æquare non posset, vel subuerteret, vel interficeret, erat namq; studij eius, vt in quauis disciplina præcedere omnes mirè affectaret. Simile quid de Tyberio Cæsare narratur, qui architectum quòd maximam porticum in latus ita procumbentem, vt ruinam minaretur, ingenij sagacitate mira, in integrum restituisset, admiratus est inquit Dion, quo nomine illum pecunia donatum, vrbe eiecit. Cùm autem accessisset supplex, ac quo procliuius fieret compos veniæ, & de industria vitreum allisisset poculum, & infractum illæsumq; ostendisset, etiam interfecit. Traxerunt id vitij omnes, à primo suo parente Caim, qui inuidiam cæde fraterna finiuit, vel potius à Diabolo, cuius inuidia mors intrauit in orbem, vt supra dictum est. Sed maximè omnium traxerunt Hæretici, quorum inuidia in Patres Soc. IESV, *eò vsq; processit, vt non contenti famam,*

mam, & existimationem illorum lacerare, & proscindere, verùm exterminatorem diabolum secuti, eosdem penitus sublatos, sed prius varijs generum supplicijs excarnificatos, interire cupiant. Sumamus initium ab Anglia in quo regno mirabiles religionum fluxus, & refluxus, ab Henrici octaui à Catholica fide discessione, ob improbatum à summo Pontifice execrabile illud & incestuosum sub legitimi matrimonij pallio prætensum coniugium, subsecuti sunt, vel potius soluta omni Ecclesiastica disciplina, eiusq; censuris spretis, ac contemptis, eò vsq; progressum, vt non bonis Ecclesiasticis personisq; eò pertinentibus, sed neq; Comitibus, Baronibus, maximæq; nobilitatis parti, quæ à parte Catholicorum steterat parcitum sit, imò potius sæuitum, & apertis cædibus grassatum, sine vllo delectu in quosuis, qui prophanum illud Ecclesiæ Anglicanæ caput detestari, & execrari conuincebantur. Hinc ille vehemens in Roffensem Episcopum, & Thomam Morum clarissimos, & doctissimos viros furor impij regis exarserat, qui non nisi eorundem sanguine restingui potuit, & ne sic quidem restinctus erat; sed tot Carthusias, tot Monasteria variorum ordinum peruagatus, nisi morte impij regis maturè resedisset, de toto Catholicismo fuisset actum. Tum ego. Quid hoc ad Iesuitas pertineat, qui nondum orbi innotuerant, non video Cochleui? quis enim tam vecors est, vt his inuideat, qui nusquam sunt? magis dixerim illas cædes Henricianas, ex damnata libidine ortas, auaritiæ fomentis, tanquam igni suppositítijs lignis, flammas vehementiores concepisse, & obuios quosq;, quorum opibus inhiabatur corripuisse.

iſſe. Verùm id quidem eſt, reſpondit ille: ſed te oportuit meminiſſe illius dicti, ſolam miſeriam inuidia carere, nec Irum Iro inuidere ſolere, proxima quidem eſt libidini auaritia, nam libidinoſiſſimos quoſlibet Imperatores, etiam auariſſimos prodiderunt Hiſtoriographi, ſed vt plurimum, ex inuidia ortum habere, perſpicuum eſt, cùm inuidus alterius rebus macreſcat opimis. Quis verò non videat opes Eccleſiaſticas, ita inuidiæ obnoxias eſſe, vt non minus ab Hæreticis; quam à pleriſq; nominetenus Catholicis appetantur? Hinc ad rapinas, hinc ad inuaſiones bonorum, hinc ad cædes, adeo procliuis via eſt, vt impius miles quæ cuiq; obuenturæ ſint Eccleſiaſticæ poſſeſſiones, ſortiri non vereatur, ita vt non minus inuidia inter ipſos certetur, quàm ſi de aris, & focis pugnandum ſit. Sed ne à propoſito deſciuiſſe videamur, non minoris momenti ad cædes, & barbaras perſecutiones, miniſtrorum inuidiam fuiſſe exiſtimandum eſt, quam regum, & principum impiorum auaritiam. Hi enim iiſdem incentoribus vſi, arrepta ex quauis cauſa occaſione, non æqua proportione, cùm miniſtris prædam partiuntur, quibus ſatis, eſt aliquam offulam in os inieciſſe, reliqua in fiſcum tanquam in voraginem inexplebilem immergunt, eandemq; prædandi licentiam etiam ad poſteros tranſmittunt. Interuenit quandoq; & in his, viciſſitudo quędam, vt quod per vim, & inuidiam ereptum erat, per pietatem, & iuſtitiæ regulam reſtitutum eſſe, quandoq; videamus. Maria enim regina, filia Henrici octaui, ex matrimonio legitimo ſuſcepta, non ſolùm bona Eccleſiaſtica poſſeſſoribus ſuis reſtituiſſe legitur, verùm &

Catholicam religionem, variè spiritu vertiginis circumactam, & exagitatam, ac penè extinctam, iterum excitauisse, & summo conatu propagauisse, scribitur, vt si diuturnior vita ipsi contigisset, Angliam nunc florentem, & Catholica pietate redundantem, conspiceremus: sed ipsa è viuis sublata, denuo hæreses sopitæ cæperunt caput attollere Gorgoneum, & collectis, ac deriuatis ex Puritanorum Anglocaluinistarum, familiæ Amoris Baronistææ Cartouitorum lacunis, aquis turbidioribus, iterum per distractos fluxêre riuos, qui totam Angliam, non solum varijs infecerunt hæresibus, sed ita animos omnium in Catholicorum perniciem, exacuerunt, vt tota sanguine Orthodoxorum, præsertim Iesuitarum, imbuta, & madefacta esse videatur. Nullibi nunc martyrum feracior tellus, nullibi officina carnificinæ, ad laureas martyribus debitas, consequendas, expeditior, nullibi frequentiora in Catholicos iacta opprobria, vociferationes, irrisiones, acerba, & virulenta conuitia, amarissimi sales, frementium strepitus exaudiuntur. Nusquam ad spectaculum magis horrendum, vel ipsis Turcis, aut Tartaris detestandum, alacriùs concurritur, quàm cùm producuntur sacri Sacerdotes, vt strangulentur, & dilanientur; hos domo in qua sacris eos operari contigerat, ita vt vestiti ad altare steterunt, productos, & per plateas, & villas, primùm circumactos, tandem patibulis affigunt, & membratim dissectos, (ô rem horrendam aspectu, & narratu truculentam) publicè omnium oculis spectandos exhibent, talemquè ministris incentoribus, improbi magistratuum ministri, lanienam exercent, vt non barbari Ethnici, ad eun-

eundem modum in Christi Martyres desæuisse legantur. Quæ carnificinæ, etiamsi ex Henrici Octaui posteaquam ab obedientia Summi Pontificis ob negatum cum legitima coniuge diuortium se subduxit, malesano ausu, originem traxêre, tamen sub regimine muliebri, & Ecclesiæ Anglicanæ insano capite ita excreuêre, vt cædium, & proscriptionum, numerus nec iniri possit, nec aliquo fine terminari. Extat horum omnium Martyrum ingens Catalogus Ingolstadij editus, in quo multi recensentur Episcopi, Prælati, Canonici, Presbyteri, Doctores, Illustres Barones, Comites, Consiliarij, Equites, Nobiles, vt plebem promiscuam præteream, qui non solùm bonorum amplissimorum verum, & libertatis (carceribus arctissimis inclusi) insuper & vitæ iacturam sustinuêre. Sed in nullum ordinem maiora concepta odia, in nullum acerbioribus animis grassatum, quàm in Societatem Iesu, solo odio, et inuidia stridente, cum nihil omnino ex bonis Ecclesiasticis restaret, quod non antea auaritia abliguriuisset. Exacurat Edmundus Campianus eruditissimus, et inuictus Christi Martyr, editis propositionibus, Oxoniensium in se odia, qui cum vidissent, in dissoluendis illis, frustraneos conatus suos futuros, nouo disputandi genere vsi, vinculis, et catenis constrictum, medijs propositionum destituti, nihilominus conclusionem subintulerunt, tortoribus, et carnificibus vsitatam; et quis enumeret reliquos ex eadem Societate sacerdotes sacratos? vel eorum in Collegio Anglicano, qui Romæ instituebantur, alumnos, sub impurissima meretricè, ex adulterio incestuoso prognata,

Anno 1544.

stran-

strangulatos, exenteratos, elixos, per aëra raptatos? pleni sunt libri virorum insignium, in quibus legendis, tantus animi dolor interdum oboritur, vt nisi ad palmas, & coronas perennes Martyrum ad quas compendiosa morte inuitabantur, animum reflexeris, vita potius excedere cupias, quam tantæ barbariei, & feritatis, non modò spectator, verùm & auditor esse velis. Tum Cichocius.

CAPVT IIII.

Iacobi VI. Angliæ, & Scotiæ regis, rancor in Pontificem, & Bellarminum Cardinalem, primum ex inuidia ortus, Tum an Bellarminus cum rege componi possit.

VEra quidem hæc sunt omnia, quæ à te dicta sunt Cochleui, interloquar tamen & ego, & sermonem ad recentiora, & nobis magis propinqua restringam, & fortasse muliebri leuitati, & consilio instabili, aliquid condonandum quis existimauerit. Hæc enim cùm esset Annæ Bolenæ filia (quam rex ob adulterium, idq; cum fratre germano incæstuosum, capite truncari iusserat) verita ne si pro capite Romanum Pontificem agnosceret, se illegitimè natam fateri cogeretur (si quidem summus Pontifex matrem eius, non fuisse legitimè regi nuptam, iam pridem declarauerat) maluit sedi Apostolicæ vt quidam ait, repudij libellum dare, quàm breui perituro honori suo, quidquam detrahere. At illud valdè admirandum Iacobum regem Catholica, &

ca, & sanctissima natum parente, virum maturum, qui & modestus, & eruditus videri cupiat, tanto furore contra Pontificem, contra Catholicam religionem, quantum nec Neronem, nec Diocletianum, in infideles exercuisse credendum est. Fortè perstrinxerat regis oculos inuidia Pontificiæ maiestatis, cùm videret reges Hispaniarum, Francorum, Polonorum, Germaniæ, Italiæ, Principes, Respublicas, vtpote Venetam, Lucensem, Genuensem, per legatos, ad pedes Pontificis prouolui, eidem se obedientes fore polliceri: & non minùs quàm Beato Petro Apostolorum principi, eiusq; successoribus, id officij genus exhibere, quos ille sua, à iuramento fidelitatis, Apologia, retrahere irrito conatu volebat, vel timebat; ne rex illegitimus ab eo declararetur, qui ipso inuito Angliam, & Hyberniam, iure feudi ipsi subiectam, nullo iure, occupasset. Non enim poterat ignorare, totius regni Angliæ, & Hyberniæ, à Ioanne rege Angliæ, de consensu Baronum, in manus Innocentij tertij Pontificis, Anno Domini 1213. *resignationem factam esse, permisso regi tanquam secundario dominatu, tributo quoq; imposito. Videatur Polydorus, Guilelmus Neubrugensis, Nicolaus Sanderus, de Schismatè Anglicano ad Annum* 1542. *& literæ Apostolicæ Ioannis vigesimi secundi, ad Edouardum secundum datæ, quòd idem Bellarminus in sua Apologia aduersus regem annotauit. Fortè & inuidet Illustrissimo Cardinali Bellarmino, quod inter purpuratos patres non postremum occupet locum, ne fulgori regio occurrat, néue æquali maiestate, cum eo possit ad certamen componi. At cæca non videt inuidia,*

Lib: 3. Cap: 9. Lib: 4. Hist: Angli: & li: 13.

eos qui doctrina & eruditione excellunt, non solùm regibus imperitioribus comparandos, verùm & anteponendos esse: præsertim cùm non de dignitate, sed de paritate industriæ & eruditionis, controuersia inducitur. Sed pro se satis videtur respondisse Bellarminus, in Apologia contra triplicem regis cuneum, triplici modo impactum: non tamen id prætermittendum videtur, quòd me legisse memini, in nuper edita Exetasi Bartholomæi Pacenij, Iurisconsulti Montensis, qui non concedit Iacobi regium genus Bellarmini generi præstare, cum huius nobilitatum est, Marcelli secundi auunculi sui, summo Pontificatu cuius fuerat ex sorore nepos: nec suę nobilitati quidquam detractum putat, quòd parentes eius fuerint priuati; tamen nobilitate clara orti: insuper boni Christiani, & Catholici, regis autem pater & auus, vt obscuri, ita propter hæresim apud Christianos infames, & in inferno cum scelerato Iuliano Apostata sepulti. Vnde autem tenebricoso capiti fulgor iste illapsus est? & tanta inter sicarios & boias maiestatis reuerentia? cuius solium in medio carnificum astantium, sublimius quidem; sed tantò execrabilius, quantò crudelior censetur is, qui imperat, quàm qui iussa exequitur. Si verò de isto fulgore aliquid ominandum est, puto ex aliqua vnctione, qua in vngebantur reges, profectum; nam idem ipse rex reginam Elizabetham molestè fert carpi à nonnullis, eò quòd nefas sit vnctæ domini maledixisse. At hæc si dijs placet inuncta, talis est, qua nunquam antetulit Christianus orbis scelestiorem, quæ cùm sororis suæ filia esset, impudentissimum scortum, post tot fornicationes, & nescio

quos

quos notorios partus, vt idem Pacenius refert, pro virgine se ostentabat, patrisq; sui exemplo, si modò pater ille fuerit, pro titulo supremi capitis, in Anglicana Ecclesia, infinitum Christianum sanguinem fudit, Deiq; Ecclesiam persecuta est, de qua proinde, vt de Diocletiano pronunciare, omni culpa caret, non tamen rex concedit culpa carere eos, qui in eam acerbius inuehuntur, ob solam inunctionem: quod si vnctio fulgorem capiti inducit, mirum est, si ex sutoria vnctura tantum splendoris accrescat, quæ potius maculat, quàm sanctificat: nam scimus hæc potius fuligine, quam fulgore conspersa capita, omnem vnctionem qua in Ecclesia Reges vngi solent, contemnere & irridere solere. At fortasse ex cruce coronæ superimposita, hunc fulgorem emanare, vel ex altera quæ fronti imminet, aliquis dixerit. At rex fastidit crucem, & crucis tanquam superstitiosum cultum execratur; nisi se potius velit Lutheranæ, tanquam reformaturis perfidiæ, quæ crucem & imagines reliquas nondum fastidit defensorem vocari; quin hortante Pacenio, remoueat vtramq; ex diademate crucem, ne Anglocaluinistis & Puritanis stomachum moueat: & ne mutila videatur corona, crucibus demptis poterit in locum superioris substituere securim, qua matrem suam carnificis manu capite truncari permisit; tametsi non desint, qui necessitate coactum, ne regno Anglicano excideret, cùm consensus in necem matris ab eo extorqueretur, id cùm permisisse dicant.

CAPVT V.

Stuartorum, apud Scotos familia, quæ & qualis: & de coniuratione contra Iacobum VI. facta.

SED esto, subintuli ego sit sanè Henrici Stuarti filius, & Iacobi nepos iste, quorum dum neuter in religione Catholica voluit esse, vitam simul cum religione vterq; amisit, non tamen Stuartorum genus in familiam regum insertum, fulgore isto, ita omnium oculos perstringit: vt se cum Bellarmino componi molestè ferat, & despectui habeat, amplissimum per totum orbem Cardinalium Collegium. At ego facilè probauerim, si modò excipiatur Maria Stuartea huius, qui nunc rerum petitur mater, lectissima, & in album Martyrum referenda, illam totam familiam Stuartitiam, nullum ferme egregium, nullum regio culmine dignum, protulisse virum. Primus quidem ex eo genere Robortus Stuart, Dauidis Regis ex sorore nepos, regnum arripuit, & ad Robortum tertium filium transmisit. Sed cum Iacobum filium in Angliam securitatis causa misisset, & ab Anglis retineretur, mærore obijt, qui tandem dimissus, Iacobum primum filium, regni successorem reliquit, à quo reliqui sex reges eo nomine vti cæpere, præter Henricum Sexti patrem. Sed & ille primus à coniuratis cæsus: item filius eius secundus, procerum factionibus miserè exagitatus, bombardæ ruptura extinctus, & tertius secundi filius à coniuratis occisus, Iacobum quartum filium accepit successorem, de quo Iouius sic habet, Iacobus Scotorum rex Lib: II. Hist. *violato fæderè: Angliam inuadens, quarto Idus Septem-*

bris

bris Anno Domini 1513. ab Anglis interfectus, occubuit: eius cadauer Boruicum delatum, diu sepultura caruit, nam ab Anglis, quòd Schismaticus fuisset; sancto funeris sepulchriq; bonore indignus putabatur. Adnotabant pleriq; infelici potius fato Stuartæ familiæ, quàm suo cecidisse, quòd pater, auus, & proauus, eodem potiti regno; atque idem sortiti nomen, ante diem ferro perempti, mortem oppetijssent: Sed *hunc tanquam ad meritam pœnam raptum, nemo defleuit, quòd ipso pugnante, pater in aduersa acie, ad parricidij notam fuerit interfectus. Hæc Iouius: Iacobus quintus, is erat Mariæ pater; quam Francisco regi Galliarum in matrimonium collocauit, quo extincto, ad eandem ius regni deuolutum, cùm esset vidua; Henrico Matthæi Stuart Comitis Lenosensis filio, nupsit, Iacobus enim regius frater, quoniam non erat legitimo thoro natus, regno excidit; ad Iacobum verò sextum Henrici filium, non per directam lineam, cùm non regis, sed tantùm Comitis filius diceretur, regnum delapsum est, an ad posteros suos idem sit transmissurus, incertum. Certum est autem, adhuc puero illi à Iacobo Stuart quinti filio, sed notho & illegitimo, structas fuisse insidias, reginamq; sororem à se, cùm à rebellibus prorex Scotiæ renunciatus fuisset, in arce Bortuicensi captam, in custodiam castri, quod est in lacu Lauina deportatam, asseruari iussisse: inde exigua scapha elapsa Halmitoniũ incolumis peruenit; ad quam cùm frequens populus conuenisset, prorex conuocatis vndiq; rebellium copijs, eò peruenit; promiscuam plebem aggressus, fudit, & totam nobilitatem, quæ à regina stabat, partim cecidit, partim*

in fugam coniecit. Regina verò cùm in Angliam profugisset, bono animo ab Elizabetha esse iussa, iniquissimum vitæ suæ exitum ibidem reperit. Sed & Iacobus nothus, proceribus & pleræq; nobilitati exosus, ab Hamiltonio Gordonij & Argateliæ Comite occisus, dignas sceleris sui pœnas dedit. Fuit is in iuuentute sancti Andreæ Prior, siue Abbas designatus, sed post turpissimus apostata effectus, & immanis proditor, crudelisq; tyrannus, præceps in infernum detrusus est. Hic igitur tantus, & tam fulgidus magnæ Britaniæ rex, si dijs placet, eat & glorietur se, Stuarto genere ortum, cui parricidialibus armis inter se concurrere non erat insuetum, & ipse parricida impius, qui regnum parricidio acquisitum, plusquam parricidialibus tuetur & propagat lanienis, cùm patres innocuos & pios sacerdotes, quos reuereri debebat, raptos in equuleum, varijs cruciatibus enecat, ob solam fidei Catholicæ Romanæ professionem, quam cum summo odio prosequatur, iuramenta talia à subditis extorquet, quæ nihil aliud sunt; quàm fidei auitæ & Catholicæ abnegationes, execrationes, & detestationes; & non solùm aperta cæde, verùm & compositis ad eam abiurandam artibus ita vtitur, vt non nisi tetro spiritu ad eas exercendas, vt eò facilius prodantur Catholici, afflatus esse videatur. Quare desinat serenissimos ac potentissimos Christiani orbis, Monarchas, reges, illustrissimosq; principes, fratres, consanguineos, affines, & amicos vocare, eosq; ad similem perfidiam inuitare ac sollicitare. Nec autem Franciæ se regem vocare, cùm ea suo proprio rege [illegible]etur. Vereatur autem ne in simile Stuar-

torum

torum fatum impingat; à quo non longè iam abfuerat; nisi præpotens Deus, Catholicorum suorum tantæ tyrannidis, ac cruenti dominatus pertæsos, & exulceratos animos conatus detectis subitò consilijs, irritos effecisset. Nam & si rex prouidentiæ diuinæ, & circa salutem suam curæ id adscribat; quòd res ad effectum non fuerit perducta: tamen multò magis agnoscimus circa coniuratorum salutem, æternam prouidentiam eius versatam esse, ne scilicet optimi & Catholici viri, manus suas nefario & impio sanguine contaminarent, sed eas suo potius sanguine resspersas, puriores cælo inferrent. Nam vt prædictus Pacenius annotauit; coniuratio hæc paucorum fuit, tamen nulli Catholicorum probata est, à doctrina enim alienissimum hoc genus conatum est, nec doctrinæ tribui debet. Si quid verò humani passi sunt, non admodum mirum videri debet; præsertim cùm ob oculos illis versaretur diuturna illa tyrannis & persecutio propter Christianam antiquissimam religionem, tum leges iniquissimæ, quibus, sacerdotibus doctrinam & Sacramenta Ecclesiæ administrantibus, horribilis laniena decernebatur: in alios verò bonorum confiscationes, exilia, carceres, cruciatus, tum quòd etiam in dictis comitijs coquebatur, fortè subolfecerunt: præter alia etiam regis personam suspectam habuêre, num ille reginæ Mariæ ementitus foret filius. Sed quòd Catholicis ea res non fuccesserit, rectè id factum esse nemo Catholicorum dubitat, fortè Puritanis huius fabulæ Catastrophem reseruatam esse, Deus ipse nouit. Nam quòd gloriatur se extra aleam positum esse, & securitate gaudere, stulti regis hæc est iactantia

ctantia; quasi Dei consilia habeat iam explorata, & perspecta; certe Ezechia, & Iosia pijs regibus non est melior, neq; securior. Sed quid hoc est extra aleam positum esse? vtrum nulli potestati subiacere, tantò minus ipsius Papæ? quasi vero si quis aberrat, nec reduci à pastore vult; iam se legibus sui pastoris non teneri arbitretur? vt, si à lupo deuoretur; tantùm sibi, & non etiam pastori dispendium creet. Ouem autem se ouilis Christi, & pastoris supremi in terris fuisse negare non potest. Etenim, à quonam alio Antistite Baptismo initiatus, & vnctus est, nisi à Catholico? Non enim aliter permissura fuisset mater, nisi forte non eum se fuisse credat, quem enixa est Maria Stuarta Scotiæ Regina. Vel igitur non neget ad Ecclesiam Romanam se pertinuisse, & summo Pontifici subiacere, vel si negauerit, se Caluiniana nescio qua matre prognatum, & Caluiniano patre satum, fateatur necesse est. Quid igitur mirum est quòd in necem Mariæ Stuardæ consenserit, quam matrem suam non fuisse, fortè subolfecerat? Pietas enim ipsa & viscera interna, prætulissent salutem matris, regno ipsi Anglicano, vel centum eiusmodi regnis. Non temerè igitur in Burdochæi iocos illum exarsisse credendum est, qui cum regem festino ioco oblectare vellet; dixissetq; matrem eum occidisse, adustione in os impressa, hominis mendacium repressit: non enim putabat posse id in se quadrare, qui non matrem suam, sed Mariam Stuartam assensu suo, vita priuâsset. Quanquam nuper mihi relatum est hanc ipsam Mariam in quiete regi apparuisse, & ab ipsa increpitum, quod Catholicos persequeretur, ni-

siq;

siq; resipisceret, magnum ipsi impendere malum denunciâsse: qua visione ita fertur esse consternatus, vt congressus frequentiores vitare inciperet, & quasi inops animi foret, varias volueret mente cogitationes. Hinc colligo decipi illos, qui non ex Maria Stuarta genitum hunc esse putant, quæ pietate erga filium mota, saluum esse cupiat, si modò obiurgationes sanas, non contemnendas sibi existimauerit.

CAPVT VI.

Religio Iacobi, simulata, & tecta, Neroni, vel Constantino Arriano Imperatori similior, Politicorum ingenium quale.

NON *tenuit ampliùs silentium Cochleuius, & quasi stomachabundus in hæc prorupit verba: Certè Cicboci, non paruum boc tuo discursu accersis tibi malum: Nam & si remotior locus, te, istum Phalaridem Anglicanum nihil metuere sinat, ne te in periculum par carnificinæ ipsi peculiaris, & adnatæ coniiciat, tamen tibi verendum est, ne etiam à polyticis nostratibus, (vt non commemorem Hæreticos tibi semper infestissimos) qui nihil minùs quàm religionem curant, exagiteris. Vociferabuntur, te non solùm in Hæreticos qui duriùs in Anatomia tractari se à te conquesti sunt, verumetiam in reges, & in principes calamum strinxisse acriorem, quàm tuæ professioni conueniat, præsertim cùm ipse Anglus rex in fronte triplicis cunei sui, fidei veræ Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ, veterisq; ac pri-*

mitiuæ Ecclesiæ, tot Episcoporum, aliorumq; fidelium, Martyrij gloria coronatorum, propagatorem, & defensorem se vocat, tum admittit omnes patres, qui à Christo integris 400. vel etiam quingentis annis floruêre imò quatuor illa prima generalia Concilia amplecti se profitetur. Vis ampliùs? Ecclesiæ Hierarchiam se agnoscere, non negat; vt sicut Petrum Apostolorum principem; ita Romanum Episcopum inter Patriarchas, & Episcopos principem locum habere, confiteri non vereatur. Deinde spondet quoties religionis illius quam profitetur vllum caput exhibebitur non antiquum Catholicum, & Apostolicum; sed nouitium esse, ac recens, statim se ab eo discessurum. Deinde se nullum fidei dogma, quod quidem ad fidem est necessarium amplecti recusaturum, dicit quòd tota Ecclesia Catholica, iam inde ab Apostolorum temporibus sine intermissione multis totiq; seculis constanter docuerit, ac crediderit. Certè si vera hæc sunt, & ex animo dicta, non video an excusari possis, quòd in ipsum tam vehementer incurras, vt neq; doctrinæ ipsius, qua insigniter excultus esse scribitur, quidquam tribuas, neq; tam sublimi generi, pepercisse videare. Hîc ego contraxi vultum, & fere attonitus hæsi aliquantulum. Ille verò subridens, hem vide quàm repente te perculsum reddiderim, quod si in Angliam vt Storæus rapereris, & videres expediri rotas, catastas, secures, cultros, laqueos, succensum ignem, toto animo consternatus fortaße te aliquando hæc dixiße nolles. Bona verba inquam Cochleui, adeòne me abiecto animo esse existimas; vt non hæc potiùs mihi euenire exoptem, quàm his terrear? ad quæ tanta alacritate;

tantò

tanto animarum iuuandarum & in fide Catholica retinendarum studio: tum à patribus Soc. IESV, *tum ab eorum qui in seminarijs Anglicanis versantur alumnis, conuolatur, & accurritur; Videres nobilissimos iuuenes, eruditione, & pietate præstantes, in ipso ætatis flore; ad carceres, ad equuleos rapi, laniari, discerpi: nihilominus certatim tanquam ad propositas palmas, & coronas, summa celeritate ferri. Me verò, qui tempore Stephani regis, in omnibus eius contra Moscum expeditionibus, in castris sum versatus, tam imbecilli pectore esse putas, vt non libenter senilem hunc sanguinem, quem sexagesimus sextus coquit annus, pro asserenda fide Catholica profundere; si Domino Deo, sine cuius ope, & voluntate spiritus, & vires, languescunt, id visum esset erubescerem? Nec enim cuilibet ad tam præclaras consequendas coronas aditus patet; tantò minus mihi; qui demeritorum meorum erga numen diuinum, mihi conscius sum. Non metuo tamen tanti regis minas, & terrores, ad cuius iurisdictionem non pertineo, neq; rex mihi vnquam ille erit; qui vnguentum fætidum olet: neq; inter reges, & principes Christianos numerandus, qui summi Pontificis benedictiones, & consecrationes, flocci facit; illasq; respuit, quin potius Hæreticus, Apostata, Tyrannus, omni execratione dignus, non solùm apud me, veriùm & apud omnes probos Catholicos habebitur. Quòd verò infers meam professionem non admodum decere, in regum, & principum vitijs carpendis versari, vel in eorum inquirere incunabula, quasi verò id nouum sit, & à sacerdotum officio alienum, impios reges, ac ex fotis hæ-*

resibus infames, acerbius obiurgare. An non idem facère Prophetæ, viri diuino spiritu afflati. An non S. Hilarius, Constantinum Imperatorem Arrianum in libro qui incipit Tempus loquendi, erubescit vocare persecutorem fallentem, hosti blandientem, Antichristum, Tyrannum, cui proclamat se idem dicturum quòd Neroni, quòd Decio, quòd Maximiano dicturus fuisset; obijcit quòd Christianum se mentiatur esse, quòd condat fidem, contra fidem viuens, prophanum, indoctum, sacerdotes in custodias mandantem, exercitus ad terrorem Ecclesiæ disponentem. Ad extremum exclamat; scelestissimè mortalium, omnia persecutionis mala, ita temperas, vt excludas in peccato veniam, & in confessione Martyrium. Et infra, ô tu sceleste, quòd ludibrium de Ecclesia facis, soli canes ad vomitum suum redeunt, tu sacerdotes Christi resorbere ea, quæ expuerunt, coegisti. Certè mutato nomine hæc quæ dicta sunt, nonne huic de quo agimus regi aptissimè conueniunt; non ibis credo inficias, excepto Arriani titulo: sed nec ab eo longè abesse videtur; si Caluinum pro magistro, & præceptore agnoscit suo. Nam quibus argumentis certat contra Gentilem, proculdubio pro Arrianis quam contra Gentilem magis facere videtur. Si enim pater κατα ὑπεροχὴν solus dicendus est Deus; ergo filium eo longè inferiorem esse, fateatur necesse erit, tum & illud quòd affirmare videtur Patrem non necessariò; sed quòd ita voluerit genuisse filium, poterat igitur non genuisse nisi voluisset, & hoc est verè Arrianam perfidiam tueri. Hinc enim infertur nulla ratione æqualem potuisse esse filium patri, qui necessa-

ria

riò semper est: filium verò, nisi voluisset pater; nunquam futurum fuisse. Sed non est hic controuertendarum quæstionum, verùm alloquiorum institutum; en præ manibus est liber controuersiarum Bellarmini, inspiciat qui voluerit, & hinc colliget; istos Anglocaluinistas, ferè vtrumq; pedem in Arrianismo fixisse, & ad eandem metam properare. Secundò obijcit, S. Hilarius Constantino, eum esse persecutorem fallentem; vultis videre hunc Anglicanum eundem esse, modò ne me interturbetis loquentem, non solùm autem cædibus, & carnificinis grassatur in Catholicos; sed formam iuramenti talem obtrudit miseris, vt cùm dicat polyticæ tantum obedientiæ, illud esse testimonium, astuto compendio illaqueet; quotquot in regno reperit Catholicos, & sub prætextu obedientiæ, & iuramenti, omnem Catholicismum vt abiurent, efficere conetur. Finis enim eiusmodi iuramenti est, vt detegantur, & prodantur Papistæ, vt ex inscriptione patet, & non contentus eripuisse illis fidem, & animas in orcum detrusisse, etiam tanquam proditores, & læsæ maiestatis reos, spoliat, & trucidat, vel intra retia perfidiæ suæ concludit, quasi verò ignoret eiusmodi iuramenta irrita, & inania esse, quæ non magis quoslibet in conscientia ligent, quam aranei filum, tametsi præstaret millies mortem oppetere, quam talis iuramenti formam conceptam, vel solo ore proferre. Demum hostem blandientem, tum esse quis negauerit? præsertim in Inscriptione præfationis ter obtusi cunei sui, cùm blanditur rex, Imperatori, Regibus, Principibus, quos Sacratissimos, Serenissimos, Illustrissimos Christiani orbis, Monar-

chas, fratres, consanguineos, affines, fœderatos, amicos, charissimos vocat. Videtis blandientem vulpem, nam quos se tam insignibus titulis ornare simulat, eos magna afficit ignominia, cùm vult omnes expergisci, & somnum diuturniorem incidere, vt à ruina, quæ illis à Pontifice imminet, præseruentur. Igitur solus rex Anglorum vigilat, solus sapit, cæteri dormiunt, & desipiunt, & vt quidem ait velut vmbra feruntur? si verò sunt potentissimi Christiani orbis principes, vt sunt; cur eos tam imbecilles pronunciat, vt non possint authoritatis suæ neruos integros seruare? nisi authoritatis Pontificiæ neruos præcidant? Abeat quò velit, cum istis verbis phaleratis impostor iste, nisi se demum risui apud reges, & principes exponere cupiat, vident profectò reges, & principes, nihil sibi periculi imminere, à Papa, qui nihil regibus derogat, sed tantùm ius suum spiritua le prosequitur, quin potiùs cauendum sibi existimant à secre tarijs omnibus, quibus in regnis, & dominijs suis nihil experiuntur infestiùs esse, qui tantas illis clades intulerunt, quibus nullæ aliæ persecutiones, quamuis grauissimæ, comparari possunt: & eo audaciæ processerunt, vt & ipsis regibus leges præscribant, imò aduersus eosdem, turbas populares concitant, atq; vitæ illorum insidias struunt. Abhorrent procul dubio pij principes, & à quibusdam impijs prædecessoribus suis, ad quorum imitandam impietatem putat se mollibus persuasionibus rex Angloscotus omnes reges, & principes quicunq; adhuc nomine Catholico censentur, reuocatum. Quid hoc est aliud quam iudicare eos adeò stupidos, & bebetes esse? vt non nisi à Scoto admoneantur, omnino

ninọ

nino actum de se esse putent. En verò prodit Antichristus verus, qui in imperia, et regna potestatem persuadendi se habere putat, quasi solus in templo Dei sedeat, cæteris omnino rerum diuinarum, et humanarum ignaris. En impius Tyrannus, Neroni, Diocletiano, et Maximiano, persimilis quòd idem ipsi S. Hilarius dicturus fuisset, quod se illis dicturum proclamabat. At verò illud maximè S. Hilario intolerabile visum est, quòd Constantinus ille se Christianum mentiebatur esse, fidem contra fidem condens, cùm esset indoctus, et prophanus. Ecce et iste quàm splendidos titulos sibi vsurpat, cum se Catholicæ fidei Apostolicæ, primitiuæ, non solum professorem verum, et defensorem iactet, et in his omnibus asserendis egregiè mentiatur. Videat qui voluerit Apologiam siue responsum ad triplicem Cuneum Cardinalis Bellarmini, ἐξέτασιν *id est inquisitionē Bartholomæi Pacenij, profectò vel risum, vel dolorem non tam facilè continebit lector, cùm videbit ex maleferiato regis cerebro, libidinem quiduis dicendi profluxisse: vt coram toto orbe eandem celare non potuerit. Pueris potiùs persuadeat sè Catholicæ Apostolicæ, primitiuæ Ecclesiæ sectatorem esse, à qua tantùm abest, vt nihil cum ipsa commune habere videatur: ab vtroq; satis euidenter refutatum totum id est, et imposturæ omnes detectæ. Illud verò prætermittere nequeo, quòd iactet se consensui patrum quatuor primorum seculorum assentiri, et tantam illis exhibere venerationem, vt nec Iesuitæ parem vnquam detulerint. Attollitte si libet cachinnos, rex Caluinianus etiam superat in euoluendis patribus, ipsos Iesuitas, et eis tantum honorem defert, vt no-*

vt nolit ab eorum consensu discedere; & statim subnectit exceptiunculam: Dicit enim in patrum scriptis, se id seruare, quòd authoritati scripturarum conuenit, pace tamen illorum respuere, nec recipere posse illa, quæ sibi non videntur scripturæ esse consentanea. O magnum, et egregium Doctorem, Magnæ Britanniæ regem, Spiritus S. interpretem eximium, qui tantundem tribuit scripturæ, quantum ipsi Mahometo, præsertim si quis probare velit ea, quæ Mahometus docuit, Scripturæ sacræ consentanea esse. At Iesuitæ quæ ex patribus adducunt, non solùm probant, nihil contrarium cum scripturis habere: sed & scripturas, & patres, non secundùm cerebrum Caluiniani regis, sed secundum Analogiam fidei, quæ est in Ecclesia, interpretantur. Nisi rex etiam Iesuitas inter hæreticos connumeret, quasi nupera, & nouitia dogmata promulgent, & non veteris et Catholicæ Ecclesiæ sensum tueantur. Et mirum est regem Iesuitas, cum Puritanis semper connectere, fortè ob eam vnicam causam, quod sicut Iesuitæ pro Anglicanæ Ecclesiæ capite, etiam in spiritualibus regem non agnoscant, ita & Puritani ad eiusmodi prophano capite abhorrere videantur, quamuis Puritani Anarchiam, Iesuitæ verò Monarchiam propugnent, non tamen rex negare poterit, à Bellarmino conuictus, se Puritanum in Scotia *fuisse, nunc ob primatum capitis prophani in Anglia, Puritanum esse desiisse. Quid verò dicet de familia Amoris, de Baronistis, et de cæteris in Anglia vigentibus sectis. Num & Iesuitas cum eisdem commiscebit? An Iesuitæ alienum quid à doctrina Catholicæ religionis afferunt, & profitentur: an*

non

non Pontificiam authoritatem summo conatu propugnant? cur igitur impudenti mendacio, rex à Catholicis eosdem segregat? & Puritanis, vel alijs sectarijs adglutinat? tamen molestè fert se mendacem appellari, à Bellarmino, idq; aliquoties, cùm tamen sciens, & prudens apertissimè mentiatur. Quæ enim mendacia sunt, dicit ille se appellare latinè non posse, nisi mendacia quemadmodum etiam nugas, conuitia, blasphemias, confictas historias, & alia id genus. Ego verò non solùm mendacem cum Bellarmino, verùm & cum S. Hilario scelestissimum mortalium, & scelestè persecutiones, & ludibria in Ecclesiam molientem, vocare non erubesco, & omnium in me insultus non tanti facio, vt à veritate, ob terrores inanes mihi discedendum putem. Nec polyticos, & falsos fratres, qui se Catholicos simulant, metuo, quorum tanta improbitas est, vt cùm non ignorent, quæ perpetiantur ab isto rege Catholici, & sacerdotes, & quantis cædibus in illos desæuiatur; tamen veluti ab omni humano affectu alieni, pluris faciunt putidi, & mox interituri regis existimationem; quàm tot Catholicorum hominum lanienas, & carnificinas. Nec istos videas commoueri, cùm summus Pontifex totius Christianitatis pater, et pastor, inauditis ante hac conuitijs ab hæreticis proscindatur, quem non verentur et Antichristum & hominem peccati, et totius Idololatriæ Architectum, monstrum horrendum, et alijs nominibus infamibus appellare, Episcopos, et Præsules Ecclesiæ, scurras, lurcones, impios, et execrandos dicere; facilè tamen exardescunt; si hæreticus durioribus verbis, vt meritus est, tractetur, digni

et ipsi quos execretur posteritas. Sed valeat tandem hic rex, nec regaliter nec regulariter securibus coronatus, et in inferno nisi resipuerit; candentibus laminis coronandus.

Suidas. *Admonitum tamen velim, vt Leontij Tripolis Lidiæ Episcopi sibi in memoriam reuocet liberrimum illud dictum, Constantio Imperatori Ariano, qui cùm in cætu Episcoporum promulgaret constitutiones Ecclesiasticas, omnibus alijs approbantibus, solus obstinatè tacuit; causam rogatus, ideò se tacere respondit, quia cogitans miraretur apud se, quòd ab ipsius negocijs tantùm suppeteret Imperatori temporis, aliena vt curraret: bella & Rempub. Imperatorem decere, religionem Episcopis committi debere, non igitur iactet rex, se in Theologicis adeò peritum esse; vt & scribere, & ministerij officio fungi possit. Satis est illi negocij; si Rempub. benè administret, in qua gubernanda Bellarminus, cum eo componi non poterit.*

CAPVT VII.

Ex Germania emergentes hæreses, quam cladem Episcopatibus præsertim insignioribus attulerunt, Quædam de Africa, Asia, & aliis.

Mittas iam, inquit Cochleuius, hunc miserum regem, vel hanc saltem deploratam Angliam & Scotiam: totquè hæresum fluxus & refluxus in vtroq; regno, ab Henrico octauo ortos, in tantam rabiem, & tyrannidem excreuisse, mirari desine: Bene enim dixisti has volubiles in religione

religione mutationes, quæ nunc totum orbem Christianum exercent, & concutiunt, à sola inuidia tanquam dolio pertuso prorupisse. Repete illa ipsa Hæreseos incunabula, quotquot erant, vel numerabantur Hæresiarchæ, vel ob negatos honores, vel interceptas primarias sedes, vel ob nefaria crimina, è sedibus proprijs proturbatos, & deiectos se, cùm molestè ferrent, & legitimos siue à Pontificibus Romanis, siue à Concilijs sedibus proprijs restitutos, vel alios substitutos pati non possent, inuidia prauum exacuente ingenium, tot hæreses inuexerunt in orbem, in quibus enumerandis, & antiqui Epiphanij, & recentiores Alphonsi, ac Prateoli, præsertim nouis quotidie succrescentibus, solertiam suam hebetârunt, & nec dum finem earum assecuti esse, vt ne antiquiora repetam tempora, videntur. An non palàm est, huius seculi erumpentes ex tartaro hæreses, per solam inuidiæ portam in nostram Europam quasi composito agmine irrupisse? Lutherum enim quòd condonationes, siue indulgentiarum promulgationes, à suo ordine ad Dominicanum ob spem questus vberioris, translatas esse doluisset, istius tragædiæ cum Ioanne Stanipitio, eius Ordinis generali vicario; primum excitatorem fuisse scimus: hunc secuti pleriq; reges, & principes, cùm viderent Ecclesiæ Christi, & eius Antistitibus amplissimos honores à pijs regib' delatos, eosq; opulentissimis prædijs auctos, quam primùm à pietate maiorum desciuerunt, non poterant æquis oculis intueri, Ordini Ecclesiastico tantam authoritatem, et affluentiam opum Ecclesiasticarum esse comparatam, præsertim cum in profusissimas largitiones polyticas, et luxum, pas-

ſim profunderent ea, quæ ad retinendum ſtatum maioribus ſuis abunde ſufficiebant imò inſuper hinc tot Eccleſiis donationes conferebantur, inde tot erecta, et fundata templa, et monaſteria, tot Noſodochia, et cæteræ piorum operum officinæ excitatæ, vt in ſola Anglia ab Henrico Octauo Apoſtata deteſtando, trecentorum ſeptuaginta ſex monaſteriorum bona, in fiſcum numerarentur redacta; eundem reliqui reges, et principes ſecuti, quos idem furor hæreticus corripuerat, ſtrenuam in inuadendis Eccleſiaſticorum bonis exercuere operam, et Epiſcopatus ampliſſimos inuaſere, præſertim in Germania, adeò vt multos Epiſcopatus hæreditariò iam poſſideant iure, Saxoniæ Duces, Miſnenſem, Merſpurgenſem, Neoburgenſem, Bremenſem, Oſnaburgenſem, ad poſteros tanquam hæreditatem propriam tranſmittunt. Similiter Marchiones Brandeburgenſes, Marieburgenſem, & Segobienſem. Sic Magnopolenſis Dux Pomeraniæ, Kamenenſem, Raciburgenſem, Slednicenſem, quemadmodum & Holſacenſem, Bruſuicenſis Dux, auxit ſuum ducatum Epiſcopatu Hildoſemenſi, & obtinuit pro Iulio filio, & poſteris eius hæreditatis ſucceſſionem, quemadmodum Philippus Sigiſmundus idem fecit in Eccleſia Verdunenſi, quæ habebat dotis nomine 24. inſignia oppida. Hermanus Scambereus occupato Mindenſi Epiſcopatu, ducta vxore filia Iulij Brunſuicenſis, recepta dote, filio eiuſdem Iulij toto ceſſit Epiſcopatu. A Caſimiro Palatino Rheni Epiſcopatus Spirenſis, & Vormatienſis magnas clades perpeſſi ſunt, in Pruſſia Sambienſes, & Pomeranienſes ſublati in Ducis Pruſſiæ poſſeſſionem redacti.

Præ-

Præterea in regnis Daniæ, Noruegiæ, Sueciæ, Hyberniæ, Scotiæ, omnes Episcopatus in prædam prophanorum Hæreticorum obiecti, ita Sanctuaria Dei tanquam humanæ propriæ hæreditates, diuiduntur, & posteris possidenda relinquuntur. Et non solum Duces, & Principes id sibi licere putant, verùm & vrbes, & fex tota mercatorum, & opificum rudiorum. Sed quis ritè enumerauerit, quæ & quantæ iniustitiæ, & iniquitates primùm ex inuidia ortæ, & auaritia inexplebili auctæ, in rapinas, cædes excruciationes, & carnificinas, excreuerint? Quod totum, non dubium est, quin primùm ex schola Lutheri prodierit, qui prætextu cuiusdam pietatis docuerat Ecclesiastica bona scholarum, orphanotrophiorum, hospitalium, virginum egestate pressarum, esse promptuaria. At vbi ea nunc sunt? Principes cuncta hæc occupant, & vel in ærarium quidquid commodi ex illis decerpitur, inferunt, vel milites aut aulicos impios, in hæc intrudunt, plerunq; opificibus, aut cauponibus, ne quid deterius dicam, etiam ipsa templa locant, vel incolenda permittunt. Frequentiùs id à nobis spectatum est, cùm hæreticorum Prouincias peragraremus, quàm vt negari possit. Et cùm impia hæresis tot patrimonia Christi, et Ecclesiæ abliguriuisset, nec haduc satietatem expleuisset suam, tamen et id modium quòd à pijs hominibus Iesuitis, confertur, adeò excruciat inuidorum animos, vt conquiescere non possint, quin vociferentur Iesuitas, ingentibus diuitijs, et opibus abundare, atq; aureas glebas surculis è terra effodere, ac eruere, quibus totum id quo se sustentant ereptum volunt. Atq; vtinam saltem ab illo-

India habent reliquias nonnullorum Christianorum; verùm illas omnes fermè hæresibus infectas, tamen patefacto nouo orbe, & religione Catholica eodem introducta, iam iterum prisca religio Romana altiùs radices diffundere incipit. Sed mittamus illa loca, quæ remotiùs à nobis distant, percurramus propinquiora, & dispiciamus, vtrum alicubi regressus Hæreticismi remissior factus sit, vel progressus concitatior inhibitus. Scimus in Anglia post Edouardum sextum regem, tempore Mariæ Reginæ, Hæreticismum iam profligatum fuisse, & Catholicam religionem restitutam. Sed deinceps succedente Elizabetha illa, & origine impurissima, et monstrosa ex aliquot partubus viragine, iterum opinionum fluctibus tanquam repagulis remotis, obrutam, vix in eminentioribus animis innatâsse. Sed nec Tyrannis Iacobi sexti efficere potuit, vt non plurimi insignes viri, qui sanguine fuso, Catholicæ veritati testimonium insigne dederunt, emergere potuerint.

CAPVT VIII.

In Germania Catholicismi, cum hæresibus collisiones. Ad quæ loca reuecta Catholica fides: per Belgium, & Heluetios, vbi Collegia Patrum Soc. Iesu.

VEniamus verò ad viciniorem nobis Germaniam, perscrutemur num ita ab Hæresibus Catholicismus absorptus sit, vt ne attollere quidem caput permittatur. At in primis

bus Archiepiscopis Hermano, & Gebhardo, qui in hæreses pro lapsi, ex defensoribus, coniurati hostes Catholicismi euasere, non potuit extirpari, imò nec labefactari semel recepta, & tot seculis corroborata, prisca, & Orthodoxa religio. In vicina Vestphalia, præsertim in vrbe Monasteriensi, quæ quondam nidus Anabaptistarum fuerat, ritè peraguntur omnia, quæ in Cathedralibus Ecclesiis, & Catholicis vrbibus peragi solent, patribus Soc. IESV *qui ibidem Collegium habent hæreses strenuè propellentibus. Flandria & Brabantia, Geldria in tot hæreses quondam distracta, & ad extremum Catholicorum excidium frequentioribus Conspirationibus vsa, depositis sub Catholico rege ferocientibus animis, & mansuetioribus recuperatis consilijs, iterum Catholicismum in præcipuis suis vrbibus, & oppidis amplexa hæresum illam sentinam, & malè conciliatam chymæram retrocedere, piumq; Catholicismum liberius progredi iussit, patribus Soc.* IESV *indefessis animis vbiq; aduigilantibus, & causam Dei impigrè promouentibus. Quid? contemnendasné vrbes existimatis? in quibus nunc Catholica religio sedibus suis restituta principatum obtinet, amotis inde hæreticis, Antuerpiam Mechliniam, Gandauum, quod amplitudine dicitur superare Europæ totius vrbes, Bruxellas, Bruges, Louanium, Adonardam, Hipras, Tenaomondam, Viluoldiam, Buscoducum, Groningam, et illud præclarissimum in fidei Catholicæ Constantia exemplum, Nouiomagum Geldriæ vrbem. Preterea Artesii, Hannones, Insulæ, Duacum, Orchiacum, Doesburgum, et cæteræ ciuitates, quarum vna quæq; inter insignes numerari potest:*

præterea Comitatus Namurce, et Ducatus Luceburgensis ac Badensis. In his Prouincijs, et vrbibus disiectis, et dissipatis hæreticorum machinationibus Catholica Romana, & Apostolica religio viget. Reuocatis enim Patribus Soc. IESV, *ex his locis vnde erant ab Hæreticis pulsi, tanto feruore, & studio in propaganda prisca religione desudatur, vt breui sperandum sit, cæteras viciniores vrbes, & prouincias earum pietatem secuturas. Numerantur autem in Belgio, & circumquaq; multa Collegia Soc.* IESV, *in præcipuis fermè vrbibus, vtpote, Antuerpiæ, Atrebati, Audomari, Borg.e, Brugis, Bruxellis, Cameraci, Cortraci, Duaci, Gandaui: præterea Collegia Insulense, Louaniense, Hyprense, Laodiense, Luxeburgense, Tornacense, Traiectense ad Mosam, Valencense, & ceterarum genus. Hollandia, & Zelandia quidem errorum tenebris ita immersæ sunt, vt non minus ab alluuionibus maris, quàm ab inundantibus hæresibus obrutæ esse videantur. Ex Frisia non vsq; adeò professio fidei Catholicæ exturbata est; sed & Helueti quinquepagenses, tam strenuè Catholicos ritus tuentur, vt fusis aliquoties Tigurinorum, & Bernatum, Basiliensium copijs, hæreses ad se nunquam admiserint. Præclaram certè merentur laudem, quinq; illi Heluetici Cantones, nempe Lucernates Vranij Suicenses, Vnterualdij, & Tugiani, qui Cantonibus Heluecticis, viribus & multitudine multò potentioribus, non solum se opposuere, verùm ingentes exercitus illorum, paruo negotio fudere, in quibus prælijs, ille ter execrandus Zuinglius occubuit, preter Quinquepagenses, Friburgum, et Holodurum etiam Catholicam profitentur*

fitentur religionem, Lucernæ, et Friburgi Collegia Societatis IESV, *magno Catholicorum operæpretiò, ibidem fundata. Glaris quidem, et Apenzelum, intermedium, inter Catholicos, et Zuinglianos, permixtos habent Catholicis Zuinglianos, tametsi Apenzelenses Catholici, longe superent numero, et authoritate hæreticos, Constantium vrbs, ex quò cæpit, Austriacam domum agnoscere, cui subiecta est, ob vigilantiam Episcoporum, et patrum Soc.* IESV, *qui ibidem habent Collegium, conatus, hucusq; Catholica est, Argentoratenses vicini cum magna parte Diæcesis Caluinismo quidem tanquam lethargo quodam correpti, in sua vrbe nullos ferunt Catholicos, præter duo Monasteria virginum: sed tamen pars ea Diæcesis quæ Catholico Episcopo paret (nam hæretici habent, si dijs placet suum quoq; Brandeburgensis sanguinis Episcopum) tota ferme Catholica est, in qua Moselmij patres Soc.* IESV *suum quoq; Collegium habent, ibiq; cum magno fructu Catholicæ religionis, versantur.*

CAPVT IX.

Rhenanæ Cathedrales Ecclesiæ, & vrbes, & reliquæ per Germaniam insigniores, quæ Catholicæ, Tum, quæ permixtos hæreticos habeant, Et in quibus locis Collegia Societatis Iesu reperiantur?

ET ne recedamus à Rheno, proxima Argentoranensi, Spirensis Diæcesis, amplissima vrbs, tametsi magna ex parte ex hæreticis constat, Episcopus tamen, & Cathedralis Ecclesiæ Canonici indefesso studio, erecto Collegio Soc. IESV, *& Seminario aduigilant, ne hæreticismus vltra progrediatur; sed potius vt infaustum referat pedem. Nam aliquibus retroactis annis, Ioannes Pistorius summi ingenij eruditionis, & præcipuæ authoritatis vir, dum in euoluendis patrum antiquorum libris persuasione cuiusdam patris è Soc.* IESV *adductus, diligentem adhiberet operam, non solum hæreses abiurauit, sed in ea vrbe magno cum fructu Catholicorum versatur: multoties in disputationibus publicis, ministrorum, præsertim Smidelini mendacia detexit, & confusos domum abire iussit. Hunc secutus Illustris Iacobus Marchio, de Vrlaci Badensis familiæ, Ecclesiæ Catholicæ se aggregare non dubitauit. Quanquam rarum est quòd sciam in Germania principes, & in altiori gradu eminentes viros, ex semel impressis hæresibus, emersisse. Legimus Philippum Badensem, & Lantgrauium Leutibergensem, tum Vlricum de Helfelstin Comitem, magnæ apud principes Imperij authoritatis virum, quondam Augustanæ Confessionis defensorem acerrimum, deprehensis ministrorum antilogijs, & mendacibus calumnijs, non solum ad Romanæ Catholicæ Ecclesiæ gremium, vna cum fratre rediJsse: verumetiam è sua ditione, ministros vxorios profligauisse, sacerdotesq; Catholicos accersiuisse. Nam quemadmodum plerunq; subiecti populi principum suorum instituta alij libenter, alij per vim coacti, sequuntur, ita in retinenda Catholica*

lica fide, maximi momenti est, si princeps à fide semel recepta, non desciscat, vel si desciuerit, vt quamprimum antequam hæresis altius radices agere cœperit se ad eandem recipiat. Videmus enim in ditionibus Archiducum Austriæ, Ducum Bauariæ, Cliuensium, & Badensium principum, & reliquorum non adeò Catholicam religionem periclitari: at sub Ducibus Saxoniæ, Palatini Rheni, Marchionibus Brandeburgensibus, & Brusuiciensibus, & alijs deniq; Angliæ, Scotiæ, Daniæ, regibus, qui quam voluerint confessionem retinent, vel passim quaslibet hæreses admittunt, Catholicismum omnino proscriptum, nec vlla exercitia eius permitti, ipsis in suis erroribus obstinatissimè perseuerantibus. Eo vero nomine Poloniam nostram fœliciorem censeo, quod magnos, & principes viros frequentiùs ad Catholicam fidem regredi videamus. Poloni enim nec tam obstinata, nec tam intractabilia ingenia nacti sunt, vt non libenter veritati cedant: si benè tractentur. Sed redeamus ad Rhenanas Cathedrales Ecclesias, Vormatia, tam in secularibus, quàm in spiritualibus parebat quondam Episcopo proprio: at cum se ab eius Iurisdictione subduxisset, vix permisit spirituali statui vsum Cathedræ, & exercitij Catholici. Episcopus tamen in residua Diœcesis parte circa Dimusteimum, & Landeburgum vbi residere solet, non ignauiter tuetur, & retinet Catholicam plebem in officio, quanquam à vicina Heidelberga, & Palatinatu, magnas perpetiatur molestias, & incursiones, nihilominus in ea vrbe habent vtiq; residentiam suam Patres Soc. IESV. Moguntia ob Electoris Archiepiscopi sedem, & patentem Diœcesim,

cesim, fermè tota Catholica est patres Soc. IESV *prout & in Treueuerensi vrbe, magnam collocant in extirpandis hæresibus operam, nam ex eorum Collegijs multi redeunt Catholici, qui à parentibus hæreticis studiorum causa eò mittuntur. Habent præterea in eadem Diæcesi duo Collegia Confluentiæ, & Heilingstadij, ex quibus cum tantos Catholicismi processus exoriri animaduertissent hæretici, ex prædictione cuiusdam Astrologi Lutherani, colligebant Iesuitas totam illam prouinciam occupaturos, proinde totis viribus illis resistendum esse, vrgebant de seculari statu, non de spirituali eam prædictionem intelligendam apud vulgum spargentes. Erphordia Turingiæ vrbs amplissima, sub Prouincia Moguntini Archiepiscopi sita, in qua & vicarium suum habet: patitur tamen Catholicos sacerdotes, & nonnullis Catholicis, liberum exercitium religionis permittit, imò & Soc.* IESV *residentiæ domus ibidem extructa est. Senatus etsi Lutheranismo sit infectus, prospicit diligenter, ne quidquam perturbationis dum sacra obeuntur, perpetiantur Catholici. Extendit se autem in tantam vastitatem Moguntinensis Archiepiscopatus, vt sub se contineat Episcopatus, Curiensem, Constantiensem, Argetoranensem, Spirensem, Vormatiensem, Herbipolensem, Augustanum, Padebornensem, Halberstandensem, Verdensem, Olomucensem. Curiensis Diæcesis, multos habet permixtos hæreticos Zuinglianos, in ipsa tamen vrbe, et Fustembergo, vel etiam Rossumio, quæ Castella Austriacis parent, ritu Catholico omnia peraguntur. In his enim locis præcipua est Episcopi sedes. Grisones quoq; non omnes abhorrent à Catholi-*

tholicis nec procul oppidum Abbatiale, Tirsitũ dictum, in quo etiam Seminarium iuuenum Catholicorum habetur, à Cardinali *Alexandrino fundatum, præter cænobium Præmonstratensium in octo planis vijs, & nonnullis alijs locis, in quibus vtcunq;* Catholicismus *exercetur. At verò in Herbipolensi Diæcesi, præsertim in Franconia Episcopo subiecta, adeò* Catholicismus *viget, vt vix liceat hæretico nedum ministro, ibidem pedibus consistere. Iulius de Ector Episcop⁹, et Orientalis Franconiæ Dux, proscriptis omnibus hæreticis, restauratis* Collegijs, *& Patribus* Soc. I E S V *introductis, suam ditionem non modò perpurgauit; verùm effecit, vt nullibi magis* Catholicismus *effloruisse videatur. Non minori conatu Fuldensis Abbas Fuldæ* Collegio Soc. I E S V *instituto, fidei sanæ propagandæ iecit fundamenta, præsertim erecto ibidem à* Greg: 13. *Pont. Max. insigni, pro nobilitate Germana, Seminario, vnde quemadmodum, & Romæ, ex Germanico* Collegio *prodeunt adolescentes Germani, pietate, & eruditione abundè instructi, qui Parochialibus, & cæteris Ecclesiis præficiuntur. Augustana ciuitas licet maiori ex parte infecta sit Lutheranismo: Senatus tamen fermè totus* Catholicus, *maximè autem præter Episcopum, religionem promouent Illustres Fuggeri, fundato ex suis bonis insigni patrum* Soc. I E S V Collegio, *qui in ea vrbe tantum profectum, inconuertendis hæreticis fecerunt, vt cum antea circiter tria, vel ad summum quatuor* Catholicorum *millia vix numerarentur, nunc vltra sedecim millia excreuerint. Episcopus verò ipse in suæ ditionis vrbe Dilingensi (magna enim pars Sueuiæ ad eius ditionem*

onem pertinet) tale, Collegium à Soc. Iesu regendum, extruxit, vt capiendis, & nutriendis studiosis, vix ipsum oppidum sufficere posse existimetur. Nam & Seminarium à Greg. 13. Pontif. ibidem fundatum, & aliud, ad quod admittuntur diuersorum ordinum religiosi, satis frequens conspicitur. Heldeselmum ferè totum, a Duce Brusuicensi occupatum, retinet adhuc in Cathedrali Ecclesia illas reliquias spiritualis Ordinis, cum aliquot Monasterijs, præsertim Collegio Soc. Iesu, ibi instituto. Ex Arciepiscopatu Treuerensi, et tota Diæcesi, hæreticismus exulat, vigilantia enim Episcoporum effectum est, vt non potuerit ad eam habere accessum. Tum in Ecclesiis suffraganeis, Verdensi, et Tulensi, nullos alios præter Catholicos reperias, excepta Metensi quæ magna ex parte Caluinismo infecta, et munitionibus confisa, non permittit Episcopum suam exercere Iurisdictionem, Patrum verò Soc. Iesu in conseruanda Catholica fide, summum semper ibidem enituit studium. Vicina ibi illorum sunt Collegia, Aquisgranense, Embricense, Confluentinum, Molschemiense: tum Residentia Bonensis, Hallensis, et Hageanensis: Verum vt à Rheno paulisper versus Danubium secedamus, offert se nobis insignis Salisburgensis Episcopatus, et totum illud territorium Ecclesiæ subiectum, vnde omnes hæretici proscripti, nulla Catholicos afficiunt molestia. Nam præter Ratisbonensem Ecclesiam ipsi subiectam: etiam Brixiensis, Vienensis, Segouiensis, Gurcensis, Chienensis, Nouecivitatis, et Labacensis Episcopatus, ad eandem prouinciam pertinent; quanquam duo postremi sub Iurisditione summi Pontificis cen-

cis censentur esse. Tres priores Episcopatus, toti sunt Catholici, reliqui etiam hæreticis permixti, in quibus nobilitas hæresibus infecta, plebs tamen promiscua, nunquam se à ritibus Catholicis auelli passa est. In Kabacensi quoq; Collegium Soc. IESV *conditum est, sed nec in tota Salcsburgensi prouincia, deest opera Patrum Soc.* IESV, *à quibus pietatis exercitatio, studiaq; literarum sacrarum, vnà cum alijs disciplinis accuratissime proponuntur, & ad diuinas laudes continenter decantandas, clerus, & populus excitatur. Præteream penè Austriam, præcipuamq; vrbem eius Viennam, quam a religione prisca se subducentem, cùm pati non posset Ferdinandus Imperator, non alia ratione se huic malo posse occurrere ratus; nisi patribus Soc.* IESV, *accersitis, Gymnasio ipsis attributo, in quo iuuentus erudiretur, vnaq; cum literis pietatem imbiberet, plebs etiam frequentioribus concionibus, & Sacramentorum administrationibus, in fide Catholica retineretur. Instituta aliquot pia sodalitia, & stati congressus, in quibus exercitia christiana proponerentur, magnum momentum ad hæresim retundandam, & Catholicismum stabiliendum, attulêre. Restabat adhuc aliquis numerus prædicantum, qui sua venena in vulgus clàm per domos spargebant; quos omnes Rudolphus Imperator vrbe expulit, Academiæq; indixit, ne quisquam ad gradus altiores promoueretur, qui non prius professionem fidei Catholicæ Romanæ; idq; interposito iuramento fecisset. Idem in Nouaciuitate, Kremsij, & Stainij fieri iussit, exturbatis inde symnistis, & omnibus templis Catholicis restitutis. Pium Cæsarem, proceres*

nonnulli secuti, in suis ditionibus, idem fecerunt; inter quos Guilelmus de Schonkirchen, & Lichtensteimus, & familia Ditersteiniorum profligatæ hæresis ingentem reportauerunt laudem, præsertim Comes Ioannes de Ortemburg idq; in Styria, vbi præcipuæ ciuitates Græcium, Furstenbeldum, & Artipergum, similiter & Traborgum, alacriter Catholicæ fidei colla subdidere. Græcij est insigne patrum Soc. IESV *Collegium: Præsentibus quoq; temporibus Archidux Carolus, è tota* Styria, *& Carinthia ministros prædicantes excedere iussit. Sed inter Austriacæ ditionis, prouincias Comitatus Tyrolis, præcipuam conseruatæ religionis, obtinet palmam. Inspurgi enim, & Halæ, duo Collegia Patrum Soc.* IESV, *à Ferdinando* C*æsare fundata, hunc Comitatum, ab omni labe, & infectione hæretica, purum reddidêre. Restat Brixiensis vicina Diæcesis, cui etiam adiacet Tridentina, totus ille tractus non fert hæreticos, vndequaq; ministris intercluso aditu. Debetur etiam eidem domui Austriacæ, quòd* Comitatus *Burgundiæ, Episcopatum Bizontinum complectens (tametsi ab hæreticis totus septus sit) omnes hæreses reijcere, ac respuere pergit. Basiliensis Episcopus, qui ad eius Prouinciam pertinet, sede sua pulsus, Brouduttum oppidum secessit, Friburgum quòd Austriacis paret, Brisgoensi capitulo translato.*

CAPVT X.

Per Bohemiàm, Morauiam, Silesiam, Hungariam,

riam, in quibusnam locis adhuc vigeat Catholica religio, & ad eam, quorundam procerum recursus.

Certè vterq; vestrûm abutitur patientia mea, inquit Marcisouius, dum me per tot Prouincias, & Diæceses, illorum locorum imperitum ducitis; quò vultis. Delectat enim vos refricare vestrarum peregrinationum memoriam, sat scio; at ego qui non procul è regno hoc, excursionem fecerim, qui fieri potest, vt tam longinquè vobis discurrentibus, non aliquo afficiar tædio? Quanquam hæc quæ nunc à Cichocio relata sunt; possunt cuiusq; Catholici recreare animum. Ego enim persuasum habebam, totam quaquauersum patet Germaniam, ita hæresibus & erroneis de fide opinionibus obrutam esse, vt nomen Catholicum penitus ibidem extinctum arbitrarer, imò, & in vsum loquendi versum audio: cùm quis se dicit fidem Germanicam profiteri, non aliam quàm Lutheranam, & Caluinianam debere intelligi. Sed vt colligo ex narrationibus vestris, non vsq; adeo de Catholicismo ibidem actum est, quin potius reuiuiscit, & postliminio quasi pulsus regreditur, ac in proprias sedes refluit, vt tamen videar aliquid in eam rem dixisse, excurram & ego in quasdam viciniores Prouincias, præsertim ortu, et idiomate nobis affines. Silesia enim et Bohemia, tum et Morauia nobis vicina, fortasse aliquid eiusmodi suppeditabunt, quod ad vestras narrationes assui possit: nec fortè etiam Vngaria, et Transyluania erit prætermittenda. In Bohemia Catholicismus varijs, et volubili-

bilibus in religione mutationibus, iactatus, easdem et nunc patitur. Nolo repetere Hussiticos illos antiquiores tumultus, et à fide discessiones: nostra tempora attingam, verùm quidem est impietatem Hussitanam, non multum superficietenus à Catholicis *ritibus distare videri: sed tamen omnibus Heresibus patefacto ingressu, non solùm Lutheranam, Picardicam, Caluinianam, Adamistarum, perfidiam admisit; verùm et Anabaptistarum, ac Trideitarum abominandas blasphemias introduxit, vt nulla Prouincia præter Bohemiam, & Morauiam feracior sectarum esse videatur: et nisi Ferdinandi Imperatoris pietas, qui Archiepiscopum Pragam reuocauit, interuenisset, totam fermè Catholicam religionem, succrescentes hæreses, suffocauissent.* Collegium *verò* Soc. IESV *Pragæ, et* Cromolouij *ab eo institutum; vnà cum Seminario* Gregoriano*, non ita pridem densissimas errorum tenebras dissipare aggressum: tantùm profecit; vt non modò Pragæ, verùm sparsim per oppida, et pagos, plurimi numerentur* Catholici. *Pilsna verò insignis Bohemiæ ciuitas, semper impietatem Hussiticam detestata, nec modò quidem fert vnum incolam, qui non idem cum Romana Ecclesia sentiat, et licet nondum ibi aliquod conditum sit quòd sciam* Soc. IESV, Collegium*; ciues tamen optimi, nonnullos ex patribus* Soc. IESV, *in priuatis domibus, proprijs sumptibus sustentant: vnde ad templum in medio foro situm prodeuntibus ex ædibus patribus, tantus fit pôpuli concursus, vt tota ciuitas vnum aliquod Collegium esse putetur. Principum verò quorundam, et clarissimorum procerum in reducenda* Catholica *fide summum studi-*

studium, et solicitudo enituit; dominus vt vocant Perstinensis, in sua Lithistomensi ditione 49. Parochias ab Hussitis occupatas restituit: pastoribus Catholicis introductis. Non minori laude celebrandi duo Heroes insignes, Dominus de Rosemberga, & Georgius Popellus summi, in ditionibus suis, Catholicismi propagatores. Itidem, Dominus Wladislaus Berka in Mediricio, ad flumen Oslawa dictum, Tum Franciscus à Dirterstein, Stanislaus Kuniczki oppidi Kumæ Dominus: Itidem Domini de Pruskow Czerberkouij de Galienicz, Besouij à Kolno, dicti de Katowicz, Kochciczij, Prisowscij, Dzierzanouij, Zambachij in aula Cæsarea, Kawcij in Branowicz, & alij permulti. Morauia Bohemiæ subiecta tria habet Patrum Soc. Iesu, Collegia, Olumucij, Cromolouij, & Bernæ: quanquam Bernæ residentia tantummodo esse dicatur; quæ ciuitates totæ Catholicæ sunt, nec vllum hæreticis templum permissum. Audiui tamen, nunc post introductam vel extortam ab Imperatore, quodlibet credendi licentiam Olumucij, hæreticis permissam esse, extruendæ Synagogæ potestatem, quod maximè dolendum esset. Alij dicunt eandem authoritate Imperatoria, inhibitam esse, qua ædificari cæpta fuerat, quòd vtinam verùm sit. Nikelspurgum, non postremi nominis oppidum, & ab Archiduce Carolo cum tibi esset, ob Catholicæ fidei professionem, mirifice laudatum: antiquos Ecclesiæ Romanæ ritus sequitur. Silesia quidem fermè tota in Lutheranismo immersa, cùm nullum quòd sciam Soc. IESV *habeat Collegium. Vratislauia tamen vrbs præter Episcopalem sedem, & insulam Oderam*

amne circumfluentem; quæ Canonicorum, *&* *ſacerdotum ædibus frequens, inſtar oppidi condita eſt, continet Eccleſiam S. Crucis Collegiatam, & aliquot templa: habet etiam intra mœnia quatuor monaſteria religioſarum perſonarum, virorum duo, S. Adalberti, & S. Vincentij, illud Dominicanorum, hoc Præmonſtratenſium ordinis, ac duo virginum, videlicet S. Catharinæ, & S. Claræ, in quibus ritu Catbolico peraguntur omnia officia. Præterea intermedium vrbi, &* Cathedræ *S. Mariæ in arena, vt vocant* Canonicorum *regularium Abbatiale monaſterium, nam & S. Vincentij monaſterio Abbas præeſt, cuius in Diæceſi magna eſt authoritas, & vterq; Abbas, bona poſſidet non contemnenda, in quibus Catholicè creditur. Illa tamen quæ in ciuitate ſita ſunt, plerunq; clauſa, & infrequentia conſpiciuntur, quæ extra, frequentiora, ciuitate tota Lutheraniſmo infecta. In ſuburbijs tamen maior numerus Catholicorum, nec & intra ipſa mœnia deeſſe Catholicos, imò recentiùs augeri, ſunt qui dicant. Epiſcopalis tamen ditionis oppida Catholica ſunt, præſertim Niſſa Epiſcopi domicilio elegans oppidum, & elegantia ædificiorum celebris, intermixtis nihilominus hæreticorum nonnullis ædibus. Glogouia maior habet Collegiatam Eccleſiam, & nonnullos Catholicos ſibi adiunctos, ſed minor, tota vt opinor Catholica eſt. Suidnicium habet inſigne Dominicanorum monaſterium, ſed admodum infrequens. Trebnicenſe itidem nobile virginum Deo dicatarum Ordinis S. Benedicti monaſterium, cum bonis ſibi ſubiectis. Sunt & pleraq; nobilium Catholica oppida, Kozlic, Biala, & alia quædam, Libenta-*

benthalum, versus Lusatiam non inelegans oppidum, virginum Deo dicatarum, nullus nisi Catholicus ibi consistere permittitur: multa tamen miseræ puellæ perpetiuntur à vicinitate Hæretica, tota enim Lusatia nihil habet Catholicum. Sunt præterea nonnulla Cisterciensis Ordinis monasteria, profugorum ex Polonia monachorum receptacula, in quibus nihil videas, quòd Catholicismum spiret: nam & subiecti illis pagi, passim recipiunt, & fouent ministros, Abbatibus conniuentibus, quorum etiam, & fides dubia est, & vix digni quorum mentio fiat, cùm nihil inde solatij reportaturi sitis. Tesinum verò nobis propinquum, & Illustrem Tesinensem Ducem pene præterieram: qui nuper non solum se esse Catholicum professus est, sed instauratis in suo Ducali oppido Tesinensi ritu Catholico templis, hæresim ita depressit, vt non videatur ampliùs caput attollere posse. De Vngaria verò præstat tacere, quam referre ea, à quibus commemorandis, ipse etiam refugit animus: securiùs sub Imperio Turcico degunt Catholici, quàm in Vngaricarum reliquarum partium ditionibus, quas cùm semel hæresis corripuisset: vix aliquem refluxum venti retrogradi dedere. Turca verò non permittit aliquid in religione innouari: hæreticos tamen ob faciles seditionum motus, non fert, tametsi persuadere cupiant, Turcicam à Caluiniana perfidia non longè abesse. Zagrabiensis nihilominus ciuitas, habet suum Episcopum, & Capitulum, habet & Collegium patrum Soc. IESV, *sed Diœcesis, sub Turca tota sita est. Collegium quidem opera Georgij Drascouij Cardinalis à Cæsare fundatum, ex quo prodeunt adolescentes insi-*

insignes, qui illum tractum Catholica imbuunt religione: reliqui verò Vngariæ Episcopatus, penitus euanuere: non desunt tamen aliqui proceres Vngari, qui fidem Catholicam amplectuntur, inter quos familia Forgazorum, Humiensciorum, Petorum, præcipuum obtineret locum, si per mixtos non haberet hæreticos, ex Bathorea vnus quod sciam iuuenis adhuc, sed quem natura, & egregia indoles ad omne bonum formalium esse indicant, Catholicè viuit. Hunc mater Polona nobilissimę Kostkarum gentis fæmina pijssima, in lucem edidit, ac vt Catholicè piè, & religiosè educetur nihil omninò non agit. Eiusq; rei causa Patribus eum Societatis in Collegio Iaroslauiensi literis imbuendum proximis temporibus commiserat. Apud quos ea modestia, & pietate iuuenis nobilissimus vnà cum Illustrissimis Ducibus Ostrogiæ tempus aliquod egit, vt magnam futuræ suæ pietatis, & in tuenda, ac promouenda Catholica religione studij, spem reliquerit. Sed maximè dolendum est, Transyluaniam in qua iam pulchrè processerat Catholicismus, denuo in hæreses pristinas easq; blasphemas, & detestandas esse, relapsam. Nihil profuere fundationes Stephani regis pijssimi, nihil Seminaria à Gregorio 13. *Pontif. Max. dotata, atque nonnullorum procerum conatus reflante vento, iterum hæreses inundauerunt, peccatis indigenarum sic exigentibus, atq; ab ingratis pœnas exposcentibus. Illud verò mirabile, non magnum Siculorum tractum, ab irruentibus hæresibus adhuc conseruatum, qui etiamsi principi Transyluaniæ pareat, libertates tamen ita tuetur suas, vt nihil admittat nouum, siue quod ad religionem, siue quod ad con-*

ad conseruationem status sui pertineat. Messis quidem ibi esset cum prouentu; si modò adessent operarij; quorum ibi copia nulla est.

CAPVT XI.

In Transyluania, variè iactata Catholica religio, prius pulsis, iterum restitutis Iesuitis: secundo pulsis, nec adhuc restitutis.

VIden' Cichoci, inquit Cochleuius, Marcisouius quoq; noster, ne videretur extra Poloniam nusquam extulisse pedem, quàm aptè, & concinnè suum etiam interseruit aloquium. Certè quadrant & ista ad proposita nostra alloquia: cuperem tamen scire, cur patres secundò in Transyluaniam reuocati, sub Stephano Boczkaj Hæretico homine, qui regnum Vngariæ affectabat, & Transyluaniæ principatum occupauerat, iterum inde pulsi sint, & an aliquando suæ expulsionis occasionem dederint: tum modum, & progressum, eiectionis nosse, operæpretium foret; vt in promptu habeamus, quòd insultantibus hæreticis opponendum sit. Ego verò hac in re libenter obsequar vobis, ait Marcisouius, cùm ad amussim hæc omnia, prout mihi, à viris fide dignis narrata sunt, teneam, & vnum exemplar literarum ipsius Boczkaj penes me habeam. Hanc autem eiectionis Societatis in Transyluania summariam accipiatis narrationem: A quo tempore Boczkaj ad Transyluaniæ principatum aspirare cæpit, nihil sibi antiquiùs esse ostendit; quàm vt ex illa Prouincia Societatem eijceret; tum

quia tanquam Caluinista, Catholicam religionem, quæ in eâ Prouincia vni Societati inniti videbatur, radicitus extirpare volebat; tum quia, tanquam auarus, bonis Societatis inhiabat. Cùm igitur in Augusto anni 1605. Prouinciam, vt principatum acciperet, ingrederetur, non tam de ista Prouincia potiunda, quàm de Soc. IESV *expellenda, dies noctesq; cogitabat, vt retulit Sigismundus Rakotius gubernator Transyluaniæ. Cùm autem non semel iurâsset, se neminem in religione turbaturum, Catholicisquè nobilibus promisisset, se quò ad Societatem attinet Prouinciæ toti liberam deliberationem permissurum, apertè vi agere nolebat; sed modos omnes tentabat, vt Comitiorum decreto expelleretur Societas. Cùm igitur in Septembri in ciuitate Megghes comitia haberentur, his artibus vsus fuit; primò in suam sententiam hæreticos traxit, secundò aliquot ex præcipuis Catholicis varijs de causis aliò ablegauit, tertiò, his qui remanebant, varijs modis timorem incussit, illis, per quosdam significando, eos qui Societati fauerent, in vitæ periculo versaturos. Demum per duos prædicantes Societatem grauissimè accussari, tam quò ad mores, quàm quò ad pietatem (vt creditur) curauit. Qua accusatione absoluta: statim actum est de Societate, & tandem præualente hæreticorum numero, sententiæ scriptus est articulus, vt societas expelleretur. Postridie superior Societatis qui aderat omnibus (vti peracta erant) cognitis, à regno vt in publico conuentu audiretur petijt, quòd cùm impetrâsset, longam satis pro defensione Societatis orationem habuit, is fructus fuit, vt obmutuerint illi ipsi accusatores, qui cùm præsen-*

præsentes essent, & prouocati fuissent, nec os aperire ausi sunt. Catholici autem qui iam animum desponderant, vires assumpserunt, & cum articuli pro confirmatione principi offerentur, legationem ipsi addiderunt, supplicantes ne suos sacerdotes turbaret, & adeò ardentes se obstenderunt, vt non ausus fuerit princeps articulum confirmare, neq; vt confirmaret, vllam instantiam fecerunt aduersarij. Cùm igitur videret Boczkaij negotium Societatis sibi non succedere, grauissimas ob causas se in Vngariam vocari fingens, non hoc solùm; sed reliqua omnia infecta reliquit: nihil enim prorsus determinauit, quia nimirum quòd primùm intendebat, absoluere non poterat. Alius fructus ex illa oratione hic fuit, quòd ab illo tempore nullus alicuius momenti Societati obloqueretur, quæcunq; enim obijcire solebant, adeò euacuata erant, vt spes esset certissima, neminem in posterum publicè contra Societatem acturum esse. Anno 1606. post Resurrectionem Domini, denuo habita sunt Comitia Claudiopoli: hæreticorum quidam cùm apertè contra Societatem agere non auderent, indirectè agere voluerunt, non quidem vt illam eijcerent, sed vt bonis priuarent. Aduerterant Catholici, & statim de sententia illos deiecerant, atq; eorum propositionem silentio inuoluerant. Cùm verò ex illis comitijs legati destinati essent Cassouiam, vbi princeps Vngarica comitia celebrabat, volebant Vngari, vt legati Transyluani cum ipsis in eo articulo conuenirent, quo in conditionibus pacis, à Cæsarea maiestate petebant, vt Societas in Vngaria locum non haberet. At legati responderunt, Transyluanos quò ad religionem, nihil

cum Vngaris commune habere velle, neq; vt Societas è Transyluania migraret, vlla ratione tunc petere. Aduertens igitur se Prouinciæ suffragijs Societatem expellere non posse, minis eam tentare cæpit, sæpius enim se à patribus offensum esse ostendit, eorum literas interceptas se habere finxit, aliaq; huiusmodi iactare cæpit, & tandem literas huiusmodi ad patres dedit vt nimirum perterriti ij sponte cederent: en puer ipsas legat. Reuerendis, ac Honorabilibus Ioanni, Argento Soc. IESV *in Transyluania Rectori, ac Georgio Kaldij cæterisq; sacerdotibus Catholicis passim in Transyluania constitutis &c. nobis dilectis. Stephanus Dei gratia Vngariæ, Transyluaniæq; Princeps, ac Siculorum Comes. Reuerendi, & Honorabiles nobis dilecti. Salutem, & fauorem nostrum. Significandum vobis per præsentes duximus, certas quasdam, & occultas machinationes, quibus publicam Patriæ quietem haud mediocriter turbare niteremini, manibus nostris esse deprehensas: propter quas verendum est, ne ob vehementem regnicolarum, quos vestra inquietudine ab initio multoties infensissimos vobis reddidistis, indignationem etiam nobis inscijs, & inuitis certa clades vos maneat: volentes benignè vitæ ac permansioni vestræ consulere; ne fortè perniciei, si contingeret causa minus iusta, a Christianis principibus nobis inureretur, Deuotiones vestras seriò præmonendas esse voluimus, vt spatio 15. dierum ab exhibitione præsentium computando, vniuersos, & singulos vestræ Sectæ Ordinisq; Iesuitici socios publicè, vel priuatim eam professionem tenentes, siue sub priuatis, siue sub publicis patronis constitutis*

tuti fuerint, vndecunq; intra ambitum nostri regni Transyluaniæ existentes: signanter autem Alba Iulia, oppido Vduchbarchelij, & Castello Gherent, alijsq; locis omnibus, ad illud in quo nunc degitis claustrum de Collosmonostra Beatæ Mariæ virginis, publico edicto conuocetis, & vt intra limites eiusdem se pacificè contineant, nomine nostro omnibus iniungimus, scientes si qui eo se ex mandato nostro contulerint, securè resolutionem nostram & D D. regnicolarum de conditione vestra expectaturos: alijs verò id præstare negligentibus, si quid sinistri post præfixum terminum euenerit, immunes nos, & innoxios ab eorum molestatione, & damnificatione, ac sanguine futuros. Post præscriptum autem diem quindecimum, & congregationem Sociorum vestrorum procuratam, vos ambo Reuerendi Ioannes Argenta, & Georgij Kaldij ad nos huc Cassouiam conferetis. Quòd vt securius faciatis, literas nostras salui conductus, cum præsentibus simul accipietis, & de tuta Comitiua per D. Gubernatorem sedulo vobis vbiq; prouidebitur. Coram vbi adueneritis, certiùs de vestra conditione statuentes, & consulentes: secus sub præmissa cautela nullo modo facturi. Datum ex libera ciuitate nostra Cassouiensi die 27. Mensis Septembris: Anno Domini 1606. hactenus puer. Cùm verò patres sua innocentia freti; Cassouiæ vti vocabuntur eum adiuissent, timoremq; nullum ostendissent, licet eum seuerissimè cum ijs agere velle intellexissent, ipse tandem vi aperta sibi agendum non existimauit. Patrem igitur Rectorem, & patrem Kaldij, non tanquam homines infensos: sed veluti amicos charissimos, & verbis, & vultu accepit,

postea ad Consiliarios remisit; vt ex his causas, ob quas vocati erant intelligerent. Consiliarij autem nudis verbis hanc esse vltimam, & irreuocabilem principis voluntatem significarunt; vt Patres è regno cederent: huius autem voluntatis rationes has attulerant. Prima, principem suum iam esse, in numerum Christianorum principum cooptatum. Secunda, regnum Hungariæ passum esse vltimas hasce calamitates, ob articulum superioribus annis in Comitijs Posoniensibus factum, ad religionem spectantem, eiusq; articuli auctores fuisse Patres. Tertia, attulerunt exemplum vicinarum Prouinciarum, quæ Societatem expellunt, Poloniam intelligebant, ex qua Societatem omnino eijci spargebant, vt suam impietatem aliquo modo colorarent. Quarta, Transyluanos sæpius Patres opprimere, atq; interficere voluisse; principem autem prohibuisse, ac propterea regnicolarum indignationem incurrisse. Nolle autem maiorem in posterum indignationem incurrere, & ideo vt Patres discederent constituisse: nam si aliquid ipsis, ipso, vel inscio, vel etiam inuito, accidisset, notam aliquam apud Christianos principes incurreret. At hæc respondit Pater, se scire Principem iam principem esse: similiter Vngariæ calamitates maximas fuisse non ignorare. At ignorare an hæ ex articulo illo ortæ essent, multò autem magis ignorare, Patres articuli illius fuisse authores: cùm nec Imperatoris Consiliarij: nec regni Senatores essent, neq; partem vllam in Comitijs haberent. Quò ad alias Prouincias, quid in illis fiat se ignorare, scire quidem quid ipse cum socijs faceret in Transyluania; quid alij alibi agant, se prorsus ignorare. Quò adpe-

ad pericula, respondit se non timere Transyluanos, neq; Patres venisse in Transyluaniam vt pericula fugerent, sed vt pro Dei honore, & animarum salute, extrema etiam paterentur. Et ideò se etiam atq; etiam rogere, vt princeps eos manere permitteret: cùm enim nulla in re contra principem, vel regnum peccâssent; sed inculpatè, & innocenter, vixissent. Principiq; ac regno pro sui status ratione inseruiuissent; non sine magna iustitiæ violatione proprijs sedibus a Principibus sibi legitimè collatis priuari potuissent. Multa alia dixerunt, quæ ostendebant, principem ipsum eam iniustitiam contra Societatem exercere; quam ab alijs exerceri nolebat, ne iniusti notam apud alios Principes incurreret. Sed rationibus non erat locus, Consiliarij enim se vnò verbo expediebant, eam esse principis voluntatem asserentes: ad principem autem ampliùs non patuit aditus. Postea de tempore, & itinere agere cœperunt. Quò ad tempus; interrogabant, non vna, vel altera hebdomada, postquam in Transyluaniam redijssent, ad iter parandum satis fuisset: & quonam itinere proficisci vellent; nam princeps vti dicebat in hoc illis satisfacere, bonamq; pro securitate comitiuam dare volebat. Respondit Pater, se non discessurum sua voluntate, ex Transyluania, quare neq; tempus sibi constituendum; neq; iter deligendum, qui illum discedere coegisset, & tempus, & viam ostendere debuisset. Cùm autem nomine Principis proponerent iter in Poloniam, ipse, & quomodo, inquit, tutus ero in Polonia? at illi tutissimus inquiunt: omnia enim sunt pacatissima. Paulò antè Societatem ex illo regno eijci affirmârant, mendacia

enim

enim vt aiunt Vngari, curtos pedes habent. Die sequenti Princeps nunciauit Patri, se nolle vt in Transyluaniam rediret, ne in itinere interficeretur: cùm enim ipsum rediturum sparsus esset rumor, latronum manus non euasurum. Pater cum socios qui in Transyluania erant sine ipso in summo periculo futuros præuideret, per Secretarium de suo reditu institit: tum vt patres iuuaret, quibuscum mori, quàm sine illis viuere mallet; tum ne si quid mali accidisset, princeps ne notam, quam apud Principes alios vitare volebat, incurreret; tum ne Catholici querelarum occasiones haberent, cum suos sacerdotes innocentes; non solùm iniustè eijci, sed etiam modo indebito dimitti viderent, patrem redire permisit, sed illi addidit nobilem quendam aulicum, qui illum comitaretur eundo, & retrogrediendo, bona omnia (domestica suppellectili excepta) occuparet, non vltra triduum vel quadriduum in Monasterio esse permitteret, actiones ipsas omnes obseruaret, & statim de omnibus antequam Patres è regno exirent, Principem ipsum moneret, quæ omnia exactissimè obseruata sunt, quidquid enim domi fuit, occupatum fuit, & illis tribus, vel quatuor diebus, quibus ad iter parârunt se patres, fuerunt tanquam domi alienæ, licet cum summa honestate, & reuerentia, & tanquam domini tractarentur. Die 5. Mart. discesserunt, & cum Pater Rector celebrasset ad populum frequentissimum, Latinam valedictionem habuit, quam etiam per interpretem Vngaricè explicauit. Inter alia Catholicos solatus est, ea ratione, quòd cùm nullum crimen Societati propter quod dimitteretur obiectum esset,

illud

illud restabat vt pro Christi causa pateretur; pro Christo autem pati summam esse fœlicitatem, illi soli ignorant, qui Christum ignorant. Hoc autem non solum Societati, sed ipsis quoq; Catholicis solatio esse debebat, quòd nimirum sacerdotes eos, animarum suarum pastores habuissent, qui adeò innocenter inter ipsos vixissent, vt in multis probati, semper innocentes inuenti fuissent. Huius autem innocentiæ aliud certius testimonium esse non poterat, quàm modus honestissimus, quo Societas dimittebatur: nam si vel minima peccati vmbra reperta fuisset, nunquam salua euasisset. Alia documenta reliquit. Et summus ploratus excitatus est, in fine Litanias, cum magna lachrymarum copia recitauit, & postea à Commissarijs vocatus extemplo currum conscendit. Princeps sub honoris, & capitis amissione ductori Societatis mandauerat, ne quicquam mali illi accidere permiitteret, & si quis, vel minimo verbo eos offendisset, vt ad rationem ipsius captiuum faceret, imperauerat. Pro itineris securitate dedit vexilla integra equitum, atq; peditum &c. Pater primò cùm esset Cassouiæ, & deinde ex itinere illi supplicauit, vt testimonium daret Societatem non dimitti propter crimen vllum, quandoquidem nullum obijciebatur; sed sôlùm propter illas causas quas ipsius nomine attulerunt Consiliarij, sed Princeps non respondit.

CAPVT XII.

In Galliis de religione concertationes variæ Societas Iesu eiecta, sed cum maiori laude restitu-

ta vniuersitas Lutetianæ Academiæ variè erga Societatem affecta, & qui in ea insigniores fuère viri, Hæreticorum, cum numero Catholicorum ibidem collatio.

TVm Cochleuius. *Quis iam desideret in Marciscouio rerum exterarum peritiam, qui tam expeditè vicina nobis loca percurrit, & multa memoria complexus; ea dixit, quæ nos fortasse latère existimauerat. Sed iterum à me vsq; in Gallias, vel inuitus extrahendus est, multum enim interest; vt qui nunc sit religionis in Gallijs status; habeamus cognitum; Christianissimum regnum hoc esse, & Christianissimum regem vocari omnibus notum est; ita vt plurimi referat, potiores ibi partes esse Catholicorum, quàm hæreticorum: vel si rabies hæreticorum non tantùm potuerit, vt inde præcipites exturbaret Iesuitas, quibus eiectis; totum Catholicismum se eiecturos, persuasum habebant. Verùm quidem est, ex non magnis initijs, tantum incendium, quanto fuerat correpta Gallia, exarsisse, nec ita difficulter restingui potuisse: si Franciscus Rex, qui se infensissimum hæreticorum hostem aliquoties declarauerat, paulo feruentiùs in hæresim reprimendam incubuisset, & non se Turcicæ societati immiscuisset; sed multò magis, si in meditullium Franciæ exercitum Germanicum, tunc hæresibus infectum, non introduxisset; vt se magis protectorem protestantium hæreticorum, quam Catholicorum defensorem exhiberet. Simultates illæ, cum Carolo quinto Imperatore, & cum Henrico octauo, Angliæ rege, iunctæ neces-*

necessitudines occasionem dedêre, Gallicorum tumultuum, qui sub Henrico filio eius in tantùm excreuêre, vt præter spoliationes, & rapinas, bonorum Ecclesiasticorum, & templorum deprædationes, adeò in sacerdotes, & in sanguinem Catholicum, sæuitum sit, vt longè barbaricam immanitattem, edita in innocuos viros exempla, superauerint, videat qui voluerit Cosmographiam Belforesti, & Teueti, ac aliorum scriptorum; mihi non libet ea refricare, quæ animum exedunt, & exulcerant: cùm etiam id non sit nostri propositi in istis occupari. Tres tumultus, non multum inter se distantibus successionibus, excitati; multum quidem sanguinis Gallici exhauserunt; sed non minorem vastitatem regno ipsi, vrbibus, & templis, vt colonos non commemorem, intulerunt. Sublatis demum capitibus, Condeo, Amirallo, & fusis exercitibus hæreticorum, obtinuêre tamen Caluinistæ ea loca, quæ ante primam rebellionem occupauerant, non verò quæ ante postremum conflictum; & in eas angustias redacti, vt præter Rupellam, Montalbanum, Nemansium, Samserum, & nonnulla confæderatorum loca ex pacto retinuerint. Sublato Henrico, tertio rege, immò adhuc ipso superstite, coquebant hæretici clandestinas conspirationes, donec sub Henrico quarto, iterum religio Catholica periclitari cœpta est. At Deum immortalem, vbi res ad interitum inclinatiores erant; ibi inuentus est mirabilis, & planè diuinus succursus. Quis enim vnquam existimauerit hæreticum regem, armis viribusq; potentem, qui iam iam Lutetiæ Catholicam fidem inde extirpaturus, imminebat, & postea

ex vulnere dentibus incusso, tantum furorem conceperit, vt Patres Soc. IESV *qui longè à culpa aberant, solos ad pœnam poscere visus fuerit: & tum strangulationibus; tum proscriptionibus in eundem ordinem desæuire permitteret, subito immutatum fuisse; ac primum emolliri cæptum: demum diuinis inspirationibus illustratum; non solum hæreses abiecisse, verùm Iesuitas illico reuocatos, arctioribus beneuolentiæ argumentis prosecutum esse, vt & columnam, siue pyramidem illam ignominiosam, reclamantibus hæreticis, vel etiam polyticis Catholicis, deyci iusserit, & simul ad propagandum eum Ordinem, & Collegia fundanda, se accinxerit: idem ipse rex, & reductor, & promotor, & defensor, qui nuper expulsor, & impugnator fuit. Nec satis erat in gratiam receptos, multis reditibus auxisse: verùm tantò magis strenuum illorum defensorem se postea exhibuit, quantò acerbioribus inuectionibus bonam ipsorum existimationem, & famæ integritatem, à quouis lacerandam, & proscindendam permiserat. Atqui vt maiorem beneuolentiæ erga Societatem affectum videatis, non solùm hæreticis; verùm & quibusdam frigidioribus Catholicis, immò & vniuersæ Academiæ Lutetianæ, pro ea ita se opposuit, vt non alium feruentiorem patronum, ipsa Societas optare potuerit: cùm enim quereretur quidam ex Academicis, studiosos literarum, passim ad Iesuitarum gymnasia conuolare, suasquè scholas deseri, prudens, & verè regium dedit responsum: Id agite vos inquit, sine inuidia, vti negotij vestri benegerentes, industria vincatis Iesuitas, etiam eos gloria, atque numero auditorum, sine dubio vincetis.*

tis. Hæc ille. At qui verùm quidem est, florentissimam semper vniuersitatem illam, dignitate, et frequentia cæteris præiſſe, sed ingenia tumultuosa, et volitantia, ita illam distraxerant, vt sublatis inde quibusdam præstantissimis viris, Budæo, Vatablo, Perionio, tametsi ad summam doctrinam nihil ipsi defuisse videbatur, non tamen tantum habuit virium, vt iuuentutem nouis opinionibus de religione luxuriantem, in officio contineret. Magnus certè vir Esspenceus, Turnebus, Genebrardus, & alij innumeri, sed ex his nonnullos proteruior ex Caluiniana institutione ætas, suarum partium esse apud vulgus, spargere non verebatur. Quanquam Turnebus parum Iesuitis æquior, dederat occasionem, vt existimaretur cum dogmatibus Caluinianis sentire, sed eorum vanam iactantiam elusit, in auita religione Catholica constans vsque ad supremum diem perseuerantia, vt doctissimus Genebrardus, quemadmodum, & de Esspenceo literarum monimentis, posteritati, testatum reliquit. Amiotus quoque Vigorius, Sanctesius, Carpentarius, & cæteri, initio quidem à Societate antequam eam nossent, alienissimo animo fuisse dicuntur: at postea institutis Societatis benè perpensis, & examinatis, reconciliatis voluntatibus ita Societatem amplexi sunt, vt adstrictioribus amoris vinculis eam deinceps prosequerentur. De Petro Ramo non laboramus, homine Caluiniano, et turbulento; qui suæ perfidiæ finem nactus est funestissimum. A præcipuis quidem Sorbonicis Doctoribus auditum est conqueri, illa tempestate neglectui, et despicatui Theologica, et Philo-

 sophica

sophica studia haberi cœpta: nunc verò ex Iesuiticorum discipulorum æmulatione, ad suum pristinum florem tota vniuersitas reuocata, viros doctissimos protulit, qui illos de quibus diximus, non solùm exæquauerint, sed eruditum illud seculum iterum introduxerint, inde non solùm in Theologicis, et Philosophicis, verùm in omnibus tam seuerioribus, quàm humanioribus literis, præstantissimos, doctissimosqué viros, celebrat, et admiratur orbis Christianus, præsertim si Carpentarios, Dureos, Auratos, Lambinos, Paschasios, Quinquarboreos, et eos qui à quercu dicuntur, enumerauerìs. Euerterat quidem hæresis multas per ciuitates Galliæ Academias, et Parisiensem planè vacuam auditoribus reddiderat: verùm introducti Iesuitæ, multò frequentiores reddiderunt, quibus ex nonnullis locis pulsis, iterum omnia ad vastitatem redigebantur: hæreticis etiam in suas casses quosuis pertrahentibus. Extat Marani professoris Tolosæ clarissimi actio forensis, ad Annum 1597. declamata, in qua vir egregius deplorat vniuersitatem, Soc. IESV *abscessione, ita exhaustam, et vacuam effectam; vt nullum inde Gymnasiarchum, qui præficeretur locis à Iesuitis relictis, inuenire liceret. Nunc iterum reductis, et reuocatis Iesuitis, Collegia illorum multos doctos viros, quibuslibet locis suppeditant, vt non mirum sit Catholicorum numerum quotidie augeri, et ad Ecclesiam promptis animis regredi. Sunt qui testantur Parisiis vltra septem millia hæreticorum non numerari, argumento inde ducto, quòd cum Sequana præterlabente, ad locum, Lutetia tribus miliaribus distantem, ipsis indultum seu potius extortum, concionum*

cionum

cionum suarum, siue suæ perfidiæ exercitiorum vsum, cymbis (neque enim expeditior alia via est) ferantur, non difficulter numerus ipsorum iniri possit. At si totam vrbem cum illis comparaueris, in qua circiter quingenta millia hominum quandoque censentur; septem millia quam proportionem efficiant, supputatote. Non commemoro tot insignes, per totam Galliam vrbes, in qua quatuordecim Archiepiscopatus, & centum Episcopatus, non ita pridem numerabantur, tot Academias, et Collegia Patrum Soc. Iesu prætereo, in quibus non difficile est æstimare, quantus Catholicorum vbique sit prouentus. Quid? Nemansum illud, siue Rupella, aut Montalbanum & Sanserinum, audebitne numero, & potentia se tot Catholicorum vrbibus comparare? vel hæreticos principes suos, Guisiis, Ducibus Turnoniјs, Borbonijs, exæquare? Non dubium quidem est, tantam hæreticis rabiem innatam, vel potiùs è Phlegetonte haustam, vt quamuis numero exigua sit, nihilominus modestiæ, & tolerantiæ Catholicorum numerosissimæ, ita se opponere audeat, vt tanquam veneni guttulam, in amplissimum vas vinarium immiseris, cui, bonitas vini haud poterit resistere, & nisi fædus illud Catholicorum *principum in conuentu Ianuilliensi initum, de quo in vltimo conuentu Blesensi, agi cæptum fuerat, interuenisset, non facile audacia hæreticorum, qui numero Catholicis impares erant, retundi potuisset. A Cardinali* Carolo *Borbonio, tanquam primate regni, primùm Principes Cardinales, Purpurati, PRælati, PAlatina officia,*

Proreges,

Proreges, Dynastæ, Nobiles, Tribuni militum, ciuitates regni, conuocati, post maturam deliberationem iurârunt: se præter Catholicam, & auitam religionem, nullam aliam admissuros, tantumquè effecère, vt et regem Henricum in suam sententiam pertraxerint, et edicta regia promulgari fecerint, vt posthac nullum fieret nouitiæ religionis exercitium: sed sola Catholica Apostolica Romana in regno exerceretur. Aderant his tractatibus cum regina matre, primarij, et præcipui per Galliam viri Borbonij, Guisij, Pares Franciæ, Domini de Baßonpiere, Rosne, & Lossembergij. Espernotæ; aderant Consiliarij regis Galliarum, & Lotharyngius Dux, vbi decretum est, vt in vniuerso regno Galliæ vna sit tantum de qua dictum est, religio, vt arma vtrinque collecta in Hugonotas conuertantur, cum Geneuensibus pacta suscepta, vt rescindantur, vt vrbes, atq; oppida, sacro fæderi adhærentia, præsidijs firmentur, et ab Hugonotis recepta, vt Sellon, Verdunum, Tullum, Villafrancum, Ducis Guisani milite introducto, in officio contineantur. Videtunè quibus vicissitudinibus, et reciprocationibus iactata est in Gallia Catholica religio, quæ omnibus torrentibus, et montibus fragosis hæreticorum decurrentibus, obruta non est; sed suo alueo antiquiori, in mare illud vel Oceanum Ecclesiæ Romanæ, ita defluit, vt nullæ vnquam extraneæ vndæ illam suffocare potuerint. Quis enim impetusior amnium Borealium, et hæresum defluentium fragor & strepitus totam inundare poterat Galliam? cùm rex Henricus quartus, Caluiniana hæresi imbutus, totum Catholicismum vno collecto spiritu exsufflaturus credebatur. At postquam

quam sacram coronam capiti suo impositam esse persensit, et vim sanandarum strumarum ex oleo cælitus allato, post professum Catholicismum, tanquam ad proprium receptaculum manuum suarum trfluxisse animaduertit, in tantum ad promouendam, vel potius retinendam Catholicæ fidei professionem exarsit, vt nullius vnquam hæreticismi vestigium in ipso mansisse, quispiam deprehendere potuerit, modò excipias permissionem Caluinianis datam, vt liberè ad aliquot milliaria ob exercitia Caluinianæ impietatis Lutetia excurrere illis liceret: nec verò destituebatur sua ratione, cùm affirmaret Gallorum ingenia prohibitionibus irritatiora, conniuentia placabiliora reddi. Florebat tamen ipso viuente Catholicismus; & mussantibus, seu potius frendentibus hæreticorum furijs, in dies augebatur Catholicæ plebis numerus: nec, ipso nefaria, & parricidiali manu, sublato res Catholicas deteriores redditas esse credendum est, sub prudentissima matre, & Concilio rerum tractandarum peritissimo, & sub Rege Ludouico, is ætate quidem iuniore, sed acumine ingenij, et consilijs sanioribus, & institutione regio genere dignus præstantissimo. Sub informatore Cothoneo Iesuita, (quem viuente adhuc patre sicarius quidam ex Caluini fæce prosiliens, miro impetu, cultro in caput adacto aggressus erat, sed maiori miraculo Deo sic iubente, defensus est:) in eodem statu auita, et prisca religio conseruatur, quamtumlibet hæreticis ex suis lacunis coaxantibus. Siste hîc gradum Cochleui, quæso, ait Marcisouius; Multa tu quidem præclarè de statu Catholicæ religionis in Gallijs disseruisti; verùm nondum mihi satisfa-

ctum esse arbitror. Quòd cùm multos in vniuersitate Parisiensi vsq; ad miraculum, eruditione celeberrimos viros, enumeraueris, Iesuitas quasi exæquari cum illis nequeant prætery͡sti. Quid enim opus erat ad instaurationem vniuersitatis opera Iesuitarum vti, si impares illis, quos tot encomijs celebraueras, fuêre? Præterea nescio, an non data opera, tot erga illos insurgentium aduocatorum agmina suppresseris, fortasse ne aliquid Iesuitis de bona existimatione detractum aliquis putauerit.

CAPVT XIII.

Collegia Soc. Iesu in Galliis frequentia, Insignium virorum eiusdem instituti, ibidem prouentus vberrimus, An extra eum ordinem, illustres, & præclari aliqui, ex institutione Iesuitica prodiere.

Vides Cicboci, subiunxit Cochleuius; quò me extrahat iste quem ægrè in Galliam extrahi posse putaueras: nunc verò cogit me tot Prouincias percurrere, vt ipsi conquiram Iesuitas, in omni doctrinarum genere præstantissimos. Putat enim extra Academias, & vniuersitates, nullibi doctos reperiri viros, vel si qui sint, non nisi Academijs acceptum referri debere, vt fortè ab hac laude excludat Iesuitas, & quibusdam Academijs blandiatur, quæ eos non ferendos sibi putauerunt. Et fortè trahit Academiam Patauinam in exemplum, tametsi ego non aliam concepti odij video

video esse causam quàm quod Iesuitæ doctiores, & ad instituendam iuuentutem expeditiores viderentur, quam pleriq; vellent, adeò vt in hac literaria palæstra non sine inuidia plerumq; certetur, cùm quisq; quidquid gloriæ alteri accessit: sibi detractum putat. Fit autem, vt illi quos gloriola vexat inanis, ægrè patiantur alios doctiores sibi præferri; vnde æmulos toto conatu remouere conantur; ne ad certamen à paribus prouocentur: soli sine aduersario luctari cupientes. Hoc Patauinorum exemplum secutus etiam Parisiensis Rector, & pleriq; Academici, vel potius eadem inuidia correpti, Anno Domini 1564. probibuerunt patribus, ne in suis classibus publicè profiterentur, nisi Senatus Parisiensis obstitisset, vtinam pari ratione Venetus Senatus Patauinis Academicis posuisset eundem obicem. Quanquam non defuêre ex ipso Senatu clarissimi quiq;, qui iuuentutis Venetæ subtractam piam cum literis institutionem dolebant, nec desunt, si integrum foret, qui cupiant iterum Parma, Patauium, Collegium Soc: Iesu transportari adeò corruptam moribus iuuentutem, & dissolutas lubricæ ætatis habenas, non æquis oculis aspiciunt, vt etiam nunc paucos quidem illos, sed odio, et rancore quodam distentos, quorum opera Iesuitis exercitium studiorum interdictum est, execrentur. Ita ab ingrata vrbe Parmam translatum Collegium, frequentia studiosorum florentissimum videmus, vt non pæniteat Societatem ad tutiorem, & à tot æmulis, remotiorem locum, commigrauisse. Sed et vniuersitas Parisiensis experitur, & videt, non tantam frequentiam adolescentum studiosorum ad se confluere; qui ex omnibus

ta vniuersitas Lutetianæ Academiæ variè erga Societatem affecta, & qui in ea insigniores fuére viri, Hæreticorum, cum numero Catholicorum ibidem collatio.

TVm Cochleuius. Quis iam desideret in Marciscouio rerum exterarum peritiam, qui tam expeditè vicina nobis loca percurrit, & multa memoria complexus; ea dixit, quæ nos fortasse latère existimauerat. Sed iterum à me vsq; in Gallias, vel inuitus extrahendus est, multùm enim interest; vt qui nunc sit religionis in Gallÿs status; habeamus cognitum; Christianissimum regnum hoc esse, & Christianissimum regem vocari omnibus notum est; ita vt plurimi referat, potiores ibi partes esse Catholicorum, quàm hæreticorum: vel si rabies hæreticorum non tantùm potuerit, vt inde præcipites exturbaret Iesuitas, quibus eiectis; totum Catholicismum se eiecturos, persuasum habebant. Verùm quidem est, ex non magnis initijs, tantum incendium, quanto fuerat correpta Gallia, exarsisse, nec ita difficulter restingui potuisse: si Franciscus Rex, qui se infensissimum hæreticorum hostem aliquoties declarauerat, paulo feruentiùs in hæresim reprimendam incubuisset, & non se Turcicæ societati immiscuisset; sed multò magis, si in meditullium Franciæ exercitum Germanicum, tunc hæresibus infectum, non introduxisset; vt se magis protectorem protestantium hæreticorum, quam Catholicorum defensorem exhiberet. Simultates illæ, cum Carolo quinto Imperatore, & cum Henrico octauo, Angliæ rege, iunctæ necess-

necessitudines occasionem dedêre, Gallicorum tumultuum, qui sub Henrico filio eius in tantùm excreuêre, vt præter spoliationes, & rapinas, bonorum Ecclesiasticorum, & templorum deprædationes, adeò in sacerdotes, & in sanguinem Catholicum, sæuitum sit, vt longè barbaricam immanitatem, edita in innocuos viros exempla, superauerint, videat qui voluerit Cosmographiam Belforesti, & Teueti, ac aliorum scriptorum; mihi non libet ea refricare, quæ animum exedunt, & exulcerant: cùm etiam id non sit nostri propositi in istis occupari. Tres tumultus, non multum inter se distantibus successionibus, excitati; multùm quidem sanguinis Gallici exhauserunt; sed non minorem vastitatem regno ipsi, vrbibus, & templis, vt colonos non commemorem, intulerunt. Sublatis demum capitibus, Condeo, Amirallo, & fusis exercitibus hæreticorum, obtinuêre tamen Caluinistæ ea loca, quæ ante primam rebellionem occupauerant, non verò quæ ante postremum conflictum; & in eas angustias redacti, vt præter Rupellam, Montalbanum, Nemansium, Samserram, & nonnulla confœderatorum loca ex pacto retinuerint. Sublato Henrico, tertio rege, immò adhuc ipso superstite, coquebant hæretici clandestinas conspirationes, donec sub Henrico quarto, iterum religio Catholica periclitari cœpta est. At Deum immortalem, vbi res ad interitum inclinatiores erant; ibi inuentus est mirabilis, & planè diuinus succursus. Quis enim vnquam existimauerat hæreticum regem, armis viribusq; potentem, qui iam iam Lutetiæ Catholicam fidem inde extirpaturus, imminebat, & postea

ex vulnere dentibus incusso, tantum furorem conceperit, vt Patres Soc. IESV *qui longè à culpa aberant, solos ad pœnam poscere visus fuerit: & tum strangulationibus; tum proscriptionibus in eundem ordinem desæuire permitteret, subito immutatum fuisse; ac primum emolliri cæptum: demum diuinis inspirationibus illustratum; non solum hæreses abiecisse, verùm Iesuitas illico reuocatos, arctioribus beneuolentiæ argumentis prosecutum esse, vt & columnam, siue pyramidem illam ignominiosam, reclamantibus hæreticis, vel etiam polyticis Catholicis, deijci iusserit, & simul ad propagandum eum Ordinem, & Collegia fundanda, se accinxerit: idem ipse rex, & reductor, & promotor, & defensor, qui nuper expulsor, & impugnator fuit. Nec satis erat in gratiam receptos, multis reditibus auxisse: verùm tantò magis strenuum illorum defensorem se postea exhibuit, quantò acerbioribus inuectionibus bonam ipsorum existimationem, & famæ integritatem, à quouis lacerandam, & proscindendam permiserat. Atqui vt maiorem beneuolentiæ erga Societatem affectum videatis, non solùm hæreticis; verùm & quibusdam frigidioribus Catholicis, immò & vniuersæ Academiæ Lutetianæ, pro ea ita se opposuit, vt non alium feruentiorem patronum, ipsa Societas optare potuerit: cùm enim quereretur quidam ex Academicis, studiosos literarum, passim ad Iesuitarum gymnasia conuolare, suasquè scholas deseri, prudens, & verè regium dedit responsum: Id agite vos inquit, sine inuidia, vti negotij vestri benegerentes, industria vincatis Iesuitas, etiam eos gloria, atque numero auditorum, sine dubio vincetis.*

tis. Hæc ille. At qui verùm quidem est, florentissimam semper vniuersitatem illam, dignitate, et frequentia cæteris præijsse, sed ingenia tumultuosa, et volitantia, ita illam distraxerant, vt sublatis inde quibusdam præstantissimis viris, Budæo, Vatablo, Perionio, tametsi ad summam doctrinam nihil ipsi defuisse videbatur, non tamen tantum habuit virium, vt iuuentutem nouis opinionibus de religione luxuriantem, in officio contineret. Magnus ceret vir Espenceus, Turnebus, Genebrardus, & alij innumeri, sed ex his nonnullos proteruior ex Caluiniana institutione ætas, suarum partium esse apud vulgus, spargere non verebatur. Quanquam Turnebus parum Iesuitis æquior, dederat occasionem, vt existimaretur cum dogmatibus Caluinianis sentire, sed eorum vanam iactantiam elusit, in auita religione Catholica constans vsque ad supremum diem perseuerantia, vt doctissimus Genebrardus, quemadmodum, & de Espenceo literarum monimentis, posteritati, testatum reliquit. Amiotus quoque Vigorius, Sanctesius, Carpentarius, & cæteri, initio quidem à Societate antequam eam nossent, alienissimo animo fuisse dicuntur: at postea institutis Societatis benè perpensis, & examinatis, reconciliatis voluntatibus ita Societatem amplexi sunt, vt adstrictioribus amoris vinculis eam deinceps prosequerentur. De Petro Ramo non laboramus, homine Caluiniano, et turbulento; qui suæ perfidiæ finem nactus est funestissimum. A præcipuis quidem Sorbonicis Doctoribus auditum est conqueri, illa tempestate neglectui, et despicatui Theologica, et Philosophica

ſophica ſtudia haberi cœpta: nunc verò ex Ieſuiticorum diſcipulorum æmulatione, ad ſuum priſtinum florem tota vniuerſitas reuocata, viros doctiſſimos protulit, qui illos de quibus diximus, non ſolùm exæquauerint; ſed eruditum illud ſeculum iterum introduxerint, inde non ſolùm in Theologicis, et Philoſophicis, verum in omnibus tam ſeuerioribus, quàm humanioribus literis, præſtantiſſimos, doctiſſimosqué viros, celebrat, et admiratur orbis Chriſtianus, præſertim ſi Carpentarios, Dureos, Auratos, Lambinos, Paſchaſios, Quinquarboreos, et eos qui à quercu dicuntur, enumerauerіs. Euerterat quidem hæreſis multas per ciuitates Galliæ Academias, et Pariſienſem planè vacuam auditoribus reddiderat: verùm introducti Ieſuitæ, multò frequentiores reddiderunt, quibus ex nonnullis locis pulſis, iterum omnia ad vaſtitatem redigebantur: hæreticis etiam in ſuas caſſes quoſuis pertrahentibus. Extat Marani profeſſoris Toloſæ clariſſimi actio forenſis, ad Annum 1597. declamata, in qua vir egregius deplorat vniuerſitatem, Soc. IESV *abſceſſione, ita exhauſtam, et vacuam effectam; vt nullum inde Gymnaſiarchum, qui præficeretur locis à Ieſuitis relictis, inuenire liceret. Nunc iterum reductis, et reuocatis Ieſuitis, Collegia illorum multos doctos viros, quibuſlibet locis ſuppeditant, vt non mirum ſit Catholicorum numerum quotidie augeri, et ad Eccleſiam promptis animis regredi. Sunt qui teſtantur Pariſiis vltra ſeptem millia hæreticorum non numerari, argumento inde ducto, quòd cum Sequana prǣterlabente, ad locum, Lutetia tribus miliaribus diſtantem, ipſis indultum ſeu potius extortum, concionum*

cionum suarum, siue suæ perfidiæ exercitiorum vsum, cymbis (neque enim expeditior alia via est) ferantur, non difficulter numerus ipsorum iniri possit. At si totam vrbem cum illis comparaueris, in qua circiter quingenta millia hominum quandoque censentur; septem millia quam proportionem efficiant, supputatote. Non commemoro tot insignes, per totam Galliam vrbes, in qua quatuordecim Archiepiscopatus, & centum Episcopatus, non ita pridem numerabantur, tot Academias, et Collegia Patrum Soc. Iesu prætereo, in quibus non difficile est æstimare, quantus Catholicorum vbique sit prouentus. Quid? Nemansum illud, siue Rupella, aut Montalbanum & Sanserinum, audebitne numero, & potentia se tot Catholicorum vrbibus comparare? vel hæreticos principes suos, Guisijs, Ducibus Turnonijs, Borbonijs, exæquare? Non dubium quidem est, tantam hæreticis rabiem innatam, vel potiùs è Phlegetonte haustam, vt quamuis numero exigua sit, nihilominus modestiæ, & tolerantiæ Catholicorum numerosissimæ, ita se opponere audeat, vt tanquam veneni guttulam, in amplissimum vas vinarium immiseris, cui, bonitas vini haud poterit resistere, & nisi fædus illud Catholicorum principum in conuentu Ianuilliensi initum, de quo in vltimo conuentu Blesensi, agi cæptum fuerat, interuenisset, non facile audacia hæreticorum, qui numero Catholicis impares erant, retundi potuisset. ***A Cardinali Carolo Borbonio, tanquam primate regni, primùm Principes Cardinales, Purpurati, PRælati, PAlatina officia, Proreges,***

Proreges, Dynastæ, Nobiles, Tribuni militum, ciuitates regni, conuocati, post maturam deliberationem iurârunt: se præter Catholicam, & auitam religionem, nullam aliam admissuros, tantumque effecêre, vt et regem Henricum in suam sententiam pertraxerint, et edicto regia promulgari fecerint, vt posthac nullum fieret nouitiæ religionis exercitium: sed sola Catholica Apostolica Romana in regno exerceretur. Aderant his tractatibus cum regina matre, primarij, et præcipui per Galliam viri Borbonij, Guisij, Pares Franciæ, Domini de Baßonpiere, Rosne, & Lossembergij. Espernotæ; aderant Consiliarij regis Galliarum, & Lotharyngius Dux, vbi decretum est, vt in vniuerso regno Galliæ vna sit tantum de qua dictum est, religio, vt arma vtrinque collecta in Hugonotas conuertantur, cum Geneuensibus pacta suscepta, vt rescindantur, vt vrbes, atque oppida, sacro fæderi adhærentia, præsidijs firmentur, et ab Hugonotis recepta, vt Sellon, Verdunum, Tullum, Villafrancum, Ducis Guisani milite introducto, in officio contineantur. Videtisne quibus vicissitudinibus, et reciprocationibus iactata est in Gallia Catholica religio, quæ omnibus torrentibus, et montibus fragosis hæreticorum decurrentibus, obruta non est; sed suo alueo antiquiori, in mare illud vel Oceanum Ecclesiæ Romanæ, ita defluit, vt nullæ vnquam extraneæ vndæ illam suffocare potuerint. Quis enim impetusior amnium Borealium, et hæresum defluentium fragor & strepitus totam inundare poterat Galliam? cùm rex Henricus quartus, Caluiniana hæresi imbutus, totum Catholicissimum vno collecto spiritu exsufflaturus credebatur. At post-

quam sacram coronam capiti suo impositam esse persensit, et vim sanandarum strumarum ex oleo cælitus allato, post professum Catholicismum, tanquam ad proprium receptaculum manuum suarum refluxisse animaduertit, in tantum ad promouendam, vel potius retinendam Catholicæ fidei professionem exarsit, vt nullius vnquam hæreticismi vestigium in ipso mansisse, quispiam deprehendere potuerit, modò excipias permissionem Caluinianis datam, vt liberè ad aliquot milliaria ob exercitia Caluinianæ impietatis Lutetia excurrere illis liceret: nec verò destituebatur sua ratione, cùm affirmaret Gallorum ingenia prohibitionibus irritatiora, conniuentia placabiliora reddi. Florebat tamen ipso viuente Catholicismus; & mussantibus, seu potius frendentibus hæreticorum furijs, in dies augebatur Catholicæ plebis numerus: nec, ipso nefaria, & parricidiali manu, sublato res Catholicas deteriores redditas esse credendum est, sub prudentissima matre, & Concilio rerum tractandarum peritissimo, & sub Rege Ludouico, is ætate quidem iuniore, sed acumine ingenij, et consilijs sanioribus, & institutione regio genere dignis præstantissimo. Sub informatore Cothoneo Iesuita, (quem viuente adhuc patre sicarius quidam ex Caluini fæce prosiliens, miro impetu, cultro in caput adacto aggressus erat, sed maiori miraculo Deo sic iubente, defensus est:) in eodem statu auita, et prisca religio conseruatur, quamtumlibet hæreticis ex suis lacunis coaxantibus. Siste hìc gradum Cochleui, quæso, ait Marcisouius; Multa tu quidem præclarè de statu Catholicæ religionis in Gallijs disseruisti; verùm nondum mihi satisfa-

video esse causam quàm quod Iesuitæ doctiores, & ad instituendam iuuentutem expeditiores viderentur, quam plerisq; vellent, adeò vt in hac literaria palæstra non sine inuidia plerumq; certetur, cùm quisq; quidquid gloriæ alteri accessit: sibi detractum putat. Fit autem, vt illi quos gloriola vexat inanis, ægrè patiantur alios doctiores sibi præferri; vnde æmulos toto conatu remouere conantur; ne ad certamen à paribus prouocentur: soli sine aduersario luctari cupientes. Hoc Patauinorum exemplum secutus etiam Parisiensis Rector, & plerisq; Academici, vel potius eadem inuidia correpti, Anno Domini 1564. prohibuerunt patribus, ne in suis classibus publicè profiterentur, nisi Senatus Parisiensis obstitisset, vtinam pari ratione Venetus Senatus Patauinis Academicis posuisset eundem obicem. Quanquam non defuêre ex ipso Senatu clarissimi quiq;, qui iuuentutis Venetæ subtractam piam cum literis institutionem dolebant, nec desunt, si integrum foret, qui cupiant iterum Parma, Patauium, Collegium Soc: Iesu transportari adeò corruptam moribus iuuentutem, & dissolutas lubricæ ætatis habenas, non æquis oculis aspiciunt, vt etiam nunc paucos quidem illos, sed odio, et rancore quodam distentos, quorum opera Iesuitis exercitium studiorum interdictum est, execrentur. Ita ab ingrata vrbe Parmam translatum Collegium, frequentia studiosorum florentissimum videmus, vt non pœniteat Societatem ad tutiorem, & à tot æmulis, remotiorem locum, commigrauisse. Sed et vniuersitas Parisiensis experitur, & videt, non tantam frequentiam adolescentum studiosorum ad se confluere; qui ex omnibus

nibus Gymnasiis, et Collegiis quotquot in Gallijs numerabantur, Lutetiam tanquam ad literarum theatrum amplissimum, à patribus mittebantur, studij solidioris comparandi causa. Numerantur in Gallijs triginta nouem patrum Soc. IESV *Collegia, ex quibus clariora censentur, Claromontanum, Mussipontanum, Flexiense, Bituricense, Niuernense, Rotbomagense, Ambianense, Rhemense, Burdigallense, Pictauiense, Xantonense, Lugdunense, Aueniomense, Tarraconense, Diuionense, Bisuntinum, Viennense, Carpentoratense, et reliqua illis non ignobiliora, in quibus omnibus vrbibus ingens scholasticorum concursus conspicitur, quos Iesuitæ non solùm omni genere disciplinarum instructos, verumetiam Catholica pietate imbutos libenter Parisios, tanquam ad Oceanum literarum ire permittebant, tum cùm ibidem Soc.* IESV *in suo Collegio publicas lectiones profitebatur. Nunc verò pleraq; iuuentus difficulter se auelli ab illorum collegiis patitur: nam præter domum professam, nullum adhuc vt audio extat Parisiis patrum Soc:* IESV *Collegium. Confer igitur hæreticorum obscuras latebras, si placet, qui in aliquot locis suis quoq; discipulis venenatos propinant errores, & eminus carpunt Iesuiticam institutionem, à qua sibi tantopere metuunt, vt dum eam eneruare nequeant, plaustris calumniarum saltem obruere conentur. Hinc illæ voces, hinc toties iacta conuitia, Iesuatas doctrina, & eruditione in quauis professione non ita excellere; vt possint Academicis exæquari: ex illorum scholis, & institutione nullum clarum, nullum præstantem virum prodire, hac illorum cantilena fortè etiam captus*

Marci-

Marcisouius, cupit sibi enumerari aliquos celebris nominis Iesuitas, vel viros praeclaros, quos non puduerit apud Iesuitas esse institutos. Obsequar igitur Marcisouio, et morem eius animo geram: verùm antequam aggrediar, monebo prius non solum illos apud me claros haberi, quorum scripta, eruditione plena versantur in manibus doctorum; sed, & hos qui praeclaram, vel in docendo, vel disserendo promeruêre laudem. Non desunt tamen in Societate, qui in scribendo celebre nomen promeruêre, siue humaniores, siue grauiores literas spectes. Non fastidiuit Emanuel Aluarus Grammatices Latinè praecepta miro artificio complecti, quemadmodum et Graecè Guilelmus Bayllius, tametsi in omni genere literarum haberentur ab omnibus excellentes. Nec puduit Bellarminum ipsum Cardinalem Soc. IESV *insigne ornamentum praeceptorem quondam Cichocij nostri, sanctae, et Hebraicae linguae accurratam tractationem in lucem emittere. Quid verò Martinus Delrio ille inquam à Lipsio toties laudatus, Solini, Senecae, Claudiani, & reliquorum maximorum authorum illustrator, et explanator, an non merebitur inter eruditione praestantissimos collocari viros, vis Historicos; en habes Maffeum a Mureto celebratum, Ribadeneiram, Turselinum, Posseuinum, Perpinianum, incredibili eloquentiae, et eximiae doctrinae apud omnes commendatissimos viros. In Poësi quis Andreae Frusio, et Francisco Bencio, et qui adhuc superest Stephanio Par? Quis Iacobo Scoto, et Iacobo Pontano, ad scholasticos pulueres detergendos acceptior? in conuertendis Graecorum monumentis, quis Francisco Turriano,*

& Frontone Duceo, Paulo Comitclo, et Theodoro peltano, accurratior? Nec desunt qui etiam antiquam militiam Romanorum pertractent, vt iure Antonium Valtrinum quandoq; in militia exercitatissimum esse, dixeris. Qualis quantusq; in Mathematicis Christophorus Clauius, etiam à Iosepho Scaligero laudatus; tametsi non satis erga Societatem æquo animo affectus esse videretur? Theologos verò non de media Theologorum, et Philosophorum turba depromptos, sed ob accurratam scribendi rationem, et reconditam diuinarum rerum cognitionem celeberrimos, quis enumerauerit? vt nec inimici ipsi negauerint, quicquid à Iesuitis editur, non tam animaduersionem, quàm admirationem mereri. Ioannes Maldonatus, et Philosophus, et Theologus summus: Franciscus Soares lumen Philosophiæ, et Theologiæ, meritò ab omnibus hoc tempore dici, et haberi debet, cui longam diuina bonitas tribuat vitam, vt tanto pluribus laboris, et industriæ eius Ecclesia sancta, et literarum Gymnasia gaudeant operibus. Vt prætereain Toletum, et Bellarminum Cardinales amplissimos, Benedictum Pererium; Gasparem Loartem, Hieronymum Pratum, Ioannem Baptistam, Vilalpandum, Fraciscum Turrianum, Gregorium de Valentia, Ludouicum Molinam: Franciscum Riberam, Thomam Sanquez, Ioannem Pinedam, Blasium Viegam. Hispanos, Sebastianum Baradium, Petrum Fonsecam, Henricum Henriquez, Gabrielem Vasquez, Lusitanos, non minus in Gallijs præstantes, et in omni genere doctrinarum excultissimos viros reperias, Iacobum Sirmundum, Nicolaum Serarium, Ioannem Lorinum,

Cotonum

Cotonum Foreſtanum, Valentinum Gerardum, Michaëlem Coiſardum, quorum ingens numerus; præſertim ſi Germanos, et Belgas, Scotos, Anglos, et Hybernos, ipſis annumeraueris, inter quos non poſtremum locum obtinet Petrus Tyreus Nouoſienſis. Nec verò noſtra Polonia prætereunda eſt, ſi reuoces in memoriam, Varſauicios, Vuiecos, Scargas, Smiglecios, Grodicios, Wyſocios, Barſcios, alioſquè, qui ſuis ſcriptis Societatis nomen apud nos illuſtre reddiderunt. Petrus Ribadeneira ſatis locupletem Catalogum ſcriptorum celeberrimorum, qui in Societate caruère ſub Anno 1608. *edidit, vt non mirum ſit multas Academiarum, & Conuentuum religioſorum Bibliothecas libris à Patribus Societatis editis, refertiſſimas, & inſtructiſſimas haberi. Hóſne omnes vna cum iuuentute ab ipſis inſtituta, exiſtimatis permiſſuros, vt Hæreticiſmus Catholiciſmo permixtus vlterius progrediatur, & non cogatur efferre pedem? Quòd tamen de illis prouincijs hæreticorum, in quibus Catholicis eſſe non licet minùs exiſtimandum eſt; ibi enim ipſa dextera excelſi, vel ad conuertendam, vel ad euertendam impiam gentem, expectanda erit. Quòd verò dubium habeas, an aliqui Illuſtres ex inſtitutione Ieſuitica prodière viri; arduum quid à me, ſcilicet quærere videris: an oblitus es à Cichocio dum de Familijs regni huius texeret ſermonem, plurimos numeratos eſſe; qui domi & foris celeberrimi, qui in adminiſtranda Repub. prudentes, qui in militia tractanda, clari, & Illuſtres euasêre. Scio quidem in Gallijs à quodam rabula, id quoque Ieſuitis obiectum fuiſſe, quòd nulli medici, nulli aduocati ex illo-*

rum

rum scholis prodirent: igitur præter medicos, & aduocatos, ad Illustre nomen comparandum cæteris non relinquetur locus? vt si isti desint, reliquos quasi tenebris obseptos, nunquam clariorem lucem aspecturos credendum sit? At cæca inuidia, non attendit tot Pontifices, tot Episcopos, Præsules, Oratores Ecclesiasticos, Doctores sacros, Præsides, Senatores amplissimos, Exercituum ductores, è Societatis scholastica disciplina profectos, in summa luce totius orbis versari. Peragra Galliam, Germaniam, Italiam, Hispaniam, et non lippis oculis aspicias, reperies tot agmina virorum excellentium, & illustrium, in oculos inuolare; vt nisi cæcus sis, nequeas, non videre. Dico verò ne decipiaris, non me intelligere institutum Societatis esse, vt omnes artes profiteri, & tractare cogatur, per quas ad summum gradum viri excellentes perueniunt, hoc enim nimis arrogans esset dictum, sed sufficiet, si eâ fundamenta ponant, in quibus reliquæ, quæ professioni illorum non congruunt, superstruantur, & ab alijs perficiantur. Dico de Iurisprudentia, & Medicina, Theologiam enim, Philosophiam, & literas humaniores excipio, quas facultates ita pertractant, vt qui voluerit opera illorum vti, etiam summus, & clarus euadere possit. Sine Philosophia quis vnquam celebris medicus extitit? vt sine ea, ne Iurisperitus quidem, quomodo enim genus, speciem, cuiusq; causæ, & actiones comprehendet, quomodo definiet, vel partietur inter verum, & falsum, in æquum, & iniquum discernet, quomodo colliget repugnantias, consequentias, ambigua à certis, obscura, à claris seiunget, & disponet, si fuerit Philosophia destitutus?

destitutus? At hanc accuratissimè tradunt Soc. IESV *patres, ita, vt non mirum sit summos iudiciorum in Gallia præsides, ex scholis Iesuitarum, ad tantas dignitates obtinendas, ascensum sibi fecisse. Non puduit Nicolaum Verdanum, summo honore dignissimum præsidem, & Senatus Tolosani principem idem fateri: nec illos Burdegalenses insignes, & præclarissimos regios aduocatos, Dronysium, Turrianum, & Carolum Saltanum, cæterosq; quam plurimos, Tolosæ & Dinione celeberrimos Iureconsultos præterire licet: at hi ex Academicis Soc.* IESV *institutionibus se emanauisse profiteri non erubescunt: nec defuissent Lutetiæ, qui causam illorum contra forenses illos rabulas tueri potuissent; si suo periculo non animaduertissent, causam illorum quos propugnarent, deteriorem effecturos, cunctis frendentibus, & ob parricidium in regem tentatum, animis consternatis, & quodammodo à Societate qui falsò insimulabantur, auersis. Nec puto in Gallijs plurimos medicos deesse, qui celebre nomen acquisitum tantò magis illustrârunt, quantò euidentiùs illis, qui opera eorum vtebantur, constabat: pietatem cum studijs in Iesuitarum Collegiis ipsos ex primæua institutione hausisse.*

CAPVT XIIII.

Societas Iesu, quos in Polonia & Lituania habeat insigniores patronos, & promotores Episcopos.

SIne Cochleui, subiunxi; vt ego ad patriam nostram faciam regressum, & inquiram: num in ea quoq; reperiantur aliqui Illustres, & insignes viri, tum et docti, et pij, qui Iesuitarum opera in literis, vel consilijs petendis, vsi sunt, vel qui eorum conuersatione delectati; nunc etiam eosdem summa beneuolentia, amore, & officijs prosequantur. Et certùm est; Antistites omnes qui nunc supersunt, omnes ferè Iesuitis multùm tribuere, & eorum institutum insigniter promouere solere: cùm nulla reperiatur Diœcesis, in qua non inuenias Soc. IESV *Collegia, domus professas, domus probationum, & vt non commemorem illos in Domino iam requiescentes, Hosios, Noskouios, Valerianos, Carncouios, Conarscios, Solikouios, Tarnouios. Illustrissimus & Reuerendissimus Albertus Baranowski, Archiepiscopus Gnesnensis, primus patriæ nostræ Princeps, et Primas, sat scio, quòd suum Collegium Calisiense à prædecessore suo piæ, et perpetuæ memoriæ, Stanislao Karnkouio fundatum, et dotatum foueat, tueatur, atq; sustentet. Nec minùs Petrus Tylicki, proximus dignitate, et authoritate à primate regni suæ Diœcesis, Sendomiriense, & Lublinense, Collegia tuetur: & patres ipsos, ea qua par est beneuolentia complectitur, quod ex tot libris à patribus ipsi dedicatis, & inscriptis manifestum est. Gasparem verò Pętkouium è Soc.* IESV *patrem, hominem trium linguarum præcipuè Græcæ peritissimum, & doctissimum, ex simplicitate, siue potius morum suauitate cuilibet commendatissimum, ita charum habuit, vt præter id, quòd eius opera in Confessionibus vsus sit, crebrius mensæ suæ adhibuerit, recreationem eam*

magni

magni faciens cùm ex propositis, quæstiunculis, & ab ipso acutè nonnunquam, & festiue discussis, mirificè audientium animos refici animaduertebat. Narrabat aliquando pater ille bonus, se ad mensam Episcopalem ita accedere paratum, & instructum, vt non minus illi mensa operæ exhiberet; buam si ad profitendam aliquam publicam lectionem animum colligeret, & ea prius quæ dicenda forent compararet. Dignam certè Episcopi auribus occupationem, quam rarò aliquis, dum epulis indulgetur, pertulerit. Sed non desunt cæteri Episcopi, & Antistites qui non illibenter fatebuntur se etiam in classibus Iesuitarum literis operam dedisse. Non negabit credo Illustrissimus Laurentius Gembicki Episcopus Wladislauiensis sibi etiam in Collegio Posnaniensi aliquam occassienem ad eam scribendi, et loquendi elegantiam qua pollet, esse factam, quo viro in rebus agendis expeditiorem, & in responsis dandis promptiorem vix inuenias. Vtinam verò Collegium suæ Diæcesis Gedanense talem successum sortiretur, qualem Collegium Torunense; eius opera, & imperterrito animo; dum Culmensem Epicsopatum administraret, fuerat consecutum, & ab ipso egregiè protectum. Nec verò despondendus animus, quandoq; peruicaciam hæreticorum ipsius conatibus cessuram; etiam decreto comitiorum perurgente: proculdubio non perferet in personis commissariorum suorum ante inita comitia, suam authoritatè labefactatam. Ex quib⁹ Franciscus Lacki Episcopus Margaritensis, & in Wladislauiensi Ecclesia ipsi à suffragiis, prudenter cùm peregisset iniunctum sibi mun⁹, irrito interea conatu discedere, coactus quidem, at

non irrito Illustris: & Reuerendissimus Episcopus Iesuitas, tùm Deo sacratas virgines reducere aggressus: perficiet tandem, vt plebs illa hæretica sentiat, se suum verum, et legitimum Episcopum esse. Et quoniam incidi in mentionem Francisci Lacki, persuasum habeo; virum hunc esse Societatis amantissimum, qui Vilnæ per omnes classes vsq; ad auscultationes Physicas cùm peruenisset; demum Romæ, & Perusij vtramque Iurisprudentiam memoria complexus, illi magno Rozrazouio, Episcopo Wladislauiensi, tam charus extitit, vt non dubitauerit eum fratri suo in Suffraganeatu præferre. Mihi quidem multis amicitiæ necessitudinibus deuinctus est: sed dum eius excultum ingenium, et facundiam ori eius innatam admiror; non potui me continere, quin oblata occasione, gratam eius mihi memoriam refricarem. Benedictus verò Woina Episcopus Vilnensis, mihi in hoc genere summis Encomijs prosequendus, qui seniculum me licet, tanto interuallo a se distantem, literis suis singulari beneuolentia, et amoris significatione refertis, inuisere non fastidit. Quid verò eo religiosius, purius, et humanius? At huius in se eximium affectum, & benè merendi studium, tria Societatis in sua Diæcesi Collegia, nimirum Vilnense cum professa S. Casimiri, et probationis domo, Nieswiezienfe, Polocense, et experiuntur, et summis laudibus celebrant. Quid verò Illustrissimus Andreas Opalinius, Posnaniensis Episcopus, nunquid non amplam rependit gratiam Iesuitis, suis quondam in literis humanioribus institutoribus? quid ille non facit; vt suum Collegium Posnaniense non solùm frequens

quens; sed et celeberrimum efficiat? Inuidere poterat Luceoriense Collegium Pultouiensi, dum præsensisset Martinum Szyskouium, virum amplissimum, quo in iudicijs de rebus ferendis, nihil acutiùs, et perspicatiùs, à Luceoriensi ad Plocensē Episcopatum, et postulatum, et translatum; nisi sciuisset successorem designatum, Paulum Volucium, ipsi non dissimilem, magnæ dexteritatis in obeundis legationib⁹, et negocijs transigendis, virum, qui iacta à Szyskouio Collegij sui Diæcesiani fundamenta, et cæptas prouisiones ad effectum perduxit, vt non minùs Luceoriense quàm et Pultouiense suo glorietur Episcopo. Bransbergense Societatis IESV *Collegium in regnum hoc primum à Stanislao Hosio, S. R. E. Cardinali, Episcopo Warmiensi, introductum, et fundatum, satis celebre, tum ex fundatoris clarissimi nomine; tum ex Simonis Rudnicij Episcopi, fauoribus vbiq; habetur, quòd Prussicis hæresibus oppositum, multos exproceribus ad Catholicismum amplectendum induxit. Stanislaus autem Siecinius, Præmisliensis Antistes, Diæcesis suæ Iaroslauiense Collegium ita charum habet, vt etiam inde coloniam aliquam cupiat Præmisliam deducere; hic arctiori amore complectitur Iesuitas; vt putetur vnus ex illis esse; tanta viro inest pietas, et religio, nec minor Reipub. iurium peritia, et negotiorum, quæ passim in comitijs exercentur exacta cognitio, vt cùm inde magnum sibi nomen primùm conciliauisset, calculo prudentissimi regis, præcæteris Episcopatum obtinuerit. Nec tacebo Andream Prochnicium, Episcopum Camenecensem, qui vt primum Episcopum se esse renunciatum accepisset; nibil anti-*

quiiis habuit; quàm vt de Collegio Societatis Iesu Cameneci erigendo cogitaret, quamuis rebus angustis, ob tenues Episcopatus reditus premeretur: nihilominus ingenti animo opus aggressus, non prius destitit; quàm cùm scholas aperiri, et iuuentutem studiorum causa eò accurrere vidisset, vir si quis alius singulari pietate deuotione comitate ornatissimus, ob quam ille iam Archiepiscopus Leopoliensis est renunciatus. Collegium Leopoliense varijs procellis: iactatum; nec satis æquum animum, præsertim cleri et magnæ partis ciuium, nactum, fundatione nobilitatis, et promotione regia stat; stabitq; per Dei gratiam, sartum, tectum: Et ita Leopoliensis Diæcesis suo quoq, Collegio non caret i quod angustias suas nonnunquam cum placidiores v ent afflauerint, est dilatatiurum.

CAPVT XV.

Prælati, & Canonici, insignis Collegiatæ Ecclesiæ Sendomiriensis, qualis sint erga patres Soc. Iesu propensionis, Tum an ex scholis Iesuitarum, etiam in Polonia, aliqui Illustres, & præclari viri prodierint.

SED vt ab Episcopis ad olios quoq; spiritualis Ordinis viros ex quibus non minus quidam genere Illustres, quam pietate, doctrina, virtutibus præstantes occurrunt, sermonem transferamus non continebo me quin in laudes meorum

orum Collegarum insignis collegiatæ Ecclesiæ Sendomiriensis, excurram eo nomine, quòd & erga Societatem propensum animum gerant, et se quandoq; à patribus literis excultos esse fateri non diffitentur. En primus se offert Henricus Firleius vir ad dignitates publicas, & honores sublimes obtinendos, ac Illustri Familiæ ipsius debitos iampridem destinatus, qui antea Secretarij maioris, & regni Referendarij titulo perfunctus: sensim ad altiora subsellia sua virtute sibi ascensum comparauit, si modò Præpositra Miechouiensis thiaræ Episcopali exequata, vel altera Plocensis vasalis equestribus nobilitata, minor existimetur: quam vt cum aliquo tenui Episcopatu conferri queat. Præteritis tamen comitijs senatoria dignitate auctus Procancelarij regni, cum applausu omnium munus sibi delatum, ita administrat, vt nulla vnquam ætas eximiam ipsius laudem abolitura sit. Attamen hic tantus vir non fastidit se quondam Canonicum Sendomiriensem dici, & vocari, & Iesuitas quondam præceptores suos fuisse agnoscere. Cui in Canonicatu Sendomiriensi successit, vir æquè, tum generis nobilitate, tum iudicij acumine ex erudita iurisprudentia comparato insignis Andreas Lipski, Scholasticus Cracouien: & Plocensis Sac: Regiæ Maiesta: Secretarius, qui sæpius in legationibus remotioribus, & grauissimis obeundis operam suam omnibus reddidit comendatissimam. Ioannes Wezik Præpositus eiusdem Ecclesiæ idem Canonicus Cracouiensis, & Archidiaconus Lublinensis, quondam Ioannis Tarnouij Archiepiscopi Gnesnensis, & Primatis regni Cancellarius, sacris, & Canonicis studijs insigniter eruditus, cultiorum

tiorum literarum profectum tribuit Iesuitis, & multùm se illis debere, suis literis ad me datis testatus est. At verò Ioannes Wielicki Decanus Bransbergæ primùm, deinde Ingolstadij, magna familiaritate patrum Soc. IESV præsertim illius magni Petri Canisij, cui erat commendatus, vsus, quorum concionibus, disputationibus, consilijs, impensius delectabatur, ab illis se hausisse magna ex parte affirmat, si quid in pietatis exercitatione, et continuis Deo laudibus persoluendis, profecisse alijs videtur: virum profectò Ecclesiasticum, et vitiorum quæ in clero passim obrepserant, acerrimum extirpatorem, meritò sibi Sendomiriensis ora gratulatur, ita vt non immerito huius temporis, Episcopi Cracouienses, partes suas in exercendis iudicijs ipsi committere non dubitauerint, vel potiùs inuitum ad id officij genus pertraxerint, Doctoris enim Iuris vtriusq; insignibus quondam condecoratus, in iure dicendo peritissimus ab omnibus reputatur. Adiungam et his Martinum Wroblouium Archidiaconum, Romæ in Collegio Gregoriano Theologiæ primùm auditorem triennialem, et in Gymnasio sapientiæ, Theologum Doctorem creatum. Quid verò dicturus sim de Adamo Steinhalen Custode Sendomiriensi nuper defuncto à Regia Maiestate, cui multò tempore in sacris peragendis inseruierat, ad hanc dignitatem ex Canonicatu euecto, viro integerrimum, (nec vulgari eruditione præditum fuisse constat? Qui Ecclesiam Sendomiriensem preciosis vestibus sacris, argenteis Candelabris, libris ritualibus argenteis laminis exornatis, egregiè auxit, Varssauiæ morte inopinata extinctus, magnum nobis desiderium sui reli-

reliquit. At hic totum studiorum suorum cursum Romæ in Collegio Germanico, Germanus ipse, sub præceptoribus Iesuitis absoluit, qui cùm esset omnibus gratissimus, etiam Canonicatum Varmiensem consecutus fuerat. Nec dissimilis status censetur Rodgerius, ipsi reginæ à sacris itidem Canonicus Sendomiriensis, Italus quidem, sed qui multum temporis Græcij, Styriæ, in aula Serenissimorum Archiducum Austriæ insumpserat, vbi frequens Iesuitarum Collegium, et doctis viris abundans, eum permouit, vt & sacris initiaretur, & munus sacellani apud Reginam obiret. Nec prætereundus est Paulus Radocius Scholasticus, Viennæ in Collegio Soc. IESV *Philosophicis studijs excultus, iudicio, & consilio eleganti. Georgius verò Mlodecius meus intimus, & charissimus prætereundusné est? cuius virtuti hactenus nescio quæ fata obstitêre: tot annis Secretarij munere perfunctus, tot laboribus cùm esset in ærarij regij negotijs expediendis exercitatissimus, planè attritus: In Moschouiticis expeditionibus assiduus, stipendiorum solers annotator, & placandis aulæ, & militum animis in ærarij defectibus, mirus artifex, apud omnes acceptissimus, & in rebus difficillimis semper eandem serenitatem, & affabilitatem animo retinens: Is in Prælatura Custodiæ Sendomiriensis successerat illi insigni Adamo Steinhalio, sed curis immensis, præsertim in subducendis rationibus confæderatorum, militum quorum tota ratio, non in calculis sed in armis continebatur, pene obrutus, ad cælestem quietissimam transiuit vitam, Successore nobis relicto Matthia Lubieniecio, Secretario Regio, viro integerrimo, & in negotijs*

tum Regijs tum totius Reipub. exercitatissimo. Cùm antea in Canonicatu Sendomiriensi, successorem accepisset Stanislaum Grochouium, Secretarium Regium, in subducendis ærarij rationibus exerceri cæptum. Młodecij industriæ imitatorem egregium, eique nec pietas, nec eruditio in scholis Iesuitarum quondam hausta, defuisse vnquam visa est. Adducam Stephanscium Canonicum, & pastorem Stęzicensem virum elegantioris ingenij, qui peragratis tot Christiani orbis prouincijs, cognitione rerum externarum, et linguarum peritia vt potè Gallicæ, & Italicæ instructissimus redierat in Poloniam, & in Collegium Canonicorum Sendomiriensium cooptatus, Societati IESV *præclarum perhibet testimonium, quibuscum, per omnes Prouincias conuersari consueuerat. De Laurentio Radzinski nihil attinet dicere, qui cùm Societatem ingressus esset, & multis annis in eadem perseuerauerit, ab eadem ob infirmiorem valetudinem, & pietatis erga parentem officium, & alijs iustis de causis dimissus, Cardinalis Radziuili auctoritate, in numerum Canonicorum Sendomiriensium relatus: et nunc eundem affectum erga Societatem retinere conspicitur. Sed nec omittam Christophorum Łącki Suffraganei Wladislauiensis germanum fratrem Schydlouiensis Ecclesiæ pastorem; quem nullibi nisi Vilnæ apud Patres Soc.* IESV *dedisse literis operam constat, eo tamen profectu, vt possis existimare Italicis studijs aliquando eum incubuisse; si suauitatem, & concinnitatem verborum ad res ipsas tractandas perpenderis: voluit tamen religionis ergo, Romam excurrere, tum vt corona doctissimorum patrum Soc.* IESV

oblecta-

oblectaretur: tum vt Romanos ritus cum nostratibus conferret. Matthias verò Post Secretarius regius, & eiusdem nominis Klosinski, tametsi nunquam Iesuitis praeceptoribus vsi sint, eos tamen summa amoris, & beneuolentiae significatione colunt, & obseruant. Idem asserere possum de nostro Lukomscio viro solertissimo, nec minus docto, & erudito, praesertim Iuris Canonici peritissimo, sed qui non fastidit, quandoq; pias, & disertas conciones ad clerum et populum facere. Se Canonicum esse Sendomiriensem, tanti facit, vt ibi sedem suam fixam esse cupiat, excitata, sumptu non exiguo, domo murata, tanquam ab incendio tutiore. Non desunt etiam extra Collegiatam Sendomiriensem multi illo nostro tempore, superstite adhuc Greg: 13. summo Pontifice è gente Polona nobilissimi viri, qui in eodem Collegio studia Theologica, Philosophica, & humaniora praeceptoribus Iesuitis amplexi, post Illustrissimi, et clarissimi euaserunt. Quid censetis; qualis fuerit Sanctae memoriae Bernardus Macieiowski Illustrissimus S. Romanae Ecclesiae Cardinalis, Luceoriensis primùm, post Cracouiensis Episcopus, demum Archiepiscopus Gnesnensis primas regni, et primus princeps? Qualis Paulus Wolucki Episcopus Luceoriensis, vel qualis euasurus fuisset Albertus Brzezinski si fata non obstitissent qui iam fermè Cancellarij munere, apud illum magnum Rozrazouium Episcopum Wladislauiensem fungebatur? Quid verò de Illustri Faelice Crisio nunc regni Cancellario sentiendum est? cuius acutissimum quis non admiretur ingenium; eloquentiam singularem, et in decisionibus litium expeditam, et promptam

dicendi facultatem? mitto eiusdem fratrem Albertum, Woinas, Sapibas, Wolouicios, Potulicios, Herbortos, Opalinscios, et illum doctissimum Vilcinium, aëre Polonico, cum primum in patriam rediisset, mox sublatum, plurimosq; alios. At hi omnes vno eodemq; tempore vnà nobiscum easdem frequentârunt classes, et non illibenter fatebuntur se quandoq; in scholis Iesuitarum versatos (comparatis quidem aliunde non mediocribus suæ dignitatis præsidijs) ad tantum fastigium honorum euectos esse. Prætermitto alios æquè Illustres, ac præclaros viros, qui in idem fastigium mox ascensuri præclarum Iesuitis suæ institutionis reddituri sunt testimonium. Sed penè exciderat mihi mei amantissimus Thomas Bucki Iuris vtriusq; Doctor, Custos Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaëlis in arce Cracouiensi, Pastor Paczanouiensis eruditissimus; cuius virorum clarorum, et Illustrium in regno hoc, præsertim sextidecimi seculi Elogia, paribus Elogijs celebranda existimo, hic præter reconditam Theologicarum & Iurisprudentiæ rerum scientiam, non solùm ex quibusuis Historicis petitam, tum temporum, personarum, & actionum peritiam consecutus est; verùm eius styli elegantiam proximè ad Iouianam accedentem, sententiarum grauitatem, & succinctam, ac concinnam quandam rerum, & verborum connexionem, sic admirari soleo; vt putem eo in genere, in nostris oris non multos reperiri, qui cum ipso componi possint. Hic Hispania, Gallia, Italia, Germania, peragrata principia illa studiorum quæ in Collegio Soc. IESV *Posnaniensi hauserat adeò excoluit, vt doctiorne, an probior sit difficilè dijudices:*

dijudices: nam & in concionibus non solùm disertum, sed & efficacem: in regenda, & adornanda Ecclesia sua, sedulum, nec sumptui parcentem, omnes prædicant amant, & obseruant. Petrum Valigorium, Præpositum Vislicensem, Thesauri regij in arce Cracouiensi Custodem, quis nesciat, Iesuitas summa beneuolentia, & amore complecti? & ex illorum exercitijs pietate, omnimoda redundare? mihi verò amicitiæ iure esse deuinctissimam, probè scitis. At fortasse Medicos aliquot celebres, vt in medium proferam optabitis? instar multorum erit nobis noster Nicolaus Leopoldus Sendomiriensis, qui in scholis patrum Soc. Iesu Philosophicis præceptis instructus, talis medicus ab omnibus censetur, & habetur, vt totus Sendomiriensis tractus vix habeat parem. Non minoris prudentiæ, et eruditionis in eadem arte censendus est, Ioannes Ponikowski, Doctor egregius, qui et si omnium graduum in Academia Cracouiensi, præter medicam professionem consecutus fuerat laureas, tamen nostris patribus Collegij Sendomirien: suam operam cum summo amore, & beneuolentia coniunctam, ita probare contendit, vt inter illos diu versatus esse videatur, tanta inest viro, pietas et religio, cum probitate morum coniuncta. Idem de Andrea Marcisouio fratre tuo, Doctore Medico dicere ausim Marcisoui: cùm vterq; vestrum tantùm apud Iesuitas profecerit, quantum quisq; sibi ad clariorem nominis accessionem addi optauerit. Memini Vilnæ frequentiorem medicorum ex scholis Iesuitarum fuisse prouentum, qui tametsi Schismaticos habuêre parentes, ita tamen in Philosophicis studijs in Collegio Vilnensi profecerê vt

longo interuallo me coauditorem superauerint. Ex his fuit præcipuus Basilius Milinicus, qui quondam suum erga me studium etiam carminibus Græcis celebrauerat, tum alter Momonicius, illum defunctum hunc adhuc superstitem esse accepi. Simon autem Botrinius Prutenus vir Italicis studijs impensiùs delectatus vnà cum Illustri Chotkieuicio quondam Capitaneo Samogitiæ, Bononiam ab Eustachio Volouicio Castellano Vilnensi tutore missus, & demum in aulam Serenissimi *regis Stephani accitus, primum post Archiatrum locum obtinuerat. Certè non externis Gymnasiis, sed patrum* Soc. IESV *quicquid sciuisset se debere profitebatur: & non solùm Philosophum, & medicum peritum; verùm et pöëtam insignem fuisse, testantur carmina Elegiaca elegantissima, quibus vnicuiq; morbo; mira arte remedia præscribuntur: vltimum remedium clauserat elegia, mihi adscripta, et dedicata: viuatné adhuc, an in alteram vitam transierit, incertum est. Nec præteribo Iacobum Grodicium, Ioannem Borek, Cyranium, et alios, Posnaniæ medicos prestantissimos, Petrum item Klisseuium, et Laurentium Lemkie Lublini, viros in eadem facultate nobilissimos, qui et accepti à Societate in suis gymnasiis beneficij præstantissimam gerunt memoriam, et se illius fuisse aliquando in literis alumnos vbiq; prædicant clarissimè.* Sed *hactenus de medicis. Nnec miror si aliqui reperiantur, qui Iesuitarum institutioni obtrectent, ignauissimi ipsi qui cùm prima tyrocinia Physices attigerunt, territi difficultate vlterioris progressus; satis habent, si experientias quasdam obtrudant, quibus tot ægrotos in Orcum se demisisse vix abest,*

vt non

vt non glorientur. Ne tamen isti obijciant nullum medicorum in Societatem *adscriptum esse, vel non admissum, tametsi mihi non adeò compertum sit, pluresnè vel pauciores fuerint. Compertum tamen habeo, Vincentium Brunum natione Italum, patria Ariminensem medicum insignem fuisse: curandis ægrotis pluribus annis operam dedisse, tandem* Societatem *ingressum etiam Collegio Romano fuisse præfectum: virum certè insignis prudentiæ, & modestiæ, & scriptorem egregium. Idem dicitur de Alphonso Pisano; Philosophicis disciplinis excultissimo, & medicinæ scientissimo, qui Romæ Aristotelem præclarè est interpretatus, tum & in nostram Poloniam profectus, strenuam operam Catholicæ Ecclesiæ aduersus nouatores hæreticos Nauauit, & tandem Calisij in Collegio* Soc. *Iesu Karnkouiano, postquam pluribus annis, in tractandis hominum conscientijs eos qui ad sacerdotium aspirabant præclarè erudiuisset, vltimum vitæ huic mortali, vale dixit. Nostra certè Polonia vidit vnum è* Societate *Guilhelmum Adiutorem, vt illi secundum gradus, et ordinem personarum vocant temporalem, qui ita peritus in arte medica fuit, vt quidam Magnates Regni etiam Episcopi, nullius, nisi eius opera in curanda sua valetudine vti voluerint. Extat adhuc memoria imò & asseruatur à plerisq; descriptio eius conficiendi pharmaca probatissima ægro potissimum capiti summè proficua.*

CAPVT XVI.

Iesu-

quiiis habuit; quàm vt de Collegio Societatis Iesu Cameneci erigendo cogitaret, quamuis rebus angustis, ob tenues Episcopatus reditus premeretur: nibilominus ingenti animo opus aggressus, non prius destitit; quàm cùm scholas aperiri, et iuuentutem studiorum causa eò accurrere vidisset, vir si quis alius singulari pietate deuotione comitate ornatissimus, ob quam ille iam Archiepiscopus Leopoliensis est renunciatus. Collegium Leopoliense varijs procellis: iactatum; nec satis æquum animum, præsertim cleri et magnæ partis ciuium, nactum, fundatione nobilitatis, et promotione regia stat; stabitq; per Dei gratiam, sartum, tectum: Et ita Leopoliensis Diæcesis suo quoq, Collegio non caret i quod angustias suas nonnunquam cùm placidiores v ent afflauerint, est dilatatiurum.

CAPVT XV.

Prælati, & Canonici, insignis Collegiatæ Ecclesiæ Sendomiriensis, qualis sint erga patres Soc. Iesu propensionis, Tum an ex scholis Iesuitarum, etiam in Polonia, aliqui Illustres, & præclari viri prodierint.

SED vt ab Episcopis ad olios quoq; spiritualis Ordinis viros ex quibus non minus quidam genere Illustres, quam pietate, doctrina, virtutibus præstantes occurrunt, sermonem transferamus non continebo me quin in laudes meorum

orum Collegarum insignis collegiatæ Ecclesiæ Sendomiriensis, excurram eo nomine, quòd & erga Societatem propensum animum gerant, et se quandoq; à patribus literis excultos esse fateri non diffitentur. En primus se offert Henricus Firleius vir ad dignitates publicas, & honores sublimes obtinendos, ac Illustri Familiæ ipsius debitos iam pridem destinatus, qui antea Secretarij maioris, & regni Referendarij titulo perfunctus: sensim ad altiora subsellia sua virtute sibi ascensum comparauit, si modò Præpositra Miechouiensis thiaræ Episcopali exequata, vel altera Plocensis vasalis equestribus nobilitata, minor existimetur: quam vt cum aliquo tenui Episcopatu conferri queat. Præteritis tamen comitijs senatoria dignitate auctus Procancelarij regni, cum applausu omnium munus sibi delatum, ita administrat, vt nulla vnquam ætas eximiam ipsius laudem abolitura sit. Attamen hic tantus vir non fastidit se quondam Canonicum Sendomiriensem dici, & vocari, & Iesuitas quondam præceptores suos fuisse agnoscere. Cui in Canonicatu Sendomiriensi successit, vir æquè, tum generis nobilitate, tum iudicij acumine ex erudita iurisprudentia comparato insignis Andreas Lipski, Scholasticus Cracouien: & Plocensis Sac: Regiæ Maiesta: Secretarius, qui sæpius in legationibus remotioribus, & grauissimis obeundis operam suam omnibus reddidit comendatissimam. Ioannes Wezik Præpositus eiusdem Ecclesiæ idem Canonicus Cracouiensis, & Archidiaconus Lublinensis, quondam Ioannis Tarnouij Archiepiscopi Gnesnensis, & Primatis regni Cancellarius, sacris, & Canonicis studijs insigniter eruditus, cultiorum

tiorum literarum profectum tribuit Iesuitis, & multùm se illis debere, suis literis ad me datis testatus est. At verò Ioannes Wielicki Decanus Bransbergæ primùm, deinde Ingolstadij, magna familiaritate patrum Soc. IESV *præsertim illius magni Petri Canisij, cui erat commendatus, vsus, quorum concionibus, disputationibus, consilijs, impensius delectabatur, ab illis se hausisse magna ex parte affirmat, si quid in pietatis exercitatione, et continuis Deo laudibus persoluendis, profecisse alijs videtur: virum profectò Ecclesiasticum, et vitiorum quæ in clero passim obrepserant, acerrimum extirpatorem, meritò sibi Sendomiriensis ora gratulatur, ita vt non immerito huius temporis, Episcopi Cracouienses, partes suas in exercendis iudicijs ipsi committere non dubitauerint, vel potiùs inuitum ad id officij genus pertraxerint, Doctoris enim Iuris vtriusq; insignibus quondam condecoratus, in iure dicendo peritissimus ab omnibus reputatur. Adiungam et his Martinum Wroblouium Archidiaconum, Romæ in Collegio Gregoriano Theologiæ primùm auditorem triennialem, et in Gymnasio sapientiæ, Theologum Doctorem creatum. Quid verò dicturus sim de Adamo Steinbalen Custode Sendomiriensi nuper defuncto à Regia Maiestate, cui multò tempore in sacris peragendis inseruierat, ad hanc dignitatem ex Canonicatu euecto, viro integerrimum, (nec vulgari eruditione præditum fuisse constat? Qui Ecclesiam Sendomiriensem preciosis vestibus sacris, argenteis Candelabris, libris ritualibus argenteis laminis exornatis, egregiè auxit, Varsauiæ morte inopinata extinctus, magnum nobis desiderium sui reli-*

reliquit. At hic totum studiorum suorum cursum Romæ in Collegio Germanico, Germanus ipse, sub præceptoribus Iesuitis absoluit, qui cùm esset omnibus gratissimus, etiam Canonicatum Varmiensem consecutus fuerat. Nec dissimilis status censetur Rodgerius, ipsi reginæ à sacris itidem Canonicus Sendomiriensis, Italus quidem, sed qui multum temporis Græcij, Styriæ, in aula Serenissimorum Archiducum Austriæ insumpserat, vbi frequens Iesuitarum Collegium, et doctis viris abundans, eum permouit, vt & sacris initiaretur, & munus sacellani apud Reginam obiret. Nec prætereundus est Paulus Radocius Scholasticus, Viennæ in Collegio Soc. IESV *Philosophicis studijs excultus, iudicio, & consilio eleganti. Georgius verò Mlodecius meus intimus, & charissimus prætereundusné est? cuius virtuti hactenus nescio quæ fata obstitêre: tot annis Secretarij munere perfunctus, tot laboribus cùm esset in ærarij regij negotijs expediendis exercitatissimus, planè attritus: In Moschouiticis expeditionibus assiduus, stipendiorum solers annotator, & placandis aulæ, & militum animis in ærarij defectibus, mirus artifex, apud omnes acceptissimus, & in rebus difficillimis semper eandem serenitatem, & affabilitatem animo retinens: Is in Prælatura Custodiæ Sendomiriensis successerat illi insigni Adamo Steinhalio, sed curis immensis, præsertim in subducendis rationibus confœderatorum, militum quorum tota ratio, non in calculis sed in armis continebatur, pene obrutus, ad cælestem quietissimam transiuit vitam, Successore nobis relicto Matthia Lubieniecio, Secretario Regio, viro integerrimo, & in negotijs*

tum Regijs tum totius Reipub. exercitatissimo. Cùm antea in Canonicatu Sendomiriensi, successorem accepisset Stanislaum Grocbouium, Secretarium Regium, in subducendis ærarij rati onibus exerceri cæptum. Młodecij industriæ imitatorem egregium, eiquè nec pietas, nec eruditio in scholis Iesuitarum quondam hausta, defuisse vnquam visa est. Adducam Stephanscium Canonicum, & pastorem Stęzicensem virum elegantioris ingenij, qui peragratis tot Christiani orbis prouincijs, cognitione rerum externarum, et linguarum peritia vt potè Gallicæ, & Italicæ instructissimus redierat in Poloniam, & in Collegium Canonicorum Sendomiriensium cooptatus, Societati IESV *præclarum perhibet testimonium, quibuscum, per omnes Prouincias conuersari consueuerat. De Laurentio Radzinski nihil attinet dicere, qui cùm Societatem ingressus esset, & multis annis in eadem perseuerauerit, ab eadem ob infirmiorem valetudinem, & pietatis erga parentem officium, & alijs iustis de causis dimissus, Cardinalis Radziuili auctoritate, in numerum Canonicorum Sendomiriensium relatus: et nunc eundem affectum erga Societatem retinere conspicitur. Sed nec omittam Christophorum Łacki Suffraganei Wladislauiensis germanum fratrem Schydlouiensis Ecclesiæ pastorem; quem nullibi nisi Vilnæ apud Patres Soc.* IESV *dedisse literis operam constat, eo tamen profectu, vt possis existimare Italicis studijs aliquàndo eum incubuisse; si suauitatem, & concinnitatem verborum ad res ipsas tractandas perpenderis: voluit tamen religionis ergo, Romam excurrere, tum vt corona doctissimorum patrum Soc.* IESV

oblecta-

oblectaretur: tum vt Romanos ritus cum nostratibus conferret. Matthias verò Post Secretarius regius, & eiusdem nominis Klosinski, tametsi nunquam Iesuitis præceptoribus vsi sint, eos tamen summa amoris, & beneuolentiæ significatione colunt, & obseruant. Idem asserere possum de nostro Lukomscio viro solertissimo, nec minus docto, & erudito, præsertim Iuris Canonici peritissimo, sed qui non fastidit, quandoq; pias, & disertas conciones ad clerum et populum facere. Se Canonicum esse Sendomiriensem, tanti facit, vt ibi sedem suam fixam esse cupiat, excitata, sumptu non exiguo, domo murata, tanquam ab incendio tutiore. Non desunt etiam extra Collegiatam Sendomiriensem multi illo nostro tempore, superstite adhuc Greg: 13. summo Pontifice è gente Polona nobilissimi viri, qui in eodem Collegio studia Theologica, Philosophica, & humaniora præceptoribus Iesuitis amplexi, post Illustrissimi, et clarissimi euaserunt. Quid censetis; qualis fuerit Sanctæ memoriæ Bernardus Macieiowski Illustrissimus S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Luceoriensis primùm, post Cracouiensis Episcopus, demum Archiepiscopus Gnesnensis primas regni, et primus princeps? Qualis Paulus Wolucki Episcopus Luceoriensis, vel qualis euasurus fuisset Albertus Brzezinski si fata non obstitissent qui iam fermè Cancellarij munere, apud illum magnum Rozrazouium Episcopum Wladislauiensem fungebatur? Quid verò de Illustri Fælice Crisio nunc regni Cancellario sentiendum est? cuius acutissimum quis non admiretur ingenium; eloquentiam singularem, et in decisionibus litium expeditam, et promptam

dicendi facultatem? mitto eiusdem fratrem Albertum, Woinas, Sapibas, Wolouicios, Potulicios, Herbortos, Opalinscios, et illum doctissimum Vilcinium, aëre Polonico, cum primùm in patriam rediisset, mox sublatum, plurimosq; alios. At hi omnes vno eodemq; tempore vnà nobiscum easdem frequentârunt classes, et non illibenter fatebuntur se quandoq; in scholis Iesuitarum versatos (comparatis quidem aliunde non mediocribus suæ dignitatis præsidijs) ad tantum fastigium honorum euectos esse. Prætermitto alios æquè Illustres, ac præclaros viros, qui in idem fastigium mox ascensuri præclarum Iesuitis suæ institutionis reddituri sunt testimonium. Sed penê exciderat mihi mei amantissimus Thomas Bucki Iuris vtriusq; Doctor, Custos Ecclesiæ Collegiatæ S. Michaëlis in arce Cracouiensi, Pastor Paczanouiensis eruditissimus; cuius virorum clarorum, et Illustrium in regno hoc, præsertim sextidecimi seculi Elogia, paribus Elogijs celebranda existimo, hic præter reconditam Theologicarum & Iurisprudentiæ rerum scientiam, non solùm ex quibusuis Historicis petitam, tum temporum, personarum, & actionum peritiam consecutus est; verùm eius styli elegantiam proximè ad Iouianam accedentem, sententiarum grauitatem, & succinctam, ac concinnam quandam rerum, & verborum connexionem, sic admirari soleo; vt putem eo in genere, in nostris oris non multos reperiri, qui cum ipso componi possint. Hic Hispania, Gallia, Italia, Germania, peragrata principia illa studiorum quæ in Collegio Soc. IESV *Posnaniensi hauserat adeò excoluit, vt doctiorne, an probior sit difficilè dijudices:*

dijudices: nam & in concionibus non solùm disertum, sed & efficacem: in regenda, & adornanda Ecclesia sua, sedulum, nec sumptui parcentem, omnes prædicant amant, & obseruant. Petrum Valigorium, Præpositum Visliceнsem, Thesauri regij in arce Cracouiensi Custodem, quis nesciat, Iesuitas summa beneuolentia, & amore complecti? & ex illorum exercitijs pietate, omnimoda redundare? mihi verò amicitiæ iure esse deuinctissimam, probè scitis. At fortasse Medicos aliquot celebres, vt in medium proferam optabitis? instar multorum erit nobis noster Nicolaus Leopoldus Sendomiriensis, qui in scholis patrum Soc. Iesu Philosophicis præceptis instructus, talis medicus ab omnibus censetur, & habetur, vt totus Sendomiriensis tractus vix habeat parem. Non minoris prudentiæ, et eruditionis in eadem arte censendus est, Ioannes Ponikowski, Doctor egregius, qui et si omnium graduum in Academia Cracouiensi, præter medicam professionem consecutus fuerat laureas, tamen nostris patribus Collegij Sendomirien: suam operam cum summo amore, & beneuolentia coniunctam, ita probare contendit, vt inter illos diu versatus esse videatur, tanta inest viro, pietas et religio, cum probitate morum coniuncta. Idem de Andrea Marcisouio fratre tuo, Doctore Medico dicere ausim Marcisoui: cùm vterq; vestrum tantùm apud Iesuitas profecerit, quantum quisq; sibi ad clariorem nominis accessionem addi optauerit. Memini Vilnæ frequentiorem medicorum ex scholis Iesuitarum fuisse prouentum, qui tametsi Schismaticos habuêre parentes, ita tamen in Philosophicis studijs in Collegio Vilnensi profecerê vt

 lon-

longo interuallo me coauditorem ſuperauerint. Ex his fuit præcipuus Baſilius Milinicus, qui quondam ſuum erga me ſtudium etiam carminibus Græcis celebrauerat, tum alter Momonicius, illum defunctum hunc adhuc ſuperſtitem eſſe accepi. Simon autem Botrinius Prutenus vir Italicis ſtudijs impenſiùs delectatus vnà cum Illuſtri Chotkieuicio quondam Capitaneo Samogitiæ, Bononiam ab Euſtachio Volouicio Caſtellano Vilnenſi tutore miſſus, & demum in aulam Sereniſſimi *regis Stephani accitus, primum poſt Archiatrum locum obtinuerat. Certè non externis Gymnaſiis, ſed patrum Soc.* IESV *quicquid ſciuiſſet ſe debere profitebatur: & non ſolùm Philoſophum, & medicum peritum; verùm et pöetam inſignem fuiſſe, teſtantur carmina Elegiaca elegantiſſima, quibus vnicuiq; morbo; mira arte remedia præſcribuntur: vltimum remedium clauſerat elegia, mihi adſcripta, et dedicata: viuatnè adhuc, an in alteram vitam tranſierit, incertum eſt. Nec præteribo Iacobum Grodicium, Ioannem Borek, Cyranium, et alios, Poſnaniæ medicos preſtantiſſimos, Petrum item Kliſſeuium, et Laurentium Lemkie Lublini, viros in eadem facultate nobiliſſimos, qui et accepti à Societate in ſuis gymnaſiis beneficij præſtantiſſimam gerunt memoriam, et ſe illius fuiſſe aliquando in literis alumnos vbiq; prædicant clariſſimè.* Sed *hactenus de medicis. Nnec miror ſi aliqui reperiantur, qui Ieſuitarum inſtitutioni obtrectent, ignauiſſimi ipſi qui cùm prima tyrocinia Phyſices attigerunt, territi difficultate vlterioris progreſſus; ſatis habent, ſi experientias quaſdam obtrudant, quibus tot ægrotos in Orcum ſe demiſiſſe vix abeſt,*

vt non

vt non glorientur. Ne tamen isti obijciant nullum medicorum in Societatem *adſcriptum eſſe, vel non admiſſum, tametſi mihi non adeò compertum ſit, pluresnè vel pauciores fuerint. Compertum tamen habeo, Vincentium Brunum natione Italum, patria Ariminenſem medicum inſignem fuiſſe: curandis ægrotis pluribus annis operam dediſſe, tandem* Societatem *ingreſſum etiam Collegio Romano fuiſſe præfectum: virum certè inſignis prudentiæ, & modeſtiæ, & ſcriptorem egregium. Idem dicitur de Alphonſo Piſano; Philoſophicis diſciplinis excultiſſimo, & medicinæ ſcientiſſimo, qui Romæ Ariſtotelem præclarè eſt interpretatus, tum & in noſtram Poloniam profectus, ſtrenuam operam Catholicæ Eccleſiæ aduerſus nouatores hæreticos Nauauit, & tandem Caliſsij in Collegio* Soc. *Ieſu Karnkouiano, poſtquam pluribus annis, in tractandis hominum conſcientijs eos qui ad ſacerdotium aſpirabant præclarè erudiuiſſet, vltimum vitæ huic mortali, vale dixit. Noſtra certè Polonia vidit vnum è* Societate *Guilhelmum Adiutorem, vt illi ſecundùm gradus, et ordinem perſonarum vocant temporalem, qui ita peritus in arte medica fuit, vt quidam Magnates Regni etiam Epiſcopi, nullius, niſi eius opera in curanda ſua valetudine vti voluerint. Extat adhuc memoria imò & aſſeruatur à pleriſq; deſcriptio eius conficiendi pharmaca probatiſſima ægro potiſſimum capiti ſummè proficua.*

CAPVT XVI.

Ieſu-

Iesuitæ, an sint Mathematicarum scientiarum, præsertim Astronomiæ ignari, Prædictionum Astrologicarum, vanitas, & futilitas demonstratur.

Subsiste hic parumper Cicboci, Marcisouius adiecit; adferam enim quòd me nuper à quodam, non tam doctrinæ quàm supercilij eminentioris medico, audiuisse contigit. Ex Iesuitarum inquit scholis: non posse bonos prodire medicos, eò quod Astrologiam habeant exosam, & discipulis, illius studio interdicant, cùm certum sit Astrologiam ita subseruire medicinæ, vt sine eius præsidio, frustra pharmaca, & potiones administrentur. Ad corporum enim humanorum ægritudines pellendas, astra etiam influere contendebat, cùm ad subigendam terram eadem necessariò concurrere compertum sit: corporis verò potiorem rationem habendam. Hinc natæ passim Ephemerides, ex quarum arbitrio necesse est secari venam, excernere melancholica, pituosa, biliosa, quin & vomere, oculis mederi, imò & vngues præsecare. Quæ cùm omnia irrideant, & explodant Iesuitæ non mirum est, si ex studijs illorum nemo vnquam medicus paulò celebrioris nominis prodierit; Iesuitæ autem non tam quòd Astrologiam minùs necessariam esse existiment, quàm quòd eam ignorent, & percipere nequeant, damnant. Hæc vbi ille effatus; vix continui me quin attollerem cachinnum, ô profundam inquio artem, quæ subtilitate suà non potuit penetrare rudiora scilicet Iesuitarum ingenia, & cur non eandem Ægyptiorum antiquorum

quorum more, qui astrorum motus, & obseruationes summo studio considerauerant, amplectantur, nisi quòd hebetem, nec tam perspicacem nacti sunt industriam aliquis obganniens medicus perfricta dixerit fronte: cuius cerebrum si conferas cum Vilalpando, Clauio*, & alijs tum in Mathematicis, tum in Astronomicis exercitatissimis è Societate viris, in fumum euaporabit, nec quiduis aliud præter barbam acuminatam ipsi supererit. Et metuo ne idem contingat illi, quod Ioanni Manardo Ferrariensi med.co celeberrimo, cui prædixerat Astrologus eam in fouea periturum: vitabat igitur omnes fossas, scrobes, atq; foueas, quoad vxore ducta perijt. Extat in Elogijs Iouij talis in illum locus. In fouea qui te periturum dixit aruspex. Vates verus erat, coniugis illa fuit. Et mirum est quantopere desipiant plerumq; isti medici, vera sapientia, quin potius pietate, destituti. Idem Iouius in Elogijs refert, Petrum Leonium Spoletanum, qui primus ferè prolato Galeno, veræ medicinæ limen aperuit, Astrologiæ, & veteris Magiæ peritissimum fuisse. Hic cùm sibi subitæ mortis periculum portendi ex aqua cognosceret, Patauio Venetijsq; in Vmbriam, & Spoletum emigrauit, vt frequentes nauigationes effugeret. Mox vbi ad Laurentium Medicem vocatus esset, & ex astrorum fallaci scientia, morbum salubrem esse prædixisset, omnemq; benè agendi occasionem prætermisisset, à Lazaro Placentino Illustri medico (qui à Ludouico Sfortia Ticino missus, sera afferebat remedia) reprehensus, atq; adeò omnibus inuisus, post mortem Laurentij incertum, an desperatione actus, an à Petro*

Laurentij filio, in proximo Caregio villæ in puteum præceps datus, mergitur. Videntur quidem quandoq; vera prædicere, vt patet ex his exemplis à me allatis, sed sancti Augustini attendenda est, cautio. Quando inquit Astrologi vera dicunt, tum multo diligentius sunt cauendi, quia satis hoc clarum signum est, eos pactum cum dæmone iniuisse. Sicut *permisit Baalam Ariolum prophetare, sæpe etiam permittit, ob nimium quærentium curiositatem cum ipse præmonuerit, etiam si dixerint nobis, & ita euenerit, ne credatis. Cæterum permittit aliquando Deus Astrologos etiam ignaros, & nescientes verum prædicere, in pœnam audientium. Sed tanta est istorum qui nihil faciunt, nisi consultis astris, insania, vt etiam quidam Symphorianus Campegius Arnoldus Villanouanus, non dubitauerit Antichristi aduentum, circa annum salutis 1355. ob conuentum trium planetarum superiorum in Aquario, vel circa annum 1464 fore prædicere. Quemadmodum & Æneas Syluius de Alphonso prodit, quendam Petrum de monte Ilicino, in Constantiensi Concilio prædixisse Sigismundo Cæsari, & Ioanni 23. Papæ & hunc cum gloria Romam rediturum, & Cæsarem ab eodem corona Imperiali condecorandum. At cùm* Synodus *Ioannem summo Pontificatu abdicásset, &* Sigismundus *ingressu Italiæ abstinuisset, arguentibus plerisq; Petrum qui adeò manifestè mentitus esset: mihi de duobus stultis, inquit ille, iudicandum fuit, de quibus vera profari ne Ptolomæus quidem potuisset, nec ausim dicere, an Petrus ille fuerit medicus, an quispiam alius ex prophano Astrologorum grege, satis est, manifestè con-*

Lib. 5. de Ciuit Dei cap. 7.

Deut. 13

Lib. 4.

conuinci, quotquot sunt, mendacij. Obseruatu dignum censeo, quodrefert Nicetas de Manuele Comneno Imperatore Græco, qui Siciliensi clade audita, in malè auspicatum classis egressum omnia retulit, & ne in posterum simile quid accideret, Astrologorum pensitatis diligenter rationibus, classem nouam, duce Constantino Angelo eduxit, quæ simul in Siculum fretum peruenit, à Rogierio rege capta est, eorundem delirijs ita seductus fuit, vt licet instante fatali die, nihilominus quatuordecim annos se superuicturum assereret. Et quoniam vanissimi homines motum vniuersi orbis, & maximorum syderum congressus, & concursus, ventorumq; procellas ingentes, & vniuersitatis rerum pene mutationem prædicebant, & non solum annos, menses, hebdomadas, sed dies etiam, & horæ punctum designare non verebantur, ita vt non ipse modo Imperator speluncas, & meatus subterraneos contra ventorum impetum inquireret, & ad habitandum præpararet, & palatiorum fastigia demoliretur, sed & ministri, et cognati, & adulatores eius ijsdem rebus intenti, partim formicarum instar cauernas effodiebant, partim tentoria tripliciter consuebant, & vectes cubitales, quominus tabernacula concuterentur acuebant. Idem Nicetas luculentius testimonium de eiusmodi vatibus edidit dum ait, Nostris temporibus, Imperatores nihil sine præscripto Astrologorum agunt, & rebus gerendis, dies atq; horas deligunt, vt sydera dictârunt. Itaq; Alexius Bizantinus Imperator, diu cunctatus quando opportunè Blachernas rediret: tandem dies, & hora ex astris eliguntur: redit & quidem ita fœliciter vt cum primùm

Lib: 2.

Choniates Nicetas lib. 7

se moueret, terra ante ipsum profundè dehisceret, & ipso quidem incolumi: Alexius gener eius, & multi illustrium in specum delaberentur, læderenturq́; Eunuchus verò vnus è gratiosis planissimè periret. En & hic veracem, ac fælicem artem, quam Deus de industria ridendam sic propinat, vt nos auertat. Noster verò Lipsius in monitis, & exemplis pulchram habet de eiusmodi prædictionibus enarrationem, dum de fato disserit. Non arbitramur, inquit, prudētia aliqua scrutari posse, quo tendant fata; sed distinguenda tota res est, indicijs aut notis, quas vir prudens ex lectione, ex vsu, & obseruatione similium collegerit; aliquid suspicari, aut præsumere de fatis id fortasse licet, sed cautè & timidè. At ex artibus Magorum, Diuinorum, Ariolorum, Mathematicorum, etsi quod aliud tale genus, id vero nefas est, nec diuina, aut humana lex permittit; imò etiam & falsa Mahometis, et illa Romana, Mæcenas apud Dionem in oratione ad Augustum, Diuinos et vates in Republica prorsus esse non oportet. Multos verò hi tales, dum vera quædam, plura falsa proferunt, ad res nouas impellunt: Et quid tam proprium istis, quam magna, et blanda prædicere, & animos ad fortunæ fastigia attollere? facili nostra credulitate tanquam peritia, & monitu fatorum, ait Tacitus, prædicantur, & cupidine humani ingenij, libentius obscura credi; et ad scelus ab huiusmodi votis transitur. Hinc conspirationes in principem, aggressiones, deiectiones, vt scitè Statius, nos prauum, et debile vulgus, scrutamur penitus superos, hinc pallor, et ira, hinc scelus insidiæq́, et nulla modestia voti. Altera causa, fallacia; nihil in prædictionibus istis firmum, nihil ex arte certa (quidquid assimulent) haustum

Deut. 18. lib. 3.

1. hist. li.

stum, et qui veriora dixisse videntur, à genijs habent, sed praui, sed ipsi, quam ament, et gaudent nos fallere, id quoq; scim⁹. Quid quòd inuiti etiam fallunt? neq; enim sunt omniscij, et quanquam subtiles, et arcanorum Dei per notas scrutatores; tamen aberrant, et abyssum illam fati non peruadunt. Itaq; iterum benè Tacitus: Mathematici genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. Certè vtrumq;, nam, et potentes destituunt aut decipiunt, aliò transgressi, aut vanitatibus fallunt. Patere ait Lipsius iocosè Seneca, aliquando Mathematicos vera dicere, patior inquit, et tot sagittas cum emittant, vnam tangere, aberrantibus centenis. Enimverò ridiculi principes, qui huc se donant. Vide Agripinam Neronis matrem, quæ mortuo Claudio domi eum aliquando tenuit, et famam de morte suppressit, vt progressui scilicet, et auspicijs, tempus prosperum ex monitis Chaldeorum (ita Tacitus) attentaret, ô dij tetigit? Quam salutaris ille Rector, quàm diuturnus, quàm sibi, & illi lætus etiam fuit, Hæc Lipsius. Quid igitur mirum est; si Iesuitæ ab hoc diuinandi genere, quod petitur ex astris abhorreant, et promotores ac magistros talium deliriorum detestentur, quorum insania vt adnotauit quidam, hoc argumento potest deprehendi, quòd cum in vniuersali temporum constitutione ipsa experientia sæpissimè refellantur; audeant tamen de particularibus, euentibus magno supercilio magnas nugas profundere; mendacia priuata, vulgo infamia habentur, et pœnis etiam coercentur: publica vero istorum etiam præmijs coluntur. Tantum potest inueteratus error, et dolendum est Sophistas istos nugaces artem pulcherrimam vulgi annuo ludibrio prostituisse, ne otiosam Philosophiam Annal. 12

habere videretur. Falsum igitur est damnari Astronomiam ab Iesuitis, in qua tractanda multi hactenus excelluêre: nec adeò abstrusam, & reconditam ab illis putari, vt eam assequi non possint, quasi verò paterentur, a supputatoribus calculorum, vel Iudæorum, vel mercatorum se superari, si inde aliquod commodum, et emolumentum speraretur? Sed cùm non ignorent Astrologiam istam syderum, in quouis negotio consultricem, vanam, et superstitiosam esse, meritò fastidiunt, et discipulos suos à tali studio abducunt. Astronomia enim legitima, et concessa, nititur vniuersalibus veris, et in commutabilibus principijs, et scientiam consequitur, artis suæ, veluti reuolutiones annorum, Ecclipsion, stationum, retrogradationum, coniunctionum, oppositionum, et similium, Astrologia vero, quò longius ab vniuersalibus abit, et ad particulares, singularesq; euentus propius accedit, eò à scientia, et certitudine longius recedit, et mendacio vanitatiq; se arctius adiungit. Obseruatu tamen id dignum esse censeo, quòd cùm quotannis tot Ephæmerides, a varijs conscriptæ prodeant, in præfationibus dedicatorijs, nihil aliud legas, nisi celebratas ab istis Astrologiæ laudes, vix tamen alicui per suadere possunt, ea, quæ ab eis in commendationem suæ artis promuntur, vera esse, et non potius contemnenda. Et ne longior sim, remitto hos Astrologulos ad D. Augustinum, et ad recentiores magni nominis viros, Picum Mirandulanum, Scaligerum, Delrium in disquisitionibus Magicis, & nostrum Pererium Iesuitam: ex quorum testimonijs discent, quàm longè absint à veritate, et proximè ad vanitatem, ne dicam insaniam accedant.

LIBER

Summulæ, seu Synopses Capitum.

CAPITIS PRIMI.

De Venetorum religione, Quas pœnas irritatis summis Pontificibus dederint, Acultis ab se quid præmii reportauerint.

CAP. II.

Pietas Venetorum, in structuras templorum, & in Elemosinas erogatas comendata.

CAP. III.

Luxus, & aliorum præsertim circa artem militarem vitiorum, apud Venetos abundantia, In hęreses,& schismata proclinitas.

CAP. IIII.

Cum hęreticis consuetudo suspecta, Leges latę in pręiudicium Ecclesię, Soc. Iesu iniqua proscriptio, Argumenta religionis non sincerè cultę obuia.

CAP. V.

Piorum hominum eiectionem ruinam esse ciuitatum, Tum an Veneti ex Iustitia ac rebus fortiter gestis,aliquam laudem promereantur.

CAP. VI.

Prudentia Venetorum impugnata, & propugnata.

CAP. VII.

Iustitia, patrię amor, liberalitas, hospitalitas, conuiuiorum splendor, opes ex mercatura comparatę, gratitudo erga benemeritos expenduntur.

CAP. VIII.

Venetos nunquam in hęresim prolapsos, Illorum industria, Excommunicationum non inultus contemptus, De excommunicationibus hæreticorum, diuersę sententię.

CAP. IX.

Mercatura deceatne nobiles,& ingenuos, Eius sordes ex auaritia,Cauponum ditionis Venetę inuisum genus, An commodiori modo per Poloniam,& Lituaniam itinera conficiantur.

CAP. X.

Mercaturę defensio, tum quantę commoditates Rebuspublicis, & vrbibus, imo religioni Catholicę, ab illa proueniant, maximè Venetorum opera.

CAP.

CAP. XI.

Antiquitas Nobilitatis Venetę, & Romanę, apud Barbaros tumor nobilitatis quantus, tum & apud Iudæos qualis fuerit, Turcas nobilitatem non ęstimare.

CAP. XII.

Christianam religionem non tollere nobilitatem, sed sine virtutibus vacuam & inanem esse, statuere. Nobilitatis Venetę, & Polonę attributa, Vanitas Matthię Hungarię regis.

CAP. XIII.

Quantum tribuendum sit Nobilitati Polonę, In sacerdotiis conferendis spectandane sit generis nobilitas, optimorum parentum multos filios peruersos fuisse, obscurorum multos prȩclarissimos.

CAP. XIIII.

An iustè à Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, excludantur Plebeii quamtumuis idonei.

CAP. XV.

Nobilitatis & seruitutis origo vnde, Nobilitatem à notitia deduci, Ingeniorum ex virtute nobilitas quam præclara.

CAP. XVI.

Iudicium Reuerendi Doctoris Foxii, Canonici Cracouiensis, de lege contra plebeios lata.

CAP. XVII.

Rectè in Rebuspublicis ordinem nobilem à plebeio discerni, ita tamē vt inferioris sortis ob virtutum merita, idq; principum iudicio, ad honores pateat aditus, multorum Imperatorum & clarissimorum virorum exemplo, Tum qui propriè dicantur, Nobiles.

CAP. XVIII.

Recensentur nonnulli, ex humili genere in altum euecti, insolentiores facti, & à fortuna deturbati. Ecclesiasticos gradus, plurimum à Politicis differre. Nobiliorum virorum, ex virtutibus conspicuorum, in Ecclesiis maioribus potiores partes esse debere, Tum quędam de Abbatiis, & Academia Craconiensi.

CAPITIS XIX.

Inter Iesuitas multos nobili stemmate ortos, etiam ex ordine Senatorio reperiri, Tum externorum quę ratio habenda.

LIBER

LIBER QVARTVS.
Summulæ, seu Synopses Capitum.

CAPITIS PRIMI.

Mercatura impugnata, & propugnata, Tum quantæ commoditates Rebusp: & vrbibus, imo Religioni Catholicę, ab illa proueniant, maximè Venetorum opera.

CAP. II.

Antiquitas nobilitatis Venetę, & Romanę, apud Barbaros tumor nobilitatis quantus, tum apud Iudęos, qualis fuerat, Turcas nobilitatem non ęstimare.

CAP. III.

Christianam religionem, non tollere nobilitatem, sed sine virtutibus vanam statuere Nobilitatis Venetę, & Polonę attributa, vanitas Matthię Hungariæ regis.

CAP. IV.

Quantum tribuendum sit nobilitati Polonę, & an in sacerdotiis consequendis spectanda sit generis nobilitas. Optimorum parentum, multos filios peruersos fuisse obscuriorum, multos pręclarissimos.

CAP. V.

An iuste, à Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis excludantur plebeii quantumuis idonei.

CAP. VI.

Nobilitatis, & seruitutis origo vnde. Nobilitatem à notitia deduci, Ingenuorum ex virtute nobilitas, quam præclara.

CAP. VII.

Iudicium Doctoris Foxii Canonici Cracouien: de lege contra plebeios lata.

CAP. VIII.

Rectè in Rebuspub. ordinem nobilem, à plebeio discerni, ita tamen vt inferioris sortis, ob merita, idque principum iudicio, ad honores pateat aditus, multorum Imperatorum, & clarissimorum virorum exemplo, Tum qui propriè dicuntur nobiles.

CAP. IX.

Recensentur nonnulli ex humili genere in altum euecti insolentiores facti, & à fortuna deturbati. Ecclesiasticos gradus multum à politicis differre. Nobilium virorum virtutibus conspicuorum in Ecclesiis potiores partes esse debere. Tum quędam de Abbatibus, & Academia Cracouien.

LIBER

LIBER QVARTVS.
CAPVT I.

Mercatura impugnata, & propugnata, Tum quantę commoditates Rebusp. & vrbibus, imo Religioni Catholicæ ab illa proueniant, maxime Venetorum opera.

SED diutius, quam par est fortassis, hæsimus circa domestica, penè obliti nos adhuc in itinere, & quasi in diuersorio versari: præstat igitur vt assurgamus, inter eundum confabulaturi. Cum vero a domo longiusculè absumus, sumam eam dicendi oportunitatem, quæ cum præcedentibus alloquijs cohæreat. Nam peragrata Polonia, Anglia, Scotia, Germania, & Gallia, æquum est vt etiam superemus Alpes, & introspiciam⁹, nunquid & Italia ipsa, suppeditatura nobis sit, pro continuãdo nostro sermone materiem. Quam vero? Venetorum inprimis maximam in mercando solertiam. Sed de mercatura ipsa in vniuersum aliquid prius præmittendum. Lego apud Thebanos, & Ægyptios, iuxta legem patriam, neminẽ ad magistratum, & munera publica admissum, nisi prius à mercimonijs destitisset annos decem; adeo exosa apud illos fuit auaritia, et nimium lucri studium. Imò passim veteres olim, mercaturam negligebant, cum frugales adhuc viuerent, & suis quisq; opibus contenti essent. Itaque Hesiodus in suis ἔργοις *agriculturam summis* Allexan: libro 4. cap: 6.

 laudi-

laudibus extollit, non verò mercaturam veluti luxus, voluptatum, et auaritiæ famulam. In Græciam certè post Colchicam Argonautarum nauigationem (siue ea heroum fuit, siue quod verisimilius est mercatorum) omne genus calamitatum fuit inuectum. Narratur de Iacobo primo Scotorum Rege, illum mutata veste velut priuatum maximè inter mercatores se immiscuisse, in quibus hoc vt inhumanum reprehendit, quod apud eos ad conuiuium vocati soluere, velut in publico diuersorio, factas cogerentur expensas. Præclarum & illud extat de mercatura Theophili Imperatoris Græci iudicium: Appulit aliquando ad regiæ Constantinopolitanæ portum, nauis oneraria pondere sarcinarum grauis, eoq; vsq; ad extremum vinculum demersa. Imperator Theophilus supernè prospectans, nauemq; admiratus, per pedissequum, cuius ea esset percontatus; vt Augustæ suæ vxoris esse cognouit, à mercatura reductam, quam nautæ ab Imperatrice missi in Syriæ partibus fecissent: si quid sarcinarum in naui haberent, id statim efferre eos iussit, & nihil quod ad Augustam pertineret, attingere. Quo facto pulsis inde nautis, Græco igni iniecto, nauem cum ipsis sarcinis cremauit, Imperatricem maledictis insectatus, mercaturam inquiens, priuatis hominibus esse attributam, vt ea tolerandæ vitæ occasionem habeant, nec mercaturæ emolumenta, à principibus intercipienda esse, vnde tenuioris fortunæ homines victum comparant. Quid dicturus esset nunc, hic bonus Imperator, de nobilitate nostra Polona, quæ postpositis artis militaris exercitijs; tota fermè in mercatoriam industriam intenta, malè acquisitas conglome-

Hector Boet: lib: 17.

Zonaras & Cedrenus.

glomerat opes. Et tametsi mercatura, tanquam quid sordidum, & ingenuo homine indignum, legibus ipsis prohibita sit; tamen perruptis legum cancellis, quibus circumscripta est, ita passim exercetur; vt opidanis, & tenuioris fortunæ hominibus, omnem rationem tuendæ rei familiaris, præripuisse, & intercepisse videatur: ipsa ceruisiarum decoctrix, meracis vini distractrix, & cremati adustrix effecta, non patitur subditos suos quæstum aliquem inde facere: sed quod decoctum, & adustum est, suis colonis distrahendum committit, nec vult aliquid emolumenti ad illos deriuari. Iam vina, haleces, panni cuiuslibet generis, cupediæ, aromata condiendis cibis, salis subuectiones, nullibi quam apud nobilitatem frequentius prostant, vel emenda, vel permutanda. Frumenta non quidem illa, quæ ex agris proprijs proueniunt, sed quæ in publico foro coemuntur, magnum apportant lucrum, ob libera nobilitati indulta vectigalia, quæ interpositis crebrò periurijs, & confictitijs literis, subterfugiuntur, & nescitur, quo pacto à peculatu excusari queant. Boum, et pecorum palliata mercatura, quæ hyemali alimento sæpius eluditur, nobilitati peculiaris, et quasi innata reputatur, ita vt et ab illis qui arma tractant, & pro patria tuenda excubant, non alio quam mercatorum, et institorum nomine censeatur, contemptimq; domesticæ culinariæ curatrix, vocitetur; apud quam nec generosum equum, nec arma, nisi rubigine excesa reperias: de clypeo vt eum videas, non sis solicitus, sclopetos tamen frequentiores reperias, non contra hostes quidem, sed vt in sua viscera, cum benè pota fuerit, deseuiat.

deſæuiat. Abſit tamen vt de tota nobilitate idem ſentiam; noui enim plerumq; à ſua profeſſione, non diſcrepantem; ſed intra conditionem Equeſtrem, ſe continentem, cùm et hoſpitalitatem maximè erga externos mirificè colat, et ab auaritia longiſſimè abſit. Vulgari enim generi mercatorum illud familiare eſt, vt quò ditiores ſunt, eò longius ab hoſpitalitate abeant: & ad ſordes et victus parſimoniam, magis procliues eſſe deprehendantur. Et hæc hactenus contra mercaturam. Pro eadem apud ſcriptores multa obſeruaui, quæ ad commendationem eius videntur pertinere: non tamen de illa vili, et abiecta, aut inſtitoria, vel circumforanea nundinarum oberratrice pugnauerim, ſed pro illa præclara, et eximia, quorumuis periculorum contemptrice, quam etiam principes viros, non puduit quandoq; exercuiſſe, vel ſaltem authoritate, edictis, et immenſis ſumptibus, promouiſſe. Quod fecêre Hiſpaniæ, et Luſitaniæ reges; tum et ipſi Cæſares, et Imperatores. Nondum certè habuiſſemus vtramq; Indiam cognitam, ſi mercatura aditum ad eam noſtro orbi non patefeciſſet. Si ex magnanimitate animi æſtimatur nobilitas, quid illis magnanimius, qui tam barbaro elemento, ac fragili ligno, vitam, et fortunas concredunt ſuas? non infames ſcopulos, et acroceraunia perhorreſcunt, non pyratas metuunt, non procellas, non furibundi maris æſtus, gnari mobiles, et fluctuantes aqueas propugnare, et expugnare arces, et cum hoſte ita congredi, vt nec peritiam militarem, nec generoſi animi indolem, aut ſyderum curſus, & Gnomonis nautici, peritiam ſingularem, in illis deſideraueris. Quod ſi tam vaſti maris dimenſiones

siones mathematicas, vel globi terræ, Geographicas delineationes, situumq; distantias intueri volueris: Nullibi quàm apud eosdem militarem artem, cum liberali Matheseos studio, coniunctam esse arbitrabêre. Inde enim aromatum ex oriente conuehendorum spe concepta Lusitani, nouum orbem aperuêre: deinde succrescentibus ex negociatione opibus, magnam copiam auri et aromatum, in Europam importauêre. Vbinam sunt illi, qui sola generis nobilitate inflati, otiosi intra priuatos desident parietes, tam ad militiam inepti, quàm ad mercaturam minus idonei. Poggius carpit Neapolitanos, qui præ cæteris Italis nobilitatem præseferunt, eamqué in desidia, atq; ignauia collocare videntur. Nulli enim rei, præterquam inerti otio intenti, ex suis possessionibus vitam fouent: nefas est nobili rei rusticæ, aut suis rationibus cognoscendis operam dare. Sedentes in atrijs aut otiantur, aut equitando tempus terunt; & tametsi improbi fuerint, dummodo priscis domibus orti sint, se nobiles profiteri non erubescunt; mercaturam, vt rem turpissimam vilissimamq; borrent; adeò fastu nobilitatis tumentes, vt quantumuis egenus, & inops sit, potiùs fame interire, quàm filiam opulentissimo mercatori matrimonio collocare malit: mauultq; furtis, & latrocinio, quam honesto quæstui vacare. Huic contraria Venetorum consuetudo, inter quos nobilitas, ab reliquo populo distincta, mercaturam exercet: omnes enim qui Reipub. muneribus funguntur, quiq; ex ordine Senatorio sunt, nascuntur atq; appellantur nobiles. Hæc Poggius. Ego certè otiosum, & solo sanguine tumentem, odi, & vix dignum hac vita censeo.

Lib: de nobilitate.

seo. Tolle mercaturam, quot emporia nobilissima simul sustuleris? vrbes splendore, & opibus euacuaueris, societatem mutuam nationum diuersarum abruperis: origines, mores, leges, & consuetudines gentium, tetra caligine obduxeris, & quod maximum, et præcipuum est, viam Christianismo ad gentes, à cognitione Dei alienas, obstruxeris. Refert Cranzius in Vandalia, Iulinum præclarum Vandalorum emporium, circa annum Christi Nongentesimum, quale vix tota habuit Europa fuisse: Ibi Russi, Dani, Saxones, et ipsi Vandali lege iurare cogebantur: nullam se nouæ religionis facturos mentionem; quominus Ethnicus illorum cultus turbaretur; et sic tandem commune ius municipij aduenis erat cum eius oppidi ciuibus. Hæc Cranzius. Vnde colligitur, mercatorum opera, præsertim in nostris septemtrionalibus quibusdam oris, Christianismum inuectum, vt de Liuonia, et Prussia constat. Illi enim præclari viri zelo Christianæ religionis ducti, faciliore negocio nauigiis mercatorum delati, doctrinam Euangelij propagârunt, prout de Meinhardo in Liuoniam delato scriptores prodidêre. Quanquam non negauerim, corrupto hoc seculo, et ad interitum inclinante, hæreses, opera mercatorum passim sparsas, & disseminatas in maritimis vrbibus, quæ vtinam imitatæ fuissent prudentiam illam Iulinorum Ethnicam, atq; iuramento quodlibet genus mercatorum obstrinxissent, ne auitam, et antiquam religionem semel ab eis receptam interturbare, nouis opinionibus auderent: alioquin eos ad se non admissuras. Sed prudentiores sunt filij huius seculi, filijs lucis. At hæretici omni conatu cauent, ne quis in ditionibus,

bus, quas vel per fraudes occupauerunt, vel extirpata Catholica religione, in proprijs vrbibus, hæreses grassari permiserunt: ausit, quid Catholicum asserere, imo ne mutire. Sed & hoc nostro seculo, non vsq; adeò mercatum in Christianismo disseminando, suum officium neglexisse dicenda est. Nam cùm diu latuisset ille orbis nobis incognitus, hæc effecit, vt & nobis desierit esse incognitus, & occasione sua præbuerit Christianismo aditum, ad illas barbaras gentes, inuectis ad illas oras pijs sacerdotibus, religiosis diuersorum ordinum, maximè illis qui ex Soc: Iesu sunt. Nec enim poterant sine nauigiis mercatorijs, tam immensa pelagi spacia, ad portus & emporia celeberrima præteruolare, ex quibus in varias insulas, vsq; ad ipsos Sinarum populos, Christi doctrinam propagârunt. Legat qui voluerit literas Iaponicas, vel Maphæi Historiam Indicam percurrat, inueniet optimè illud Isaiæ vaticinium in eos referri posse: quemadmodum Fridericus Lemnius, vir excellenti doctrina, retulisse fertur. Sic enim habet Isaias: Ite, inquit, Angeli veloces, ad gentem conuulsam & dilaceratam, ad populum terribilem; post quem non est alius. Et cùm ad Indorum populum hoc vaticinium accommodâsset, his verbis in eodem explicando vtitur: Porrò, qui per veloces Angelos, ad populum terribilem missos, intelligendi sint, nulla apud eos difficultas est, qui nouerunt, quàm sanctam, quàm candidam, quàm irreprehensibilem agant vitam illi Patres, qui Romani Pontificis authoritate, velut Angeli, & deuotione alacres, et spiritu feruentes, per vastissimi maris pericula, in illum incognitum orbem transuolauerunt.

Lib: 2. extremo Indicil die cap: 6.

Cap: 18.

runt. Quare Isaias, in synagogæ persona, pro rei nouitate,
Isa: 6. *admirabundus intuens eos, quærit alibi: qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras è nubibus eos comparauit, partim propter celerem illorum obedientiam, partim propter affluentem verbi Dei prædicationem, & gratiam, qua Spiritu sancto corda ipsorum intus illustrante, documenta cœlestia, verius infundunt, quam dicunt: vel partim, ut verbis Hilarij vtar, quia vltra terrenam originem, mortalemq; degentes, se in sensum cœlestem, et vitam ut ita dicam, aëream transtulerunt: Hactenus Lemnius, qui tamen nunquam in societatem adscriptus fuerat. Verè igitur Angelos non tam currentes, quam præteruolantes dixerim, & similes negociatoribus, quærentibus bonas margaritas, qui omnia vendunt, quæ habent, ut comparent eam: qui facti sunt tanquam nauis Institoris, de longè portans merces suas. Vident certè, et degustant, quia bona est negociatio illorum, quorum lucernam impij conantur quidem extinguere, sed nec nocte extingui patietur eã Deus omnipotens. Et ipsi quidem mercatores spiritualium mercium, etiam opera mercatorum terrenorum, non putant sibi indecorum vti. Primus Pater, et fundator illorum Beatus Ignatius, Venetam quondam conscenderat nauem, ut in terra sancta negociaretur, expositis ibidem præclaris cœlestibus mercibus: sed Deus præpotens, cum inde illum retraxisset, ut etiam Venetijs negociaretur, permisit, conciliatis plurimorum piorum & proborum erga illius institutum animis; ac primum quidem optimo successu, & lucro animarum inæstimabili; nisi alter ille negociator tar-*
tareus

tareus (qui circuit quoque, & oberrat, vt merces vna cum ipsis mercatoribus deglutiat, & deuoret) hanc negociationem Patribus Soc. Iesu inuidisset. Promeruerant equidem eximiam laudem quondam Veneti mercatores, quorum opera, & industria magni precij merces in Italiam & Venetias inportatas esse legimus: id est tot corpora sanctorum, tot reliquias Martyrum, Confessorum, & Virginum, vt cum Romana vrbe certare Venetiæ possint, atq; vtinam et nunc suas mercaturas, tali studio cohonestare pergerent, quemadmodum olim summo studio, per Græciam, et nationes Barbaras, corpora Sanctorum, perquisita, et aquisita Venetijs collocarunt, vt ex Insula Chio, corpus Beati Theodori Martyris, et lapidem in quo Christus, apud Tyrum resederat Venetias transtulerunt. Similiter Sancti Rochi Narbonensis corpus ad Annum 1400. *arte sublatum, & Venetias deportatum, templo Augusto, cum celebri collegio illi dato, hactenus multa veneratione ibidem colitur. Tandem sub Annum* 1426. *Sancti Marci corpus, Bonus Medoacensis, et Rusticus Torcellanus Veneti, cum decem nauibus Alexandriam delati, Sancto Tauratio Monacho, et Theodoro præsbytero, magnis pollicitationibus persuasêre, vt Diui Marci corpus sibi traderent; quandoquidem illud templum demoliri induxisset in animum Ægyptius Sultanus. Ac ne incolæ subitò, rem deprehenderent, dissecto occultiori parte pallio, quo corpus ipsum erat obuolutum, intactis sigillis, quibus in antica parte erat munitum*

Sabel: lib. 21. dec. 1. & lib: 9. Æ nead. 8

diuæ Claudiæ, aliud pro eo, quod acceperant, incluserunt. Ferunt interim, tantam odoris fragrantiam, ex ipsa æde manâsse, vt factus sit ad locum concursus ingens, potueritq́; res facilè deprehendi, nisi pallium immotis signis fuisset conspectum. Iam verò ne alicuius temeritate, tantum facinus detegeretur, sacrum onus in sportam coniectum, herbis, suillaq́; carne, circumuoluerunt, a qua pertinacissimè Saraceni abstinent, et ne preciosissimum furtum ab illis, qui naui omnia scrutari solent deprehenderetur, velis obuolutum corpus, atq; antennis alligatum, malo suspendunt. Demum suspecto litore soluentes, læti Venetias abière: à tota ciuitate veneranter excepti. Similiter et Sancti Nicolai Mirrhensis Episcopi corpus, coniuncta cum Barrensibus ciuibus opera, Veneti negotiationis causa, Antiochiam profecti, Mirrham diuerterunt, & fixis in littore, tribus milliaribus, ab oppido distante, anchoris, per exploratores didicerunt, templum illud tantum à tribus Monachis custodiri; in quod ingressi, oratione ad Deum concepta, corpus beatum abstulerunt, & ex Græcia schismatica, iam Turcis subiecta, Barrhum, in Italiam detulerunt. Et ferè Græcorum sanctorum Patrum omnia corpora, vtpotè, Chrisostomi, Athanasij, Gregorij Nazianzeni, in Italiam maximè opera mercatorum translata: Romæ, Venetijs, & alibi summa veneratione coluntur, & pro muro aheneo Græcis desertoribus, et Turcis opponuntur. Ausit itaq; quis contemnere mercatorum pietatem, solicitudinem, industriam, qua freti, maximas res aggredi non dubitauerunt, et Catholicum orbem sanctorum Dei corporibus, et reliquijs repleuerunt. Certè

Vrsonus Archiep: Baren: Ioannes Barina Sigonius lib: 9. Regni Italici.

non

non pudet, neq; puduit vnquam Venetos mercaturæ suæ; quæ etsi magnas illis opes comparauerit, tamen extra crimen auaritiæ, etiam nunc versantur: Cùm tot templà, tot xenodochia, tot Monasteria condunt, erigunt, donant; in publica ædificia tantos expendunt sumptus, in armamentarium, et apparat⁹ bellicos, nullis parcunt impensis; vt immeritò illis tantas opes aliquis inuideat. Hæc igitur animo accipe, et versa Cochleui, & tum demum lites inter me, et Cicbocium componere aggrediare. Tùm Cochleuius, quasi abrupto alloquio, immiscuit nonnulla.

CAPVT II.

Antiquitas nobilitatis Venetæ, & Romanæ, apud Barbaros tumor nobilitatis quantus, tum apud Iudæos qualis fuerit. Turcas nobilitatem non æistimare.

EGregium verò te mercatorum propugnatorem Marcissoui præstas, quos ita cum nobilitate exæquas, vt si liceret, præferre, & anteponere illam velle videaris. Sit ita sanè, et in gratiam tuorum Venetorum, facilè et ego concesserim, Venetos cum mercaturam exercent, nihil se contra dignitatem, quæ ex nobilitate profluit facere existimare, eo saltem nomine, ne nimis contentiosus tibi videar, vel ne hominem felle carentem, ad fouendas dissensiones, excitem. Nam cum nobilitas, vel ex longa à maioribus deducta serie, vel ex virtute, & præclare factis constet:, concedo vtrumq; rectè Venetis tribui posse. Nam antiquitatem suam metiuntur ab Anno Domini 421. Tametsi Sabellicus ex Strabone Lib: 2. Ænead.

hone antiquiorem originem eis tribuat, & ad Æneam, vel Antenorem referat, siue ad Ænetos clarissimam Paphlagonum nationem. Inde Romani oriundi, hinc Veneti; vtrumq; populum ad splendorem, & gloriam natum scribit. Romanum felicem magnitudine imperij, et rerum gestarum gloria: Venetum diuturnitate imperij, & iuris exæquatione. Sed longè præclariorem nobilitatem ducunt Veneti, ex celeberrimis factis; ita vt etiam Græcum Imperium, vna cum Constantinopoli occupauerint, et septuaginta ferè annis tenuerint: præter Cyprum, Cretam, & nonnullas Insulas, Ionij maris, vt prætercam Iliricum, et magnam Dalmatiæ *partem. Vnde putamus erga Slauonicam gentem; hoc est, nostram originem, propensissimis animis esse. Et non minus nostram nobilitatem admirari, quàm suam magni facere solere. Et si quidpiam de nobilitate dicendum est, ne extra propositum diuagari videamur: missis Venetis instituamus nunc sermonem, ex Anatomia Cichociana petitum, in qua moleste fert Cichocius, ab illo impostore Anonymo Iesuitis exprobrari, quod pauci inter eos nobilibus parentibus orti reperiantur, & ferè plebeij quasi ob contemptum nobilitatis, Collegijs eorum præficiantur; vbi Cichocius contendit id falsum esse; vel etiam si verum fuerit, Iesuitas non sanguine, sed virtute nobilitatem metiri consueuisse. Atq; inprimis cùm ego de nobilitate generis quidpiam fuerim locutus: liberum erit vtrinq; vestrum, contra ea quæ attulero loqui. Non tamen asseram nobilitatem, sine virtute, veræ nobilitatis nomen mereri; sed quod virtus nobili*

bili

bilitati inserta, tanquam preciosa gemma auro inclusa censeri debeat affirmare non dubitabo. Constat autem Aristotelem definiuisse, nobilitatem esse, antiquam maiorum virtutem, vel vt reliqui ex Philosophorum grege rectius definiunt; esse splendorem nominis comparatum meritis, vel propriis, vel alienis, quam Græci εὐγένειαν *dicunt: Vtrouis modo distinguuntur nobiles à plebeijs; Nec satis est illud Satyricum adducere: Nobilitas sola est, atq; vnica virtus, si excluseris* εὐγένειαν, *siue propaginem, à maioribus, tanquam per lineam deriuatam, quam solam nunc iactare videntur, qui volunt dici, & haberi nobiles. Nobiles verò Romæ dicebantur, quorum patres, aut maiores magistratum curulem gesserant, & nouis hominibus opponebantur: siue ij patritij essent siue plebeij; sed succedente tempore, patritij, perspicuè, ac dilucidè à nobilibus distinguebantur, teste Pediano de verbis iuris: vnde patritijs hoc peculiare erat, lunulas in pedibus habere, hoc est fibulas eburneas, corniculantes instar lunæ, quod à Numa institutum ferunt, ne nimis extollerentur, indulgentia fortunæ fauentis, sed admonerentur instabilitatis rerum humanarum, exemplo lunæ, quæ modò clarissima nitet orbe pleno, modo omni splendore viduata, ad nihilum redit. Sed ad ciuitatem Romanam, in ipso ortu Imperij, quilibet cooptabantur, vel potiùs cogebantur ciues Romani, ex vicina colluuie collecti, aliundè profugi, oberrati, quibus non erat tutus ob facinora enormia inter suos locus. At sub ipsam Venetæ vrbis originem, cùm vndique magnis*

Alex: li: 5 Cap: 18.

magnis pollicitationibus aduenæ ad incollendam vrbem, homines rei maritimæ, naualisq; fabricæ periti, accerſeruntur; neq; ſeruilis fortunæ quenq; neq; ſiccarium ſceleſtumq; aliquem in eam receptum affirmant. Ex quo manifeſtè apparet, viros illos optimos vrbis conditores, noluiſſe naſcentem ciuitatem praua illa conuenarum colluuione, contaminari. Quod ipſum non modò non fecerunt, illuſtrium vrbium conditores quidam, ſed vltro flagitioſiſſimum quenque, aperto ad hoc ipſum asylo, in ciuitatem euocauerunt: verum illi frequentiæ, hi morum ſanctitati, nobilitatiq; ſuæ conſultum voluêre. At iſta ad fauorem Marciſſouij dicta ſunto. His igitur ita conſtitutis, tranſeamus ad populos tam à Philoſophicis placitis alienos, quàm à Chriſtiana religione remotos, quid & ipſi de hac nobilitate ſenſerint, vt collatione facta, de vera nobilitate feramus ſobrium iudicium, quandoquidem à prandio, vna fortaſſe abſumus hora. Adeò vero hic tumor nobilitatis peruaſerat mentes barbarorum hominum, præſertim Indorum, vt Malabares Indiarum populi, putarent contaminari nobilitatem ſuam, genuſq; ſuum pollui, ſi vir ignobilis eos attigiſſet, et tam inſignem iniuriam, illata cæde miſeris hominibus, ſi in eos incidiſſent, vlciſcerentur. Igitur qui ignobiles ſunt, quoties iter faciunt, voces edere ſonoras coguntur. Nobiles verò cùm eos aduentare ex vocibus præſentiunt, eos deflectere de via iubent; & ſic fit, vt ignobiles mortis, nobiles maculæ ſempiternæ periculum repellant. Apud eoſdem ſi nobilis mulieri coniungitur, quæ nobilis non ſit, aliorum nobilium gladijs conciditur: Similiter & mulieres, quæ eam legem tranſiliunt, idem ſuppli-

Sabel: lib 1. Dec: 1.

Oſorius lib: 2. rerum Emmanuel.

supplicium subeunt. Tanta verò apud antiquos populos Græcos, Ægyptios, Scythas inualuerat de nobilitate concertatio, vt multis sæculis iactata, tandem Tyrannide Turcica oppressa sit, & ferè extincta. Apud Romanos verò lege Papia, & Augusti, & aliorum Imperatorum, decretis in immensum elata; non solum apud Imperatores, vel principes vrbis, sed etiam apud illos, qui opibus, & diuitijs, cum abundarent, non nisi nobiles censeri, & reputari volebant. Caligula Cæsar Agrippæ nepotem se neq; credi, neq; dici, ob ignobilitatem ipsius volebat, maluit matrem suam ex incestu, quòd Augustus cum filia sua commisisset, procreatam, dicere. Non puduit hominem, ne aliqua ex parte ignobiliorem stirpem traxisse videretur, magis se ex incesta propagine, quam ignobiliori, ortum videri. Quòd verò multi, & ex infima plebe, vel obscurioribus natalibus exorti, ementitam nobilitatem, apud Romanos affectauerint, pulchrè Ausonius in diuitem degenerem Mæchogenitum lusit, cuius carmina recitet astans puer: Suetonius.

Quidam superbus opibus, & fastu tumens,
Tantumq; verbis nobilis,
Spernit vigentis clara secli nomina,
Antiqua captans stemmata
Martem, Remumq;,& conditorem Romulum
Primos parentes nuncupans,
Hos ille Serum veste contehi iubet,
Hos cælat argento graui,
Ceris inurens ianuarum limina,
Et atriorum pegmata,

Credo, quod illi nec pater certus fuit,
Et mater est vere lupa.

Polona verò nobilitas, neq; Regum, principum, & heroum filios naturales, nec legitimo thoro prognatos, in ordinem suum vnquam admittere voluit, tantum abest, vt vel spurios, vel incestuoso concubitu prognatos admiserit vnquam: qui neq; apud Plebeios, & vilioris sortis homines locum habent; imo & ab opificijs, et mechanicarum artium exercitationibus, arcentur. Iudæi verò, hanc nobilitatis iactationem adeo vsq; vsurpaiêre, vt solo genere, ab Abraham relato gloriarentur, ita vt necesse fuit Christum Dominum declarare, quibus vera nobilitas, ab Abrahamo ducta competat. Quod & Paulus Apostolus in suis Epistolis non reticet. Verum et posterioribus temporibus, hæc iactatio nobilitatis ita inoleuerit, vt multarum ærumnarum, & totius gentis excidij causa fuerit, præsertim cùm inter ipsos summos Pontifices, de nobilitate, et sanguine generis vsq; ad internecionem certaretur. Mariamne vxor Herodis cum eiusdem sorore Salome, de nobilitate ambitiose certans, illi ignobilitatem generis obijciens, se vero Regio sanguine natam iactabat, vnde illam Salome tanto odio prosequi cæpit, vt non prius ab eo destiterit, quam falsis accusationibus, de adulterio Herodem permouerit, vt dilectissimam alioquin vxorem, extremo affecerit supplicio. Contrario vero modo gens Turcica progreditur, quæ natales suos, suam fortunam esse ducit; quiq; rerum primas a principe tenent, fere sunt pastorum, aut bubulcorum filij: de quo tantum abest, vt eos pudeat, vt etiam inter se glorientur, eoque plus sibi tribuunt,

Ioseph⁹ lib: 15. cap: 11. antiquit:

unt, quo minus maioribus, aut natalium fortunæ debent. Neque enim, aut nasci, aut propagari traducive virtutem putant, sed partim a Deo dari, partim bona disciplina, multoq; labore et studio comparari: vtq; paternam artem nullam, non Musicam, non Arithmeticam, non Geometriam, sic nec virtutem ad filium, aut hæredem transire, nec animam ex semine paterno suscitari, vt filium patris similem nasci necesse sit, sed cœlitus in corpus infundi credunt. Igitur ea in gente dignitates, honores, magistratus, virtutum, & meritorum præmia sunt: improbitas, ignauia, inertia, nullo honore pensantur, iacent contemnunturque. Ergo illi rebus bene gestis florent, dominantur, imperij fines quotidie proferunt. Apud nos alijs viuitur moribus, virtuti nihil est relictum loci, omnia natalibus deferuntur; opinione natalium omnes honoris aditus occupantur. Augerius Busbequius in Itinerario.

CAPVT III.

Christianam religionem, non tollere nobilitatem sed sine virtutibus vanam statuere, Nobilitatis Venetæ, & Polonæ attributa, vanitas Matthiæ Hungariæ regis.

VErum ad ipsum populum Christianam religionem professum, transeundum est, qui etsi lege Christiana vno vinculo amoris, & charitatis, connecti, et nullo respectu personarum obseruato, in vnum ordinem cogi debeat: tamen propter statum vnius cuiusq; conseruandum, distinctos voluit

Deus gradus esse in Ecclesia; vt sint alij in eminentiori loco constituti, alij inferiorem occupent gradum, alij sint qui præsint, alij qui subsint: alij qui imperent, alij qui obediant, cum Ecclesiam, tanquam aciem castrorum ordinatam esse, eloquium testetur diuinum. Spiritualis ordo, cum summo Pontifice supremum obtinet gradum, hunc subsequuntur Imperatores, Reges, Duces, Principes, Nobiles, qui tamen distinctos alibi habent gradus, apud nos est tota nobilitas, eodem iure exæquata. Non igitur tollit Christiana religio nobilitatem: Nam & Christus Dominus, & Regio, & Sacerdotali sanguine nobilitari, quamuis pauperem elegerit vitam, voluit. Similiter & Ioannes Baptista, à nobilitate generis in Euangelio commendatus, hinc per totam Christianitatem generis, et nobilitatis ratio haberi cæpta, etiam legibus Ecclesiasticis defensa, et suum splendorem retinere iussa. Nam etsi seruilis conditio videatur sublata, quam peccati enormitas, in orbem terrarum inuexerat: non tamen status, et conditio diuersorum hominum, ita permisceri debet, vt non possit plebeius, à nobili discerni. Præposterum enim ordinem decernit scriptura esse, si ignobilis contra nobilem tumultuetur: suus itaq; cuique ordini proprius honor, quamuis idem amor omnibus debetur. Sed cùm nobilitas vacua virtute, quasi cortex nucleo carens censeatur, facilè in ignobilitatem degenerat is, qui id solum attendit, quòd sit genere nobilis: vnde scriptura sæpius inculcat, non in nobilitate, nec in diuitijs gloriandum esse, sed in eo quod quis timeat Deum: illos verò, qui Deum non timent, nec reuerentur, forè ignobiles. Pulchrè S. Chrisostomus in Matthe-

Mattheum de hac nobilitate disseruisse videtur, melius, inquit, de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contẽptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est solius, qui autem de contemptibili genere clarus egreditur tota gloria claritudinis eius solius est. qui verò de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis solius eius non est, sed etiam generis: qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo est eius solius. Igitur melius est, vt in te glorientur parentes, quàm tu in parentibus glorieris. Sed remittamus nunc ista, ad scripturæ sacræ interpretes, satis erit, si asseuerauerim⁹ nobilitatem ex virtute siue ea militaris, siue ciuilis sit, prognatam, etiam ipsa virtute conseruari, & acquiri debere. Et mirum est, inter Christianas gentes, doctrina Euangelij imbutas, tantum nobilitati generis tribui, quæ etsi omni virtute, & pietate destituta sit, non tamen illum nobilem censendum esse, qui omnibus virtutibus; sed qui maiorum suorum stemmata ostentet, persuasum habeant. Si Italiam, Hispaniam, Galliam peragraueris, imò si et nostram Poloniam, reperies nonnisi de generis nobilitate controuersias, & lites exoriri graues, quæ etiam sanguine multorum redundare consueuerunt; cum ob leuissimam de propagine concertationem, ad Monomachias, tot prohibitionibus, ab Ecclesia sub Anathematis pœna interdictas, prorumpatur, & infestis concurratur cædibus. Superius de nobilitate dictum est, tanti eam facere Neapolitanos, vt cùm sint aliqui inertes, & desidiosi, imo sub iugum Hispanicum missi, tamen

Boggius de nobilitate. *men virum quendam nobilem, & equestris ordinis, quod aliquando, vt patremfamilias decet, vina ex varijs prædijs collecta, simul vendere erat solitus, pro mercatore velut infamem habuit, vt filiam etiam grandi dote, vix nuptui dare potuerit. Sed quid nobis nunc negotij est cum externis, loquamur de nobilitate nostra Polona, quam ego omnibus gentibus, et nationibus prætulerim, si amori patriæ nimis indulsisse non viderer, ac nisi in licentiam effrenem, & quiduis faciendi libidinem, posterioribus temporibus degenerâsset, nulla gens, nulla natio foret, quam illa humanitate, hospitalitate, affabilitate, & commitate morum, non superauisset. Experimur,* Lib: 1. Poloniæ *quod idem testatur Cromerus, honestatis magnam semper à nobilitate rationem habitam fuisse, fraudem facere, promissum fallere, peierare, mentiri, probrosum, & infame semper habitum: atque etiam nunc habetur, & plerumque non tam magistratuum iudicio, quàm ferro manuque vindicatur; si quid eiusmodi obiectum fuerit, dissimulare probrosum est. Non tamen ita hac nobilitate animi fastus attollitur, vt pudendum aut dedecori affine esse existimetur, si aliqua ex nobilitate iuuentus, in paruum, ac tenuiorum, inferiorumque nonnunquam eorum præsertim, qui magistratus gerunt, ministerium à parentibus; & propinquis tradatur, vel ipsa sese addicat, idque parua, aut nulla mercede, ob solum honestæ educationis studium. Nec rara est in eo vicissitudo, ita vt eum quis habeat in ministerio, cuius parentibus*

tibus

tibus ipse seruierit. Non tamen opus mœchanicum, nobilis herus seruitori ingenuo, quamuis pauperrimo demandat, aut certè audiet, rustico id committendum esse. Et ideo nobiles nobilibus, paresq; genere, & virtutibus, paribus plerunq; inseruiunt, cum honesta, & nobilia seruitia obeunt: contra occidentalium reliquarum gentium consuetudinem, apud quos nobiles nobilibus turpè inseruire putant. Hæc Cromerus. Moschi verò, siue nobiles, siue Magnates illi sint, aut consiliarij, omnes se chlopos magni sui Ducis vocant, quasi viles seruos, & mancipia, quam appellationem, vt probrosam, non ferunt nostri nobiles, ita vt nec ipsi Regi, aut cuipiam ex proceribus, fas sit nobilem hominem, quantumuis suis ministerijs addictum, eo compellare nomine. Libenter quoque nobilitas nostra Polona se adijcit ad seruitia externorum, maximè vicinorum Regum, in quorum castris libenter etiam militat: præsertim homines illi, qui virtute bellica, vel robore corporis præstant. Scribit Olaus Matthiam Regem Hungariæ, cuiusdam nobilis Poloni admiratum esse facinus, qui escam Leoni libero, & famelico abstulit, atque eidem tantum terroris intulit, vt rugire non auderet, nec se loco mouere. Cranzius verò ita scriptum reliquit: Erat in aula Matthiæ Regis Hungariæ Polonus miles, qui sæpe Hungaros ad luctam, & pugnam euocabat, multosque sæpe vincebat, sed iactantia nimia odiosus. Stabat in ferratis claustris immanis Leo. Quis est inquit Polonus, qui famelico Leoni ausit carnem auferre, quam ore comprehenderit, Cranzi, lib: 9. Saxoniæ cap. 24.

cum

at tamen post triginta mensium inducijs pactis, nibilominus ad Christianos Principes, & Pontificem Maximum literis missis, solita vanitate, de Polonis, & Bohemis triumphauit, ac delere se penitus maximos exercitus potuisse iactauit, nisi Christianus Christianis misertus esset. Et non solum vanitate infamis, verùm & induciarum, ac pactorum minimè tenax fuit: fidem facilè prodens, prout in Silesia, & Morauia eum fecisse, idem Cromerus testatur. At illam iactantiam ferendam esse quis existimauerit? quòd Stephani Palatini Valachiæ, de Turcis insignem victoriam, & centum viginti millium Turcarum strage, toto æuo memorabilem, Bassis quatuor, in eo prælio desideratis, & centum, et amplius signis militaribus captis, in se transferre, & gloriam eius ad se pertinere, affirmare non erubuerit: dimissis quoquo versus literis, quibus iactabat, à Præfecto suo Stephano Palatino, Turcas profligatos esse: nec multò tamen, ante contemnendam cladem, ipse ab illo ipso Præfecto, quemadmodum videri volebat, suo acceperat, Stephanum verò constat, secundùm eam victoriam, non ad Matthiam, sed ad Casimirum in Lituaniam, nuncios cum quatuor primoribus captiuis sex, & triginta militaribus signis, ex parte manubiarum misisse, petijsseque, vt Rex cum exercitu Russiam propius accederet, vel solo nominis sui terrore Turcam repressurus, & iusiurandum fidelitatis, eoúsq; dilatum, à se accepturus. Non immerito igitur Fridericus Imperator, Casimirum monuit, vt à Matthia sibi caueret, vtpotè homine fraudulento, vafro, & cupido: seq; deinceps cum ipso, nihil commune habere velle significauit. Talis

igitur et tantus Matthias, vt ad rem redeam, qui conductitia Bonfinij Historici opera, celebre nomen sibi comparauisse visus est, insignem militem, & nobilem Polonum, ob leonem arreptum, non alia de causa, domo sua excedere iussit, quàm quòd timeret, ne proposito præmio, contra se aliquid auderet, qui nulla necessitate adductus, tanto se obiecisset periculo. Metiebatur scilicet ex suo ingenio, Poloni præstantis robur, cùm ex lubrica fide nobilitas Polona, nunquam fuerit notata, cuius semper candidum, apertum, et ingenuum animum, et falli, quàm fallere magis aptum fuisse, perhibeant obuij passim scriptores. At secus de Hungaris, et fertur, et scribitur, quorum semper fides fluctuans fuit, et ferè omnibus nationibus, non solum suspecta, sed et dubia. Prostrauisse verò leonem, an non magni, et generosi fuit animi indicium? potiùs ita fuisset argumentatus Matthias: Si iste tanto robore, & animi magnitudine est præditus, vt Leonem aggredi non dubitauerit, nullo proposito præmio, in hostibus meis, quantam stragem faceret, mea stipendia merens, si foret cum illis pugnandum; idq; exemplo Dauidis Regis, qui affirmabat se Goliam prostraturum, eò quòd Leonem aliquando prostrauisset. Sed inuidia obductus animus, non admittit rectam ratiocinationem: sed quærit diuerticula alia, ne alienis præclarè factis, discrutietur. Rectiùs Cranzius ex ratione physica conclusit: Leonem nullius alterius, quàm impauidi hominis vocem, contremiscere. Et satis de indole liberali Polonæ Nobilitatis, quæ se & apud exteros Reges, vel Principes, tum in rebus bellicis, tum in aulica comitate, et affabilitate,

et in

& in splendore suo generi debito, eam præstitit, vt nulli nationi, hoc in genere cessisse visa fuerit: eandem prorsus in seruitute misera, quam sors bellica illis attulerat, non difficulter retinuisse animaduertite. Chalcocondylas refert, Mahometem Turcarum, Regem secundum, fratrem Bladi Draculæ, Valachiæ Principis filium, cum illecebris, & præbibendo delinire satageret, vt ipsi in sua spurcitie obsequeretur, puerum, gladio, regis fæmore vulnerato, celeri fuga sibi consuluisse: postmodum tamen retractum, eius concubinum factum fuisse. Dispari ratione, duodecim adolescentes Poloni, ingenuo sati sanguine, Adrianopoli capti, stupri vitandi causa, contra Amuratem Turcarum tyrannum coniurârant. Quæ coniuratio cùm detecta esset, à quodam Bulgaro, ipsi seipsos mutuis vulneribus confecerunt, malueruntq; mortem consciscere sibi, quàm libidini tyranni exponi. Hinc apparet, quàm ingenuus vigor, & nobilitatis insitæ honestas, inhæreat mentibus Polonorum, stirpe auita procreatis: nisi fortè iam ille vigor animi pristinus, in alios mores defluxerit, vel potius degenerauerit; quod equidem dolendum esset, præsertim his temporibus deploratissimis, in quibus maiore virtute conandum foret, ne Polona Respublica, ex corruptissimis moribus, in aliquod exitium (quod absit) delabatur. Lib: 9.

CAPVT IIII.

Quantum tribuendum sit Nobilitati Polonæ, & an in sacerdotijs consequendis, spectanda sit generis Nobilitas, optimorum parentum, multos filios peruersos fuisse, obscurorum, multos præclarissimos.

Tum demum Marcissouius quasi continuato sermone, ad hæc quæ effatus est Cochleuius, ita interlocutus est. Ego nolo videri causam prodidisse meam: (fortasse à Venetis defensæ Nobilitatis suæ, Elogium per aliquem Patauini Gymnasij Archipoëtam reportaturus.) Tu verò Cochleui ab Academia Cracouiensi in hoc regno celebri, & doctorum hominum concursu insigni, ne teruncium quidem laudis, & gloriæ consecuturus es; qui nobilitatem adeò effers, vt nihil doctissimis, & in omni genere artium liberalium exercitatissimis viris, tribuisse videare. Ita plerunque fit, vt externa magis admiremur, præ quibus nostra viliora nobis esse videntur: cum tamen, si æquis passibus res essent dimetiendæ, tantum nos domi inueniremus, quantum nec peragratis, et percursis tot regionum, et nationum prouincijs, et vrbibus, reperturi essemus. Equidem quod ad me attinet, tantum tribuo nobilitati Polonæ, et equestri illius ordini, vt si res præclarè gestæ, cum externorum egregijs factis conferantur: si non superiores, pares tamen illis semper fuisse Nobiles Polonos, qui nuper Sarmatæ appellabantur, non difficulter illi iudicauerint, quibus sanius iudicium contigit. Quæ enim natio, quasi in finibus totius Christianitatis excubans, tanto ardore excipit omnes insultus

tus Turcarum, Tartarorum, Getharum, Dacorum, & totius colluuiei, nationum ad Boristenis ostia confluentium, quàm nostra gens ad bella gerenda, & gloriam ex armis consequendam, nata? Dicat quid quisq; velit, murus certè, & antemurale Poloniæ Regnum est illis, vt probè annotauit ille magnus Stanislaus Socolouius Academiæ Cracouiensis decus, & ornamentum singulare, qui post nostros parietes latitant, & nonnisi de religione formata, & reformata, transformata, vel potius informi decertant, & digladiantur: non de placitis quidem Philosophorum, quæ ex cuiuslibet cerebro, prout quisque sibi finxit, vel refinxit enascuntur, sed de decretis diuinis, & Ecclesiæ eius sanctionibus, quæ sub nullius hominis iudicium cadunt, nec cadere possunt: nec satis est, verbis contendere, cùm de religione disceptatur, acerbioribus; sed postquam spiritus incaluerit, qui ex ipsa peruersa voluntate ortum trahit, furore quodam, & afflatu infernali, quandoq; vino, vel crapula excitus, in tantam rabiem prorumpit, vt regnis, & prouincijs magnam vastitatem, & desolationem inferat, vt vos ipsi oculis vestris conspexisse, nuper retuleratis. Verùm ne diutius vtrumque vestrum detineam: poteritisnè me ferre differentem, si ostendero, non tantum me propagini generis, & nobilitati à maioribus decurrenti tribuere, quantum propriæ virtuti, quæ aliquando in infimæ sortis, & generis hominibus, ita se exerit, vt non ex traduce deriuari, sed aliundè infusa esse existimari possit? Nec ego influxui syderum aliquid tribuendum esse, hac in re, existimauerim, verùm potius voluntati, & determinationi diuinæ, in cuius manu, & potesta-

te positum est, etiam de stercore erigere pauperem, & talem, cùm voluerit, collocare posse, cum regibus, et Principibus terræ: ne quis glorietur, tametsi nostratium comitiorum constitutiones, hanc Deo facultatem eripuisse videantur, cùm decernunt, plebeijs hominibus ad nullas dignitates, tam ciuiles, quàm Ecclesiasticas aditum patere debere, tametsi virtutibus, et eruditione ita excellant, vt pauci ex nobilitate, cum eis componi, et comparari possint. Fortasse à Malabaribus Indis has legum sanctiones, nostros nobiles Polonos mutuatos esse putauerim, quos Osorius scribit, vel potius ridet, ita nobilitatem, à maioribus acceptam metiri, & circumscribere, vt neq; nobilitatem, obscurari flagitijs, neq; generis nobilitatem, illustrari virtutibus concessum apud eos sit: sed omnibus illa conditio, necessariò est subeunda, in qua maiores eorum versati sunt. Ego certè à nonnullis audiui, quendam nostratem Præsulem, cuius nomini parcendum est, pulsis à Cathedralibus Ecclesijs plebeijs, quamuis doctissimis, & pietate commendatissimis viris, apud Regem Sigismundum primum obtinere voluisse, vt more Iuliani Apostatæ, plebeijs, tanquam hi Christiani non essent, scholis, & Gymnasijs bonarum artium interdiceret. Experiemur certè, quàm multos ex nobilitate nunc haberemus Sacerdotes, vel villarum tenuiorum Parochos, Vicarios, Ludimagistros, vel Cantores, à quorum officijs, nobiles omnino abhorrent. Egregium certè Pastorem, & dignum cuius memoria, in execratione pauperum studiosorum semper versetur: Regem tamen scimus, tam impiæ postulationi obstitisse, vix tamen obtinuisse, vt ad

Lib: 2. de gestis Emanuel: Regis.

vt ad summum quatuor, vel quinque Doctores plebeij, in Capitula Cathedralium Ecclesiarum admitterentur: nunc etiam à Collegiatis, recenti quondam statuto plebeios excludere, Rokosianæ factionis homines voluerunt. An verò admiserint Episcopi, eam plebeiorum Sacerdotum, è Collegiatis Ecclesiis proscriptionem, non possum adduci, vt credam: nisi existiment sola nobilitate, hæc omnia comparari posse, quæ ad cultum Ecclesiasticum, & artium honestarum acquisitionem, sine omni opera, & studio, pertineant. Quanquam nolim inficiari, plerunque bonos filios, ex optimis parentibus gigni solere, quod & communi prouerbio iactatur: Fortes creantur fortibus. Sed & illud sæpius audire mihi contigit: Heroum filios noxas appellari. Dauid Rex sanctissimus, quem Dominus dicit se inuenisse secundùm cor suum, quotnam filijs frugis bonæ gloriari poterat? Si exceperis Salomonem, qui non tam sua indole; quàm infusa cælitus sapientia, dum adhuc tenerior, & animi simplicioris esset, vel potiùs typus Saluatoris nostri, nobilior creditus: ad extremum, nec ipse in virtutibus patris sui perseuerauit. Manasses verò, quam boni patris filius fuerit, ipse profligatissimus; consulatur scriptum: idem de cæteris reperitur scriptum: mille producerem exempla, si tempore non excluderer, admodum paucos fuisse, qui virtute ad nobilitatẽ ascensum nacti, posteris non nisi vacuum nomen nobilitatis reliquêre. Satis erit si produxero aliquos, in summo fastigio collocatos, ex obscuris tamẽ, & sortis infimæ hominibꝰ natos. Summi Pontifices pauci numerantur, qui ante Pontificatum, natalium splendore fuerũt illustres: qui verò ex humili, & obscuro genere prodierunt, ferra-

feracissimi virtutum fuêre. Nam & Christus Dominus, ad Apostolatum, qui est summus in Ecclesia gradus, nullum legitur delegisse, stirpis alicuius nobilis, vel illustris; sed potius piscatores humiles, & abiectos. Piscatores piscatorumq; filij fuerunt, Petrus Apostolus, et Ioannes Euangelista, tantaq; postea diuinæ gratiæ assecuti sunt incrementa, vt nominis sui sanctimoniæque magnitudine, totum orbem terrarum repleuerint. A Petro Apostolo demum idem Christi institutum, apud posteros Pontifices, longa serie mansit: sed cum longum esset, antiquiorum Pontificum ortus, vel Genealogias percurrere, hos saltem liceat mibi in medium proferre, qui nostro sæculo, vel saltem proximo, in fastigium Pontificatus euecti: non in decorum sibi putauerunt, quod ex obscuro genere prodierint, ex virtutibus, & religione splendorem sui nominis consecuti. Ioannes 22. Pontifex, patre cerdone, ad Pontificatum, virtute, atq; doctrina conscendit. Innocentius octauus, ab ineunte ætate coactus, ob paupertatem famulari, & inter Alphonsi Siciliæ Regis ministros, victum sibi comparare, Xisto quarto successit in Pontificatu. Nicolaus quintus, sub Friderico tertio Imperatore cum primum medicus esset, demum subdiaconus factus, Bononiæ studijs incubuit, & maximis perfunctus legationibus, tandem summus Pontifex renunciatus, cum tamen eius mater, pullos, & oua vendere consueuerit. Sixtus quartus, patre nauiculario ortus, cum primum minorum fratrum ordinem professus esset, Pontificatum laudabilem gessit. Adrianus sextus, pauperrimis ortus parentibus, qui textrinam exercuêre, literarum beneficio, Caroli quinti Impera-

Fulgos: & Egnat: li. 5. ca: 4

Amil: lib: 7.

peratoris pueritiam rexit, eiusdem opera, ad Pontificatum euectus. Vrbanus quartus patre sutore, in Tricassibus ortus, ex officina sutoria, in Cathedram Petri, ascendit. Nec Sixtus quintus, nostra ætate, primum ordinem minorum fratrum professus, celebriores nactus erat parentes. Multos quoque legimus, ex infima plebe opificum, siue agrestium, vel Oppidanorum ortos, ad insignes Archiepiscopatus, & Episcopatus, ob virtutem assumptos, celebre sibi nomen, & gratam sui memoriam, apud posteros comparauisse. Villegisus in Saxoniæ *Pago Stroningen, patre fabro plaustrorum natus, ab Othone 2. Imperatore, cuius* Sacellanus *erat, ad Archiepiscopatum Moguntinensem euectus, ordine 34. omnibus in locis, rotam plaustri depingi curauit, cùm hac inscriptione: Villegisse quis sis, quis fueris, memento. Mos inde obtinuit, vt rota hæc Archiepiscopo Moguntino, pro insigni data fuerit, & confirmata ab Henrico secundo Claudo. Fuit autem Villegisus primus inter Archiepiscopos Moguntinos imperij elector, & Othonis tertij præceptor. Obijt anno Christi 1011. cum præfuisset annis 36. Robertus fabri ferrarij Carnotensis filius, ad Atrebatensem, Tornacensemque simul Episcopatum euectus est. Gabrieletus Hispanus puer, in Cardinalis Ascanij* Sforti*æ aula, canibus præfectus, mox foco, inde cubiculo Ascanij, tandem opibus & authoritate auctus, Archiepiscopus Barri, Patriarcha Indus, & à Clemente 7. Cardinalis creatus, in magna apud omnes gratia, præsertim verò apud Carolum quintum Imperatorem. Sed quid in hisce externis commemorandis commoror. Noster Stanislaus Hosius Cardinalis, & Martinus*

Bruschi⁹. Fulg: li: 1 Cap: 10.

cùm nemo præsumeret: cernetis, inquit, quòd dico. Illi fame per diem excruciant leonem: postera die ouem proÿciunt quadripartitam. Leo irrugit apprehensæ carni incubans: Polonus ingreditur, & leonem iam vorantem, diuaricatis cruribus inclusum, pugno ferit in os, dicens: Offam dimitte canis; vocem intrepidam leo exhorruit, exeuntemq; visu solo secutus est. Audax facinus cum ad Regem perferretur, non probauit: euocatumq; Polonum, pro more donatum, domo sua iussit excedere: qui venalem ita vitam circumferret, non necessariò, sed ad solam iactantiam, se obÿciens periculo, nihil non ausurum proposito, præmio motus. Physici tradunt, leonem nullius alterius, nisi impauidi hominis vocem contremiscere. Hæc Cranzius. Sed Matthiæ regis hæc suspicio, inanis, & ridicula, & ex sola inuidia facti profecta, quod facile ex eius infenso, erga Casimirum, et Polonos animo colligere est. Nam Casimirus benè exploratum habebat, de hostili eius contra se animo, & subdolis machinationibus, atq; auxilÿs contra se Transalpinensibus, Moldauis missis, et cum Crucigeris fœdere clandestinè inito, promissisq; auxilÿs, cùm simul in eam rem mercenarium militem, in Silesia conscriberet: deinde de solicitatis Comorouÿs, de quarundam ditionum Polonicarum deditione, quibus antea in Hungaria plerasq; ademerat. Tanta verò vanitas inerat homini, vt, & si sub Vratislauia, à Polonis exercitus eius fusus, fugatusque fuerit, & prorsus eo tempore cum eo fuisset debellatum, ni Rituianius Ductor exercitus, nostros in hostium tergis hærentes perproperè insidiarum metu, reuocauißet, Matthias tamen

Crom: lib: 28.

as tamen post triginta mensium inducijs pactis, nihilominus ad Christianos Principes, & Pontificem Maximum literis missis, solita vanitate, de Polonis, & Bohemis triumphauit, ac delere se penitus maximos exercitus potuisse iactauit, nisi Christianus Christianis misertus esset. Et non solum vanitate infamis, verùm & induciarum, ac pactorum minimè tenax fuit: fidem facilè prodens, prout in Silesia, & Morauia eum fecisse, idem Cromerus testatur. At illam iactantiam ferendam esse quis existimauerit? quòd Stephani Palatini Valachiæ, de Turcis insignem victoriam, & centum viginti millium Turcarum strage, toto æuo memorabilem, Bassis quatuor, in eo prælio desideratis, & centum, et amplius signis militaribus captis, in se tranferre, & gloriam eius ad se pertinere, affirmare non erubuerit: dimissis quoquo versus literis, quibus iactabat, à Præfecto suo Stephano Palatino, Turcas profligatos esse: nec multò tamen, ante contemnendam cladem, ipse ab illo ipso Præfecto, quemadmodum videri volebat, suo acceperat, Stephanum verò constat, secundùm eam victoriam, non ad Matthiam, sed ad Casimirum in Lituaniam, nuncios cum quatuor primoribus captiuis sex, & triginta militaribus signis, ex parte manubiarum missise, petijsseque, vt Rex cum exercitu Russiam propius accederet, vel solo nominis sui terrore Turcam repressurus, & iusiurandum fidelitatis, eousq; dilatum, à se accepturus. Non immerito igitur Fridericus Imperator, Casimirum monuit, vt à Matthia sibi caueret, vtpotè homine fraudulento, vafro, & cupido: seq; deinceps cum ipso, nihil commune habere velle significauit. Talis

& in splendore suo generi debito, eam præstitit, vt nulli nationi, hoc in genere cessisse visa fuerit: eandem prorsus in seruitute misera, quam sors bellica illis attulerat, non difficulter retinuisse animaduertite. Chalcocondylas refert, Mahometem Turcarum, Regem secundum, fratrem Bladi Draculæ, Valachiæ Principis filium, cum illecebris, & præbibendo delinire satageret, vt ipsi in sua spurcitie obsequeretur, puerum, gladio, regis fæmore vulnerato, celeri fuga sibi consuluisse: postmodum tamen retractum, eius concubinum factum fuisse. Dispari ratione, duodecim adolescentes Poloni, ingenuo sati sanguine, Adrianopoli capti, stupri vitandi causa, contra Amuratem Turcarum tyrannum coniurârant. Quæ coniuratio cùm detecta esset, à quodam Bulgaro, ipsi seipsos mutuis vulneribus confecerunt, malueruntq; mortem consciscere sibi, quàm libidini tyranni exponi. Hinc apparet, quàm ingenuus vigor, & nobilitatis insitæ honestas, inhæreat mentibus Polonorum, stirpe auita procreatis: nisi fortè iam ille vigor animi pristinus, in alios mores defluxerit, vel potius degenerauerit; quod equidem dolendum esset, præsertim his temporibus deploratissimis, in quibus maiore virtute conandum foret, ne Polona Respublica, ex corruptissimis moribus, in aliquod exitium (quod absit) delabatur. Lib: 9.

CAPVT IIII.

Quantum tribuendum sit Nobilitati Polonæ, & an in sacerdotijs consequendis, spectanda sit generis Nobilitas, optimorum parentum, multos filios peruersos fuisse, obscurorum, multos præclarissimos.

Tum demum Marcissouius quasi continuato sermone, ad hæc quæ effatus est Cochleuius, ita interlocutus est. Ego nolo videri causam prodidisse meam: (fortassè à Venetis defensæ Nobilitatis suæ, Elogium per aliquem Patauini Gymnasij Archipoëtam reportaturus.) Tu verò Cochleui ab Academia Cracouiensi in hoc regno celebri, & doctorum hominum concursu insigni, ne teruncium quidem laudis, & gloriæ consecuturus es; qui nobilitatem adeò effers, vt nihil doctissimis, & in omni genere artium liberalium exercitatissimis viris, tribuisse videare. Ita plerunq; fit, vt externa magis admiremur, præ quibus nostra viliora nobis esse videntur: cum tamen, si æquis passibus res essent dimetiendæ, tantum nos domi inueniremus, quantum nec peragratis, et percursis tot regionum, et nationum prouincijs, et vrbibus, reperturi essemus. Equidem quod ad me attinet, tantum tribuo nobilitati Polonæ, et equestri illius ordini, vt si res præclarè gestæ, cum externorum egregijs factis conferantur: si non superiores, pares tamen illis semper fuisse Nobiles Polonos, qui nuper Sarmatæ appellabantur, non difficulter illi iudicauerint, quibus sanius iudicium contigit. Quæ enim natio, quasi in finibus totius Christianitatis excubans, tanto ardore excipit omnes insul-

tus

tus Turcarum, Tartarorum, Getharum, Dacorum, & totius colluuiei, nationum ad Boristenis ostia confluentium, quàm nostra gens ad bella gerenda, & gloriam ex armis consequendam, nata? Dicat quid quisq; velit, murus certè, & antemurale Poloniæ Regnum est illis, vt probè annotauit ille magnus Stanislaus Socolouius Academiæ Cracouiensis decus, & ornamentum singulare, qui post nostros parietes latitant, & nonnisi de religione formata, & reformata, transformata, vel potius informi decertant, & digladiantur: non de placitis quidem Philosophorum, quæ ex cuiuslibet cerebro, prout quisque sibi finxit, vel refinxit enascuntur, sed de decretis diuinis, & Ecclesiæ eius sanctionibus, quæ sub nullius hominis iudicium cadunt, nec cadere possunt: nec satis est, verbis contendere, cùm de religione disceptatur, acerbioribus; sed postquam spiritus incaluerit, qui ex ipsa peruersa voluntate ortum trahit, furore quodam, & afflatu infernali, quandoq; vino, vel crapula excitus, in tantam rabiem prorumpit, vt regnis, & prouincijs magnam vastitatem, & desolationem inferat, vt vos ipsi oculis vestris conspexisse, nuper retuleratis. Verùm ne diutius vtrumque vestrum detineam: poteritisnè me ferre differentem, si ostendero, non tantum me propagini generis, & nobilitati à maioribus decurrenti tribuere, quantum propriæ virtuti, quæ aliquando in infimæ sortis, & generis hominibus, ita se exerit, vt non ex traduce deriuari, sed aliundè infusa esse existimari possit? Nec ego influxui syderum aliquid tribuendum esse, hac in re, existimauerim, verùm potius voluntati, & determinationi diuinæ, in cuius manu, & potesta-

te positum est, etiam de stercore erigere pauperem, & talem, cùm voluerit, collocare posse, cum regibus, et Principibus terræ: ne quis glorietur, tametsi nostratium comitiorum constitutiones, hanc Deo facultatem eripuisse videantur, cùm decernunt, plebeijs hominibus ad nullas dignitates, tam ciuiles, quàm Ecclesiasticas aditum patere debere, tametsi virtutibus, et eruditione ita excellant, vt pauci ex nobilitate, cum eis componi, et comparari possint. Fortasse à Malabaribus Indis has legum sanctiones, nostros nobiles Polonos mutuatos esse putauerim, quos Osorius scribit, vel potius ridet, ita nobilitatem, à maioribus acceptam metiri, & circumscribere, vt neq; nobilitatem, obscurari flagitijs, neq; generis nobilitatem, illustrari virtutibus concessum apud eos sit: sed omnibus illa conditio, necessariò est subeunda, in qua maiores eorum versati sunt. Ego certè à nonnullis audiui, quendam nostratem Præsulem, cuius nomini parcendum est, pulsis à Cathedralibus Ecclesijs plebeijs, quamuis doctissimis, & pietate commendatissimis viris, apud Regem Sigismundum primum obtinere voluisse; vt more Iuliani Apostatæ, plebeijs, tanquam hi Christiani non essent, scholis, & Gymnasijs bonarum artium interdiceret. Experiemur certè, quàm multos ex nobilitate nunc haberemus Sacerdotes, vel villarum tenuiorum Parochos, Vicarios, Ludimagistros, vel Cantores, à quorum officijs, nobiles omnino abhorrent. Egregium certè Pastorem, & dignum cuius memoria, in execratione pauperum studiosorum semper versetur: Regem tamen scimus, tam impiæ postulationi obstitisse, vix tamen obtinuisse, vt ad

Lib: 2. de gestis Emanuel: Regis.

vt ad summum quatuor, vel quinque Doctores plebeij, in Capitula Cathedralium Ecclesiarum admitterentur: nunc etiam à Collegiatis, recenti quondam statuto plebeios excludere, Rokosianæ factionis homines voluerunt. An verò admiserint Episcopi, eam plebeiorum Sacerdotum, è Collegiatis Ecclesiis proscriptionem, non possum adduci, vt credam: nisi existiment sola nobilitate, hæc omnia comparari posse, quæ ad cultum Ecclesiasticum, & artium honestarum acquisitionem, sine omni opera, & studio, pertineant. Quanquam nolim inficiari, plerunq; bonos filios, ex optimis parentibus gigni solere, quod & communi prouerbio iactatur: Fortes creantur fortibus. Sed & illud sæpius audire mihi contigit: Heroum filios noxas appellari. Dauid Rex sanctissimus, quem Dominus dicit se inuenisse secundùm cor suum, quotnam filijs frugis bonæ gloriari poterat? Si exceperis Salomonem, qui non tam sua indole; quàm infusa cælitus sapientia, dum adhuc tenerior, & animi simplicioris esset, vel potiùs typus Saluatoris nostri, nobilior creditus: ad extremum, nec ipse in virtutibus patris sui perseuerauit. Manasses verò, quam boni patris filius fuerit, ipse profligatissimus; consulatur scriptum: idem de cæteris reperitur scriptum: mille producerem exempla, si tempore non excluderer, admodum paucos fuisse, qui virtute ad nobilitatē ascensum nacti, posteris non nisi vacuum nomen nobilitatis reliquêre. Satis erit si produxero aliquos, in summo fastigio collocatos, ex obscuris tamē, & sortis infimæ hominib⁹ natos. Summi Pontifices pauci numerantur, qui ante Pontificatum, natalium splendore fuerūt illustres: qui verò ex humili, & obscuro genere prodierunt,

ferra-

feracissimi virtutum fuêre. Nam & Christus Dominus, ad Apostolatum, qui est summus in Ecclesia gradus, nullum legitur delegisse, stirpis alicuius nobilis, vel illustris, sed potius piscatores humiles, & abiectos. Piscatores piscatorumq; filij fuerunt, Petrus Apostolus, et Ioannes Euangelista, tantaq; postea diuinæ gratiæ assecuti sunt incrementa, vt nominis sui sanctimoniæque magnitudine, totum orbem terrarum repleuerint. A Petro Apostolo demum idem Christi institutum, apud posteros Pontifices, longa serie mansit: sed cum longum esset, antiquiorum Pontificum ortus, vel Genealogias percurrere, hos saltem liceat mihi in medium proferre, qui nostro sæculo, vel saltem proximo, in fastigium Pontificatus euecti: non in decorum sibi putauerunt, quod ex obscuro genere prodierint, ex virtutibus, & religione splendorem sui nominis consecuti. Ioannes 22. Pontifex, patre cerdone, ad Pontificatum, virtute, atq; doctrina conscendit. Innocentius octauus, ab ineunte ætate coactus, ob paupertatem famulari, & inter Alphonsi Siciliæ Regis ministros, victum sibi comparare, Xisto quarto successit in Pontificatu. Nicolaus quintus, sub Friderico tertio Imperatore cum primum medicus esset, demum subdiaconus factus, Bononiæ studijs incubuit, & maximis perfunctus legationibus, tandem summus Pontifex renunciatus, cum tamen eius mater, pullos, & oua vendere consueuerit. Sixtus quartus, patre nauiculario ortus, cum primum minorum fratrum ordinem professus esset, Pontificatum laudabilem gessit. Adrianus sextus, pauperrimis ortus parentibus, qui textrinam exercuêre, literarum beneficio, Caroli quinti Impera-

Fulgos⁹ & Egnat: li. 5. ca: 4

Amil: lib: 7.

pera-

peratoris pueritiam rexit, eiusdem opera, ad Pontificatum euectus. Vrbanus quartus patre sutore, in Tricassibus ortus, ex officina sutoria, in Cathedram Petri, ascendit. Nec Sixtus quintus, nostra ætate, primum ordinem minorum fratrum professus, celebriores nactus erat parentes. Multos quoque legimus, ex infima plebe opificum, siue agrestium, vel Oppidanorum ortos, ad insignes Archiepiscopatus, & Episcopatus, ob virtutem assumptos, celebre sibi nomen, & gratam sui memoriam, apud posteros comparauisse. Villegisus in Saxoniæ Pago Stroningen, patre fabro plaustrorum natus, ab Othone 2. Imperatore, cuius Sacellanus erat, ad Archiepiscopatum Moguntinensem euectus, ordine 34. omnibus in locis, rotam plaustri depingi curauit, cùm hac inscriptione: Villegisse quis sis, quis fueris, memento. Mos inde obtinuit, vt rota hæc Archiepiscopo Moguntino, pro insigni data fuerit, & confirmata ab Henrico secundo Claudo. Fuit autem Villegisus primus inter Archiepiscopos Moguntinos imperij elector, & Othonis tertij præceptor. Obijt anno Christi 1011. cum præfuisset annis 36. Robertus fabri ferrarij Carnotensis filius, ad Atrebatensem, Tornacensemque simul Episcopatum euectus est. Gabrieletus Hispanus puer, in Cardinalis Ascanij Sfortiæ aula, canibus præfectus, mox foco, inde cubiculo Ascanij, tandem opibus & authoritate auctus, Archiepiscopus Barri, Patriarcha Indus, & a Clemente 7. Cardinalis creatus, in magna apud omnes gratia, præsertim verò apud Carolum quintum Imperatorem. Sed quid in hisce externis commemorandis commoror. Noster Stanislaus Hosius Cardinalis, & Martinus

Bruschi?. Fulg: li: 1 Cap: 10.

Ddd tinus

tinus Cromerus Episcopi Varmienses, quamuis plebeÿ habiti, nonne tot nobilium, & Illustrium Episcoporum in hoc regno, famam suis virtutibus, & scriptis doctissimis nunquam intermorituris superauere? De multis Episcopis, an aliquando fuerint, ne auditur quidem, nisi inter suæ cognationis gentem: at horum nomen, quocunq; te per orbem verteris Christianum, omnium ore decantatur, & celebratur. Academia Cracouiensis, quot, & quantos protulit doctissimos, & celeberrimos viros, quos cum omni genere artium instruxisset, tamen quod maxima ex parte, ex plebeijs Doctoribus, & Magistris constat, vix illi permissum est, vt duos, ex numero vniuerso, ad Cathedralis Ecclesiæ Cracouiensis, Canonicatum promouere possit. Adeò verò ista nobilis ortus persuasio, plerosq; dementauit, vt præ se multos doctiores, & insigni pietate præditos viros, despicere consueuerint; ita vt quandoque eos, ad stiuam relegare non vereantur, & chlopos, contumelioso apud doctos, & Sacerdotes nomine, appellare, ipsi indigni, qui et pecora viliora pascant, suas verò oues proprias, in Parochijs opulentissimis, pascere, indecorum sibi existimant, cum nonnulli, a triginta annis in Parochijs suis non comparuerint. Et quandoquidem non aliam sibi functionem, ex Sacerdotio obtigisse existimant, quam vt reditus Ecclesiasticos, vel in cultum corporis splendidiorem, ne dicam in luxum, expendant, vel etiam vt prædiorum possessiones, quorum vsus fructus, non in commodum Ecclesiæ, sed consanguineorum plerunque, & hæreticorum, peruenturus

sit

ſit obtineant, non mirum eſt, ſi à confeſſionibus excipiendis, & à docenda, ſibi ſubiecta plebe, abhorreant. De Abbatibus verò, quid dicendum ſit, qui religionem, & paupertatem profeſſi, niſi tamen ſtemmata nobilitatis produxerint, ad gubernanda monaſteria non admittuntur; & cum antea neminem licebat eligere, in Abbatem, qui non fuiſſet monachus: nunc cuiuis licet eſſe, modo non ſit monachus. Scio equidem, contra hanc legem etiam Epiſcopos vniuerſos regni, ex decreto Synodi Petricouienſis, proteſtatos eſſe, ſed præualuit nobilium factio. Mirum eſt, quòd in conuentibus, & monaſterijs mendicantium fratrum, vtpotè, Franciſcanorum, Dominicanorum, Carmelitarum, non idem fieri voluerint: vt qui Guardianus, vel prior debeat eſſe, non ſit, quanquam ad hanc functionem ineptus iudicetur, niſi nobilis: Scilicet religionis cura torquebantur promulgatores illius ſtatuti, & non potiùs cupiditas opum Eccleſiaſticarum, poſſeſſionum, prædiorum, ad quæ ob fauorem cognationis, & ſanguinis, facilè ſe aſpirare poſſe confidebant eos ſtimulabat. Mihi verò in deligendis Abbatibus, vehementer placuit, Gullielmi Rufi, vt Polidorus refert, iudicium. Cum enim cænobium quoddam, vacaret in Anglia, Monachi inter ſe pactionem fecerunt, vt ſe ita inuicem adiuuarent, quo alter cænobio præficeretur. Hoc capto conſilio; certatim pro præfectura adipiſcenda, pecuniam Regi offerunt. Interea Rex conſpicatus corám alium Monachum hominem, bonæ frugis, qui comes illis duobus competitoribus forte

venerit, ad se vocat, quæritq; ab eo: Ecquid dare velit, si Abbas fiat? Is respondit, se nihil prorsus daturum, cùm eo animo sese isti vitæ, principio dedisset, vt spretis diuitijs, atq; honoribus, facilius in sanctitate vitæ, castè Deum *coleret. Ad hæc Rex inquit: Tu ergo dignus es, qui cœnobio tuo præsis: id quod fieri statim iussit, illis duobus competitoribus, non sine ignominia ab se repulsis.*

CAPVT V.

An iustè, à Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis excludantur Plebeij, quantumuis idonei.

QVo tandem, in hac, de nobilitate altercatione, progressuri estis ambo? patimini me aliquid etiam, de eadem re, loqui, inquio, & quamuis in Anatomia mea, de hac nobilitate, articulo octauo, sectione prima, nonnihil disseruerim: addam tamen quædam et hîc, quorum illo tempore non memineram: puto vobis non iniucundum fore, si modo tam properè assurgere nolitis. Ego verò inprimis cum Gregorio Nazianzeno sentio, qui in Apologetico conqueritur, ad obtinendas dignitates Ecclesiasticas, nihil amplius, nisi gradum nobilitatis requiri: Illotis, inquit, manibus, ac membris prophanis, sacratissimis se rebus ingerunt, gradumq; sibi vendicant; haud secus, quam si hunc ordinem, non virtutis exemplar, sed principatum quendam, in quem inquirere non liceat, esse putent, cùm nulla præditi doctrina, nihil ad gradum, præter velle, afferunt. Et in alio quodam loco, nobilitatem ait eam esse, non quam plerią; existimant,

ac ne

ac ne Philosophi quidem, utpote quæ, à fabulis, & sepulchris, supercilioq; iam pridem putrido, proficiscatur; sed quam pietas, vitæq; sanctimonia, ascensusq; ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, exculpit. Scriptum dum Nòé generationẽ enarrare inciperet, dicens: Hæ sunt generationes Nòé, duobus absoluit verbis, vir iustus, atq; perfectus; subticuit generationem, & propaginem maiorum, satis erat Spiritui Sancto, ab iustitia hominem commendâsse. Quid enim prodest, ex claris parentibus prodijsse, cum turpiter viuas ipse, vel quam iacturam subibis, si maiores tui ignobiles fuêre, modo tu virtutibus affluas?

Malo pater tibi sit Thersites (ait pòéta) dummodo tu sis
Æacidę similis, Vulcaniaque arma capessas
Quam te Thersitę similem producat Achilles

Lepiey się darſkim chłopem vrodzić/
A niż się gnuśnym ślácheetwem zdobić.

Nobilis est illa, Alphonsi, Regis Aragonum clarissimi, de nobilitate sententia: Nam cum quidam, a nobilitate eum maximè laudaret, quod scilicet esset rex, regis filius, regis nepos, regis frater, rex, hominem interpellans, dixit: nihil esse quod in vita minoris ipse duceret, quàm quod ille tanti facere videretur. Laudem enim illam, non suam, sed maiorum suorum esse, quippe qui iustitia, moderatione, atque excellentia sibi regnum comparâssent, successoribus quidem oneri regna cedere, bonori tum demum, si virtute potius; quæ per se satis clara est, quàm testamento illa suscipiant. Præclarè idem ipse Panormitanus, cuidam domestico, rustici operis inquilino, cum quo interdum animi causa, con- Panormit: lit. 1. de rebus gestis Alphon.

 sa, con-

sa confabulari erat solitus, respondit: Hic enim, per ocium, percunctari herum suum ausus, quam rem lucidissimam censeret in orbe esse, hero virtutem asserente, illo verò pernegante, eo quòd nusquam oculis eam conspicere potuerit, sed solem potius sibi lucidissimum videri, interrogatus num illi, qui oculis capti sunt, solem videre queant, rustico negante subintulit: Atqui ipsi caeci, virtutem optimè vident. Hinc non video, cur solius nobilitatis ratio habenda est, in conferendis sacerdotijs. An non videtis magnum praeiudicium Ecclesiam perpessuram? cum meliorum, digniorumque iactura hinc subsequatur, qui praemio virtuti, atque scientiae debito, ad vtriusque studium allici, & inuitari deberent? Annotauit hoc Lornius in Epistolam Ioannis scribens, & non solum hic, sed & alij multi scripsêre hoc idem, Tiraquellus hoc argumentum tractat accuratè, improbatque eam consuetudinem, vt non nisi Nobiles recipiantur in Canonicos. Li: de nobilit: ca: 20. & sequentib9 *Gregorius certè nonus summus Pontifex, Cap: venerabilis, de praebendis damnat consuetudinem Capituli Argentoratensis, non admittendi, nisi nobilem, & liberum, ab vtroque parente Illustrem. Quae consuetudo ita per Germaniae Cathedrales Ecclesias inualuerat, vt inter Canonicos, teste Crantio,* Libro 11. Metrop: cap: 47. *non recipere, nisi ordinis ministerialis, praesertim per Saxoniam, consuetudine fuerit receptum: nulla verò obstinatior, ea in re fuit, quàm Monasteriensis Ecclesia: cum aliae paterentur Doctores, aut licentiatos, ministerialibus qui apud eos nobiles sunt, comparari: illa solos admittere ministeriales consueuit, quos vulgo naturales appellant; & in istis*

istis disceptationibus, quandoq; vsq; ad cædes certatum est. Hæc Crantius. At nuper illi ipsi Cathedrales Monasterienses, à pellionibus, & sartoribus Anabaptistis, non solum ex Ecclesia, sed et ipsa vrbe pulsi, suæ superbiæ graues dedêre pænas. Quanto rectius, Iacobus primus Scotorum Rex; qui doctos, & eruditos viros impensius coluit. Interfuit nonnunquam studiosorum disceptationibus, quibus mirum in modum delectatus, plurimis eos priuilegijs donauit. Inter cætera, hoc fieri voluit, vt Theologiæ, & Decretorum Doctores, optimos quosq; ad sese mitterent, petitum magistratus Ecclesiasticos, reliqui Scholastici ad minora sacerdotia, quæ ad Regiam attinerent donationem, aditum haberent. Ad hæc edixit, ne quisquam, nisi vt minimum Baccalaurei seu Theologiæ, aut Decretorum in Ecclesia Cathedrali Doctores, ad Canonicatum admitterentur; præterquam, qui insigni nobilitate clarus esset. Ita sapientissimus Rex. Nostrarum verò legum conditores contraria progrediuntur via, qui caueat, ne quisquam seu Theologiæ, seu Decretorum Doctor, ad Canonicatum admittatur, nisi qualicunq; nobilitate commendetur: paruo numero Doctorum contenti, quos ob eruditionem, sibi præferri, non paterentur, Canonici genere tantum nobiles. Rex verò Scotus nonnisi paucos insigni nobilitate claros admitti voluit, Doctores verò quam plurimos. Argentoratensis verò Ecclesia contra mentem Gregorij noni, de quo supra, nihilominus hactenus perseuerauit, in consuetudinibus receptis, cum suo magno dispendio, ab Canonicis Illustribus ijsque hæreticis, multum detrimẽti, & vexationis perpessa. Et certè his temporibus nuper elapsis omnib⁹ notum est, quantas turbas, hi videlicet

Hector Boëtius lib: 17. de rebus Scoticis.

Illustres, quos Politicum ingenium, putauit ad tuenda, & conseruanda Ecclesiæ bona, magis idoneos esse, excitârunt. Nam cum successu temporis, voluêre Politici, vt nonnisi Comites, ad Capitulum Argentoratense, admitterentur, tantum absuit, vt Ecclesiasticæ possessiones, talibus videlicet patronis, suffultæ, ab omni iniuria tutæ permanserint, vt potius, à Comitibus Vithgeinsteimo, Vinnenbergio, Solmensi, Mansfeldio, Truschesio, contemptu iuriiurandi religione, qua se, dum in numerum Capitularium reciperentur, Summo Pontifici, & capitulo obstrinxerant, censurisq; omnibus neglectis, diriperentur, qui occupata domo capitulari publica, prius magno tumultu foribus effractis, famulitium armatum introduxerunt, atq; Catholicos Canonicos, cum ipsi se cum protestantibus, sentire profiterentur: nec admiserunt, & archiuio violenter recluso, quidquid in ædes, ab Œconomis Capituli comportatum erat, diripuerunt. Vtinam plura nec apud nos, eiusmodi inueniantur exempla: videmus enim muscas telis aranearum sæpius irretiri, at istas prægrandiores vespas, vna cum retibus auolare. Culpané est hæc Ecclesiasticarum sanctionum? absit, quin potius, quidquid inde vitij emersit, politicis, hoc est impijs discursibus tribuendum censeo. Certè ijsdem artibus bona Ecclesiastica tuenda, & conseruanda esse, quibus acquisita sunt, insignes pietate viri censuêre, videlicet, integritate, & sanctimonia, honestate, & puritate vitæ, ob quas virtutes tantæ possessiones Ecclesiis partæ sunt: ita vt etiam inuitis, & reluctantibus obtruderentur. Nunc verò, politicos propugnatores nactæ, partim

tim

tim ab hæreticis inuaduntur, partim in consanguineos, ne dicam in luxum, & pompam, cum ad conseruationem status, hoc quoq; pertinere existimetur, profunduntur; præsertim cum omnes Ecclesiasticæ disciplinæ impatientes sint: & eo vsque se Canones velle obseruare videntur; quantum suis commodis, & reditibus expedire iudicauerint. Cæterum ne puniantur, vel amoueantur cautio est; cùm tot consanguineorum, tot clientelarum præsidijs sint instructi: quin etiam & minæ acerbiores interponuntur, si quispiam velit officium in deliquentes exercere suum. Male profectò fuisset actum, si in primordijs nascentis Ecclesiæ, delectus tantum nobilium fuisset habitus, ne nunc quidem ista iactata nobilitas, authoritatem, & dignitatem sacerdotalem magnopere promouet. Putat enim non sacerdotalem præemimentiam nobilitati, sed nobilitatem sacerdotio, quidquid habeat decoris, conferre, ita vt quidam coram certis testibus dicere non erubuerit, se non tanti facere presbyteratum, quem per contemptum popostivo appellabat, quanti faciat generis sui prosapiam: neq; se nobilitatem sacerdotio permutaturum, si sacerdotio ea adiuncta non haberet, quorum se nunc absolutum dominum putat esse. Iactant quidem id nobilitati, à summo Pontifice indultum esse, sed à quo Pontifice, illone qui ex promulgatis, non maturo iudicio, indulgentijs, occasionem dederat Luthero, disseminandarum hæresum, per Europam? & qui magis politicus, quàm Ecclesiasticus ipsi Iouio in Elogijs vitæ suæ, videbatur: facilè tamen existimo ad malam narrationem eorum, qui iam pridem poli-

tico spiritu erant imbuti, pectus Pontificium, quod æque debebat, tanquam paternum omnibus patere, fuisse flexum, sed indultum, hoc est, nullam decreti & sanctionis vim obtinens; alioquin si omnes ex æquo obligaret, necesse esset, nec ad summum Pontificatum, nec ad Cardinaliciam dignitatem, vllum assumi debêre, qui non sit ex nobili genere oriundus. At praxis ipsa contrarium docet, nec admittunt superiora Pontificum decreta, quibus hæ nouellæ obtentiones cedere debent. Nam & Christum Dominum scimus ad Apostolatus eminentissimam, in Ecclesia dignitatem, pauperes, & despectos, nullaq; generis nobilitate Illustres delegisse, totumq; mundum illorum legibus subdidisse: Sic enim placuit altissimo imbecillitate confundere fortia, humilitate animos elatos dëijcere, ignobilitate vbi vera nobilitas consistat, animos nobilitate sola tumentes edocere. Alia via progreditur politicum ingenium, nec scitur quomodo his nuper exortis temporibus, iniura Ecclesiastica irrepserit, & peruerterit institutum Christi, & Canonum decreta; in quibus nihil eiusmodi habetur, quæ isti sibi arrogant, cum tota antiquitas à primordijs Ecclesiæ non animaduerterit, id è re Ecclesiæ futurum; isti verò acutius scilicet vident, dum prospectum Ecclesiæ, subsidijs sæcularibus volunt, vel timeant saltem, ne cælum ruat: nam hoc cum impossibile sit, magis impossibile mihi videtur esse, Christum Dominum ita deseruisse Ecclesiam, vt nisi nobilitate generis sustentetur, eam collabi necesse sit.

CAPVT

CAPVT VI.

Nobilitatis, & seruitutis origo vnde. Nobilitatem, à noticia deduci. Ingenuorum ex virtute nobilitas, quàm præclara.

SED parumper sistendum hîc mihi est, antequam ad vlteriora progrediamur, & vos quæso animum aduertite; cùm enim video inter vos disquiri, an illud nobile dici debeat, quod originem à nobiliori trahat; facilè concederem: si de animantibus quibuslibet, quæ naturalem tantum ductum sequuntur, controuersia esset instituta. Leo enim, à Leonibus nobilius trahit sui ortus initium, quàm Bos à Boue. Similiter Elephas ab Elephante, vel Rhinoceros à Rhinocerote, quàm Lupus a Lupo, vel Vulpes à Vulpe. At verò inter cicures, & mansuetiores pecudes, Vitulum præferimus oui, huic postponimus Hircum graueolentem, Canis Cane nobilior quidem est, si venaticos illos Molossos, & in Britannico àëre procreatos consideraueris: hi enim ortu, & genere etiam suo nobilitantur. Sed mittamus nunc ista bruta, quæ nihil habent acquisitum, quod non acceperint à progenitoribus suis: quanquam & in nonnullis eorum institutio, & assidua exercitatio plurimum addit momenti, vt aliquod animal, eiusdem speciei, animali, nobilius, et sagacius efficiatur, vt in Elephantis, Vrsis, Equis, Canibus, et alijs cernere licet.

Tamen videmus plerumq; eorum ad suæ naturæ instinctum, nullo negotio relabi, natura institutionem ipsam præcurrente, vt de simia proditum esse legimus, quæ ita hominis mores effingere videbatur, vt nihil differre ab homine putaretur, nisi proteruiores pueri nuces sparsissent in terram, quibus visis bestiola, oblita institutionis suæ, dum in theatro ab omnibus cum plausu spectaretur, benè compta & vestita, prosilierit in terram, sparsas nuces arreptura. In alitibus eadem ratio. Hæc enim vniuersa specierum varietate distinxit natura: quanquam & indiuidua quibusdam singularibus instinctibus, plerunq; inter se differant: ita tamen vt eiusdem speciei esse, nullo negotio internoscantur. Transeamus igitur, a speciebus brutorum, ad solam speciem hominis, ex indiuiduis constantem, atq; illius nobilitatis, vel ignobilitatis incunabula, paulo altius inuestigemus, & exploremus. Absit, vt vocem in controuersiam, à pluribusne hominum genus, an ab vno traxerit originem, relinquamus hanc quæstionem, illis qui cognitione vnius Dei *destituti, varios sibi finxerunt* Deos, *& hominum origines, ex* Deucalionis, *siue alijs fabulis, & nugis, depromptas. Sit igitur hoc primum adiunctum, nos ex* Sacris Scripturis *didicisse, & certos esse* Deum *Opt: Max. vnum duntaxat hominem, è luto finxisse, & creauisse. An verò alterum, ex äéreo corpore formatum, vel ex syderum cælestium materia productum, vel saltem ex nobiliori aliqua licet terrena, videlicet auri, & argenti concretum, et compactum aliquis effinxerit, nec credimus nec admittimus. Omnis enim propemodum sanguis concolor est*

lor est, sicubi fortè alter altero clarior inuentus sit, non id nobilitas efficit, sed sanitas. Unus igitur, atq; idem repræsentat imaginem Dei, cuius typum gerit, ex quo totum genus humanum, tanquam ex vna radice promanans, in vnam eandemq; coaluit naturam, quam ipse Saluator noster vnica proximorum appellatione, ita deuinxit, vt nisi omnes vnum essemus; quemadmodum ille cum Patre vnum se esse professus est: ad illam cum ipso vnionem nunquam nos peruenturos euidentissima ratiocinatione, concludere non erubesceremus. Assertio hæc prima, tantis fulcitur argumentis, seu fundamentis, vt eam loco mouere nequeas. Secunda hæc sit, corruptam per peccatum naturam, seruitutem introduxisse, quæ nonnisi pietate, & virtute, in qualemcunq; libertatem poterat assurgere, vt in Caimo, & Chamo, Esau, et reliquis perspicuum est. Hinc distinctio nobilium, ab ignobilibus subsecuta est: vt illi, qui virtutibus excelluerunt, nobiles; illi verò qui corruptam naturam secuti, nullum præclarum factum edidêre, obscuri, & ignobiles haberentur. Non tamen simul cum propagatione virtutes animis inserebantur: optimi enim patris Abrahami Ismael nequam, & Isaaci Esau improbus, à quo hæc nobilitas, quæ armis acquiritur, originem suam videtur traxisse. Eiusmodi nobilitatem nonnulli definiunt, nihil aliud esse, quàm nascendi sortem, & opinionem, à populo stulticia introductam, quæ etiam sæpenumero latrocinijs quæritur, & ad posteros transmittitur. Sed si conferatur cum ea, quæ ex sola virtute deriuatur, potest quidem per aliquam comparationem nobili-

Ludouicus Viues in introductione ad sapientiam.

nobilitatis nomen obtinere, non tamen proprium, & præcipuum. Comparatio enim non semper inter æqualia fit, sed interdum per proportionem, ad nobilius, et notius refertur: veluti cum et brutis animantibus nobilitas tribuitur, id fit per quandam proportionem; vt cùm Simia similis homini esse dicitur: Sic nobilitas generis; etsi virtutibus destituatur, eadem proportione, ad verum nobilitatem se habet, quod et ipsa aliquibus nota sit: Sed si notior per virtutem efficiatur, tanto nobilior erit, quantò notior. Dignius enim est, ex virtutibus plurimis innotuisse, quàm talem nobilem nasci, cuius fama vix ad vicinos pertingit: nobilitatem enim à notione dictam esse volunt, ita vt et pyrata, & sicarius dici possit nobilis, eò quòd multis notus sit. Sed et perdito homini, vt ille inquit, nihil amplius claritas generis præstabit, quàm vt latere nequeat, si velit. Quidquid aget erit vulgi fabula, & cùm omnis turpium cohors tenebras quærat, sola lucem non refugit, quantumlibet falsa nobilitas, cognosciq; appetit, cui vnum vitandæ infamiæ consilium foret, nesciri. Quantò magis verè clarior euadet, qui per omnium ora, & scripta volitat. Igitur nobilitatis mensura est notio, cui obscuritas opponitur. Aristoteles autem quinto Physic: dicit: mensuram nobiliorem esse, quàm id, cuius est mensura. Et cum virtus latere non possit, ideò nobilis est, quia nota, de ignotis enim idem existimatur, ac si non sint. Si igitur ex notitia virtus suam dimensionem capit, sequitur nobiliores eos esse, qui illustrem, & claram eam reddunt, illisipsis

qui

qui obscuri latere poterant. Quis vnquam sciuisset, talem fuisse Alexandrum magnum, Iulium Cæsarem, & reliquos: si scriptores eorum facta egregia ad notitiam posteritatis non perduxissent? Labilis enim est hominum memoria, & vix ad nepotes, ad summum ad abnepotes pertingit. Inde Alexander non patiebatur se pingi, & sculpi, nisi à peritissimis eius artis, existimans effigiem suam nullius valoris futuram, si ingenijs tantorum artificum non nobilitaretur. Optabat autem suarum laudum Homerum habere præconem, quemadmodum & Philippus pater eius gratulabatur, quod temporibus Aristotelis, talem genuerit filium: Tolle Liuium, tolle Suetonium, Tacitum, tolle præclarissimis ingenijs viros, omnia in profunda obliuione immergentur: nullum virtutis specimen extabit, quod imitari liceat, si hanc mensuram, qua actus singulorum ponderantur, & expenduntur, sustuleris. Vnde colligimus præclarius, & multò nobilius id reputari debere, per quod ad notitiam multorum peruenitur. Tale est ingenium, & industria doctorum hominum, & scriptorum excellentium. Vnde nobiles ingenui semper vocabantur; non quòd illis ingenita esset virtus, sed quòd eam ingenio licebat assequi: quemadmodum & maiores sui eam sunt assecuti, quorum exemplis, etsi posteritas ad similem virtutum cultum nonnunquam prouocetur, fit tamen vt clarius, & perspicacius ex libris doctorum, præsertim Ecclesiasticorum, tum etiam Philosophorum, ad illas consequendas incitentur; imò nec

de ma-

de maiorum suorum præclarè factis, qui aliquot sæculis eos præcesserunt, quidquam scire potuissent: nisi beneficio literarum, & eorum quibus curæ erat, studia honesta cum virtutibus coniungere, ad notitiam eorum peruenissent. Ego verò ausim affirmare, multo celebriores, & clariores reddi eos, qui ingenio suo, & doctrina singulari, quàm qui genere, et egregijs militaribus factis, quæ sola ad generis nobilitatē consequendam, à vulgo pertinere iudicatur, orbi fere vniuerso innotuerunt. Cæsar dictator, de Cicerone, quamuis hoste scripsit: omnium eum triumphorum lauream adeptum esse, & quidem tantò maiorem, quantò plus est, ingenij Romani terminos, in tantum promouisse, quam imperij. Quid obfuit, ad claritatem nominis consequendam, Socrati, quod Phanarate matre obstetrice, & Sophronisco patre marmorario genitus sit, cum tamen ad clarissimum culmen gloriæ peruenerit? Quid Demostheni Atheniensi, patre eiusdem nominis admodum paupere, & qui cultros factitaret, genito? Euripidis Tragicorum principis mater, olera vendidit, pater incertus est, Val: Max: teste. Pythagoras Samius Philosophus, ob doctrinæ magnitudinem, princeps eius sectæ fuit, quam post Italicam nominauerunt: pater eius in tenui fortuna, anulorum sculptor fuit. Sicut & Theophrasti Fulo, Virgilij Maronis pater, figulinam exercuit. Horatius, quem principem lyrici Carminis vetustas extulit, patre Libertino natus est. Vt ipse testatur, in vltima Epistola. Me Libertino patre natum, & in tenui re, loqueris, vt quantum generi demas, virtutibus addas. Sed mittamus istos antiquos, cum abundè suppeditent nobis exem-

Val: Max lib: 3. ca: 4

Plin: li: 7 cap: 30.

Volat: li: 15. Antrop.

Lib: 3. cap. 4.

Fulg: li: 3. ca. 4.

exempla Christiani scriptores. Diui Hieronymi pater Eusebius, pauper fuit, et ignobilis, ita vt Hieronymus ipse in Epistola ad Nepotianum, se in paupere natum domo, ac rusticano tugurio, vesci coactum millio, & pane cibario, scribat. Sed si libet, adhuc multo recentiores commemorare, adferam adhuc vnicum ex Volaterano, & Fulgosio exemplum, de Ioanne Antonio natione Campano, Volat:21. & Fulg: lib:6.cap: 10. *Theramensi Episcopo, omni scriptorum genere, nulli, ætate nostra, secundo, vtpote, qui priscorum in dicendo laudem, si non superauit, æquare saltem visus est. Is Cauellis Campaniæ pago ortus, puer pastoriciam, vt ante pater, atq; eius maiores exercuit. Natura deinde iuuante, literarum profectus in tantum percipit, vt Scholæ Perusinæ diu præfuerit, et mox à Pio secundo, Præsul factus, in Contubernio Senensis Cardinalis crearetur. Vehementer verò mihi placet, iudicium Sigismundi Imperatoris, de excellentia, et claritate, ex literis, et eruditione comparata: qui dum in Concilio Basileensi præesset, habuit in aula sua Iureconsultum Georgium Fiscellinum, quem paulò ante ad ordinem equestrem prouexerat. Is cæteris, vt in consilio fit, in partes, deliberandi gratia, per ordinem discedentibus dubitabat, an ad doctores, an ad equites transiret, et tandem ad equites se contulit. Quod intuens Sigismundus: Næ tu, inquit, Georgi, nimis ridiculus es, qui militiam literis anteponis, cùm scias me ex idiotis, vel sexcentos, vno die equites creare posse; at ex eodem genere, ne vnum quidem, per totam vitam meam,* Doctorem. *Iactet igitur se prout voluerit nobilitas ista, quæ satis habet, quòd ita vocetur,* Dubrauius lib:25. Sf'usius lib: 4. de rebus gestis Alphonsi.

cetur, nec curat, vt per aliquam virtutem inclarescat, dummodo potiatur præmijs, aliorum virtutibus debitis, qui multo notiores, & clariores & sunt, et habentur, ob egregiam doctrinam, et virtutum splendorem. Etsi verò contigerit illis, ex promiscua nobilitate nasci, illa inquam, quibus duo, vel tres agrorum sulci, vix tenuem suppeditant victum, ipsi coloni, vel colonorum suorum soceri, quibus nihil obscurius est, in fumo, et fuligine totam ætatem transigentes, qui ob pigritiam domo nusquam prodeunt, non ad militiam, non ad literarum studia honesta consectanda, non ad famulitium procerum, ne paribus, vt vocant, seruire cogantur, et tamen si aliquod stemma commune vnius pagi protulerint, plebeijs etiam doctissimis, in sacerdotijs consequendis, præferuntur.

CAPVT VII.

Iudicium Doctoris Foxii, Canonici Cracouiensis, de lege contra plebeios lata.

INcidi nuper in literas eruditione, pietate, et omni genere virtutum, ornatissimi viri, Reuerendi Ioannis Foxij, I. V. Doctoris, et Canonici Cracouien: quas ad Reuerendiss. et omnibus encomijs celebratissimum virum Hieronymum Osolinium, Abbatem Pokrzywnicen. sub Comitijs Rokossium subsequentibus dederat: quarum copiam ipse idem Reuerendiss. Osolinius, pro suo erga me candore, et vt vocant confidentia, mihi legendas exhibuerat. Ex quibus apparebat

parebat Reuerendum Foxium, non iam amplius de se sollicitum, vtpote, qui extra fortunæ ictum in suis sedibus, ipsius virtuti debitis, consedisset tutior, quam vt inde moueri posset: verum vt illud præclarum, ad iuuandam Ecclesiam, et promouendam indolem, egentiorum adolescentum animum, tanto magis accenderet, quanto maius videbat detrimentum Ecclesiæ, ex optimis ingenijs depressis, subsecuturum: si illa sanctio contra plebeios, in Comitijs, in gratiam Rokosianorum lata, contrario non tolleretur decreto; cum neq; hi, qui a præmijs arcentur, toto conatu studia literarum sunt amplexuri, neq; genere nobiles, si persuasum habeant, non posse sibi, a plebeijs Doctoribus præripi, ad consequendos bonores Ecclesiasticos, aditum, imo non nisi sibi ad eos obtinendos, fores patere sciant, minus curaturi sunt, quam vt labore continuo, & vigilijs assiduis comparent præsidia, ad cultum diuinum promouendum, & ad iuuandam salutem proximorum pertinentia. Inde in minoribus Ecclesijs, Collegiatis, ob tenuiores reditus subsequeretur desolatio, & vacua futura subsellia, in quibus non est fixura suam residentiam vt vocant, ipsa nobilitas, cum vix, etsi opulentiora prædia babeat, adduci possit, vt saltem semel quotannis, ad congregationem Capitularem, vt dicitur, accedat: tantum abest, vt in Ecclesijs, officio fugantur suo. Hactenus vero a plebeijs Doctis, tamen honestis viris, vtcunque peragebantur illa, quæ ad officium Ecclesiasticum, & administranda sacramenta spectare videbantur. Nam vt plurimum ex populari statu, videmus sacerdotes, & prædicationi verbi diuini,

& curandis animabus operam dare: atqui ex eiusmodi personarum contemptu, ipsum officij ministerium, etiam contemptibile posse effici, frequenti experientia sese didicisse asserit. Præterea scribit absurdum sibi videri, quòd sæculares, et prophanæ personæ, rebus spiritualibus ita se immisceant, vt etiam beneficiorum dispensationem, ad se pertinere existiment, imò et modum præscribant, qui admittendi, et qui arcendi sint, à beneficijs. Permissum quidem erat, consentiente sede Apostolica, vt in quatuor primarijs Cathedralibus Ecclesiis, nobiles tantum reciperentur, definito certo numero Doctorum, qui etiam ex populari statu poterant assumi, cauetur tamen disertis verbis, ne quid in odium plebeiorum actum videatur; at odium, ex inuidia ortum adeò processit, vt præter intentionem Apostolicam, neq; consulto, neq; approbante Pontifice, etiam à Russicis Cathedralibus, tandem et à Collegiatis plebeios excluderet, fortasse etiam plus vltra progressurum. Aliæ nationes, non adeo, in suam ferociunt, et sæuiunt gentem, apud quas licet vnicuiq;, quem virtutes, et merita commendatum reddunt, non solum Canonicum, verùm et Abbatem et Episcopum esse. At nostri Poloni, ita fastidiunt Polonam plebem, vt citius aliquem externum sint admissuri, quàm suæ gentis, et nationis hominem probum, et benè meritum. Si putant plebeium, et infamem nullo discrimine esse: decernant quoque Christianum statum, à populari longè distare; & sic fortassè, dum nobiles videri volunt, Christiani esse desinent: deinde, aut aliam religionem introducant, quod facere velle videntur, aut potestatem summi Pontificis, ita

con-

confringant, vt illius Canones, nihil ad se pertinere, existiment. Atqui non vident, periculosum esse ludere cum Canonibus, qui omnes, quotquot sunt, sæcularis, & prophani ordinis, excommunicatos esse decernunt, quoquo modo audentes, aut præsumentes facere statuta, de rebus Ecclesiasticis, cum eiusmodi sanctiones nullius momenti sint, ex defectu potestatis. Decreta verò Conciliorum, hoc maximè volunt, & inculcant, vt plures operarios eosque probos messis ista Ecclesiastica habeat: proinde iubent institui Scholas, Collegia, Seminaria, per Diœceses frequentia, in quibus iuuentus, ad pietatem, & ad scientiam rerum Ecclesiasticarum erudiretur. In tam frequentibus Collegijs, nunquid omnes nobiles? quid igitur factum sunt præclara plebeiorum multorum ingenia, cum subductis præmijs, nullum honestiorem gradum, se consequi posse, arbitrabuntur: Hæc Foxius. Et certè videmus multos ex plebe, ita suis officijs intentos, vt ad vitæ integritatem, cum egregiam doctrinam adiunctam habeant, omnem dent operam, vt reddant templa splendida, supellectilem Ecclesiasticam nitidam, vt inuigilent ad greges sibi commissos, nonnullos videas structuras templorum integras erigere, vel collapsas restaurare, ita vt quidquid ex tenui prouentu suo acquisiuerint, libenter, & alacriter in cultum diuinum expendant. In opulentissimis verò sacerdotijs, omnia ruinosa, squalida, lacera, neglecta, cum turpè existimet nobilitas, talibus exercitijs occupari, vel ad suas Ecclesias residere, tot beneficijs distracta, quorum dispensationem nullo impetrat negotio. Sed & illud vehementer mirari possumus, cur adeò

pro-

promulgationem hanc legis contra plebeios vrserit nobilitas? nunquid et in Collegiatis opulentioribus præripiebantur illis sacerdotia prædijs, et pagis dotata? in nostra Sendomiriensi, hæc soli nobiles obtinebant, antequam promulgationes istæ contra plebeios emerserant; tamen Ecclesia vacua omninò conspiciebatur, nisi aliquot ex plebeijs census exigui, et vix decem, vel duodecem (vt communem nostratium supputationem sequar) aureos excedentis, omnium collegarum officia peregissent, et fuissent exequuti. Placuit tamen, lege quoddammodo infami, et pœna in Cortisianos quondam lata, adiuncta, plebeium sanguinem, à tam exiguo censu excludere. Vbinam illa Christiana, et sacerdotalis erga Dei ministros, charitas? vbi cultus diuini amor, et de proximorum profectu sollicitudo? sanguis, et voluntas carnis absorbuit natiuitatem spiritus: vt sola regnet, et patrimonium Christi, æquè idoneis omnibus commune, abliguriat. Quàm longè distant isti, sanguine solum tumentes, à spiritu Moysis, qui audiens à Deo mortem sibi imminere; cùm duos ipse haberet, et Aaronis alios filios, non ipse eos elegit, nec à Deo eligi postulauit, sed Deum orauit, vt ipsè talem prælatum eligeret; eius solius est, eum, qui ad gubernacula sacrorum ponitur, lumine tali illustrare, quali ad regendum populum, indigere videtur. Potens autem est Deus, & in vase fictili, preciosas & lucidissimas gemmas recondere, quæ tamen precium
2. Cor: 4 *non amittunt: quemadmodum D. Paulus insinuat, inquiens: Habemus, inquit, thesaurum, istum in fictilibus vasis; vt sublimitas sit virtutis Dei: vasa fictilia appel-*

lat

lat homines pauperes, à mundo siue ista nobilitate mundana despectos, et mundi huius bonis carentes: quales erant Apostoli; quòd quidem factum dicit, vt eò magis virtus, et potentia Dei innotesceret, qui per tales homines, tam mira operabatur. At vasa illa, quæ etsi splendida, & nobilia foris videntur, si gemmis, et virtutibus vacua sunt: nunquid meliora fictilibus istis erunt, quæ ingentes diuitias in se continent? Nunquid in illis sublimitas virtutis Dei *populis innotescet? timendum certè est, ne ex eiusmodi vasis erumpant eiusmodi vitia, per quæ nomen Dei blasphemetur in gentibus, vel qui scandalo sint subditis, ea prorsus immunda, et vilia dixerim, ex quibus potius nauseam, & horrorem decerpas, quam cibi sanioris desiderium. Nihil igitur refert, vasnè fictile, vel luteum sit, dummodò non vacuum, sed pietate, et virtutibus plenum. A Prælatis enim, & in sacerdotij dignitate constitutis, Deus maiora, et perfectiora exigit, quam à priuatis hominibus: igitur non satis est, si semiplena reperiantur. Sicut homo cum impleuerit amphoras bono vino, & inter eas paucas semiplenas posuerit: et venit, vt tentet, et gustet amphoras, non tentat plenas, scit enim quia bonæ sunt:* Semiplenas *autem gustat, sintne acidæ factæ; citò enim semiplenæ acescunt. Sic et qui pleni sunt, in fide, et virtutibus, resistunt Diabolo, et fugit ab eis, quia non habet locum intrandi: in semiplenas verò, potest facile ingredi. Talium verò vasorum quæ redundant virtutibus, delectus debebat præcipuus haberi, non eorum, quæ etsi appareant, supernè fulgentiora, intus tamen, vel vacua sunt, vel semiplena.*

Iam

Iam verò hic Cochleuius, non tulit me, de hac nobilitate diutius differentem: sed & parumper commoueri visus est, quod institutam, a Marcisouio, de eadem re contentionem, prolixius, quam fortasse temporis ratio ferebat, promouerim. Igitur partes dicendi, cum ad se pertinere, quasi ex ordine innuisset, hortati sumus vt liberè, vel nostram infringeret sententiam, vel suam proferret: nos eius iudicio acquieturos professi. Sic igitur dicere exorsus est.

CAPVT VIII.

Rectè in Rebusp: ordinem nobilem, à Plebeio discerni, ita tamen, vt inferioris sortis ob merita, idque principum iudicio, ad honores pateat aditus, multorum Imperatorum, & clarissimorum virorum exemplo, Tum qui propriè dicantur Nobiles.

Scio equidem vtrumque vestrûm, non eo animo, de nobilitatis præ plebeijs eminentia, hæc alloquia instituisse, vt inde aliquod emolumentum quæsiuisse velle videamini, quasi verò ad maiores in Ecclesia dignitates, non vobis patuerit aditus, si ab omni ambitione alienum non habuissetis animum, vel si Stephanus clarissimæ memoriæ Rex, Cichocio superstes fuisset, qui à Serenissimo Sigismundo tertio Rege, Canonicus Cathedralis *Ecclesiæ Vilnensis etiam erat renunciatus: sed nec ignoro pro Ecclesiæ commodis, & in spiritualibus exercitijs profectu, vos vehementer esse solli-*

aitos, et animo torqueri, quod virtutem cum pietate coniunctam, quibusdam cancellis septam, et solius generis praerogatiuis circumscriptam, intueamini. Quis vero non optauerit, vt bonum, quod est semper sui communicatiuum, latissimè per omne genus hominum diffundatur, nullis obiectis, ad eius consecutionem, repagulis? Verum cùm de eadem re meum iudicium exposcitis: vtpotè, qui prior vobis occasionem eiusmodi sermonum dederim, dabo operam, vt inter nobilem, & popularem statum, hunc cursum teneam, ne vterque se a me offensum conqueri possit. Ac inprimis sentio vobiscum, nobilitatem istam opinione vulgi constantem, sine praeclaris, cum virtute gestis, inanem, & vacuam esse, & superficietenus ita vocari solere, si cortice tantum, virtute quasi nucleo carente, tegatur. Sed quoniam ascensu difficilis, & ardua est virtus, nec par omnium, ad eam consequendam conatus est, cum nunc se clarius prodat, aliquando quibusdam vitijs, quasi obruta, delitescat, ita vt difficile internosci quandoq; possit; sequeretur, ingitem confusionem in qualibet Repub: exoriturum; si quilibet eam sibi arrogaret, & se prae caeteris, quasi eius possessionem nactus esset, proprio iudicio extolleret. Proinde lege ferme omnium gentium, praesertim cultiorum introductum est, vt sint distincti ordines, vt alij imperent, & Magistratus gerant, alij pro Republica excubent, eamque armis tueantur: alij culturae agrorum sint addicti; reliqui opificia, & artes sedentarias exerceant. Mercatores verò, aliundè importent, si quae vsibus domesticis defuerint. Horum omnium communes quidem debent virtutes esse, sed tamen in illis, qui praesunt,

 iusti-

iustitia, et prudentia maximè requiritur, in militibus fortitudo, in reliquis modestia, temperantia, et obediendi studium. Qui vero pluribus, et magis singularibus virtutibus excellunt, ad eminentiora loca assumi solent; vel iudicio optimatum, vel etiam postulatione, et delectu populi; ita tamen, vt nefas sit inuito principe, aut Magistratu, vel etiam reluctante populo, eum occupare locum, quem quilibet suæ virtuti, deberi existimat. Absit autem illa barbara persuasio, quæ virtuti præmia proportionata subtrahit, neminemq; ad honores consequendos, quamuis virtutibus proprijs inclaruerit, debere aspirare concedit, quorum maiores clari ex virtutibus, et rebus gestis non fuére. Alioquin necesse foret, tot Imperatores, Reges, exercituum, et Rerumpublicarum duces, ex numero clarissimorum virorum expungi: qui obscuris parentibus orti, virtute sua, ad fastigia tantorum bonorum prouecti, per omnium ora passim volitant. Sacræ literæ suppeditant nobis eiusmodi plurima exempla; vt in Saule, Dauide, Hieroboamo, Hestere, et alijs videre est. In prophanis verò historijs, innumerabilia reperiuntur, si diligenter expendas. Illud verò non puto prætermittendum, quod me legisse apud Lib: 2. *Herodotum memini, de Amasi Ægyptiorum Rege, qui cùm ab Ægyptijs contemneretur, quod obscuro loco natus: ad regium culmen peruenisset, ex aureo vase, quòd ad turpes vsus seruierat, Iouis simulachrum confecit: confectumque collocauit, in vrbis eminentissimo loco. Quod cùm religiosè coleretur, indicauit simulachrum, ex eo vase confectum esse, in quo prius Ægyptij vomebant, mingebant,*

gebant, pedesque lauabant; nunc autem religiosissimè coli: eodemque modo sibi contigisse, qui prius plebeius, nunc eorum Rex esset. Hac igitur fictione suorum subditorum animos, sibi deuinxit. Agatocles Syracusanorum Rex, figuli filius fuit, Valerio Max: teste. Sed missis Libro 12. cap: 13. *his, ad ipsos Imperatores Romanos transeamus, Augusto Cæsari, Marcus Antonius, Libertinum proauum exprobrauit, restionem è pago Turino, et auum argentarium. Cicero verò in Epistola, eum nepotem argentarij, et filium adstipulatoris vocat. Vespasiani, qui ad Romanum Imperium virtute conscendit, ac duos filios qui in Imperio successerunt, reliquit, maiores Rheate vixerunt.* Volater: libro 17. Antrop: ex Suetonio. *Ælius pertinax, patre Libertino Ælio mercatore natus, ab eodem nomen pertinacis accepit, quod lignariæ negociationi pertinaciter intenderet, extincto Commodo ab exercitu, consentiente senatu, Imperator factus est. L. Septimius Seuerus Imperator, ab exercitu declaratus, tulit Polemium hominem mordacissimum sibi exprobrantem, quod in familiam Antonianam adscriptus, patrem ad tegendam ignobilitatem inuenerit. Celebratur illius dictum: Omnia fui, sed nihil expedit, sentiens se ex humili loco, per literarum, & militiæ officia, ad Imperij fastigium esse perductum: sed nulla in re sibi placuisse.* Ælius Spartianus. *Sic Macrinus ex seruo Imperator, hunc lupanari operam suam primum locauisse, scribit Dionysius Maximus Puppienus patre fabro ferrario natus, tamen nemo senatui visus est, aptior, vt principis nomen acciperet.*

Sic Val: Aurelianus, humili genere Syrmio ortus, Imperator electus, multa bella fæliciſſimè geſſit Diocletiani patre Dalmata ſcriba ac libertus Æmilini, Senatoris *fuit.* Sic *Maximinus, & Galerius Maximianus: ſic Licinius agricolarum, & paſtorum filij. Valentinianus primus, patrem habuit funes torquentem.* Sed *quis tot Reges, & Imperatores, enumerauerit, qui genus ſuum ignobile, ad tantum faſtigium nobilitatis extulerunt, vt non mirum ſit, multos inferioris dignitatis extitiſſe, qui ex humili loco orti, magnas res geſſerint, & tot exercitibus victores præfuêrint. Narſes obſcuris natalibus, inſuper Eunuchus, qualis, quantusque vir;* Gothos *ſubegit, Italiam 17. annis,* Fulg: li: 3. cap: 4 *magna prudentia iuſtitiaque rexit, Romæ, ac Venetijs, de manubijs hoſtium, permulta templa condidit: verum recentiora gratiora fortè ſunt nobis futura, ac primum in gratiam Marciſouij, ne Venetos obliti eſſe videamur; commemorabo* Egnat: li: 3. cap: 4. *Iacobum Pariſtotum, obſcuro loco natum, a Petro Mocænico rei maritimæ Venetorum Imperatore, in ſummum, principemq; locum, ob rei militaris peritiam, aduocatum: huius forti, felicíq; opera Mocænicus ſemper vſus; ita vt eius opera* Corcyram *primum, mox* Seleuciam*, a Turcarum manibus eripuerit. Sic Catamelata piſtoris Narnienſis filius, de* Egnat: lib: 3. cap: 4. *quo ſuperius mentio facta eſt, tantus euaſit Dux: vt ſtatuam in celebri loco Patauij meruerit. Similiter Nicolaus, ob breuitatem ſtaturæ, Picininus dictus, lanio patre apud* Fulg: li: 3. cap: 4 *Peruſium editus, cuius etiam ignoretur nomen, res geſſit maximas. Sic Blaſius Axarecus, Genuenſis, aurifice patre*

ortus

ortus Alphonsum, Siciliæ *regem, vnà cum fratre Nauarræ rege, magnoq; principum, atq; equitum numero, deuicit. Verùm & Magnum Sfortiam commemorare libet, qui Cataniolæ tenui vico, in Æmilia ortus, Sfortianæ genti primum nomen dedit: Ioannem patrem habuit agrorum cultorem, ipse castra secutus, prima militiæ rudimenta, sub Boldrino celebri Duce, inter lixas, calonesque posuit, virtuteque ad eum conscendit locum, quem sua virtus illi pepererat. Et cùm Ioannæ, quæ postrema Andegauensis generis Neapoli regnauit, omnium militarium copiarum dux esset, & à Seueriano, magno Ioannæ Senescalco, ad exprobrandam generis nouitatem, ligonis fabula illi obiecta fuisset: in hoc inquit, vti video, stirpis origine pares sumus, cùm Adamus mortalium primus, terram ipse foderet.* Sed *ego certè, quod iure diffiteri non potes illo meo ligone, multo nobilior euasi, quam tu tuo pene, & penna. Quo scommate, lepidè hominem transfixit, quum in eo tantum cum inuidia dignitatem, stupro quæsitam, & patrem eius, ad Prætoris tribunal, ignobilem scribam, adulteratoque testamento, falsi damnatum, scitissimè notasset. Sed satis eiusmodi exemplorum est etiam domi, si sine aliquorum offensione hîc adduci queant. Hæc igitur stat mihi fixa sententia, me in quolibet etiam obscurissimi generis homine, virtutem, et præclarorum factorum studium, ita amplecti, et admirari, vt multos, qui se solo genere iactant, nobiles, facile contempserim. Verumenimuerò, vt tanto magis animi quorumlibet, ad operum egregiorum, et virtutum studium accenderentur, et non solum nomen, sed*

Paulus Iouius in vita Sfortiæ.

spes quoque pararent, quas posteritati relinquerent, effectum est, vt ortus, & generis ratio maxima, à multis, haberetur. Quis enim tam libenter arduis se exponeret laboribus, & periculis, si factorum suorum memoriam, vnà secum intermoriturum, opinaretur, & non potius eandem ad posteros propagandam, confideret? Nam etsi quandoq; scriptorum grauitas, & industria, eam reddant quodammodo immortalem, non tamen in legentibus idem est omnium affectus, qui potius suorum, quàm alienorum facta admirantur, & imitantur, præsertim à quibus originem suæ nobilitatis trahunt. Nam ad eorum res gestas literis mandandas, beneficijs insignes aliquos prouocant scriptores, vel etiam monimentis, trophæis, marmoribus inscalpunt, ad se illorum gloriam pertinere existimantes. Vnde putauerim, si nulla cura fuisset posteritati, in recensendis progenitorum suorum operibus, non multos inueniri potuisse, scriptores, qui sua sponte animum applicarent, ad conscribendas res aliorum gestas, præsertim si amore patriæ, & popularium suorum, ex eodem genere oriundorum, non ducerentur. Proinde dixerim non notionem, quæ ex Historicorum libris petitur, esse mensuram nobilitatis; sed contra nobilium facta, mensuram esse scriptionis, & notitiæ: tolle hunc metiendi modum, nihil restabit, quod metiri debeas. Cùm ea tantum literis mandantur, quæ acta sunt; nec vltra potest illa mensura extendi, quam admittit Cichocius, hæc verò clarior per se euidentiorq; est: proinde nobilior: cùm facilius sit, modo adsit solertia, domi sedendo, vel spectando res aliorum gestas, calamo depingere, quàm

quàm foris cum hoste confligere, acies instruere, ducere exercitum, prudenter administrare, ne quid erroris comittatur, demum fortiter, & intrepidè rem gerere. Hinc metiuntur sua scripta, qui in Historijs edendis versantur, & ad mensuram rerum gestarum, etiam sua scripta conformant, & attemperant; ita fit, vt quod nobilius, sit notius, non quod notius, nobilius. Quod igitur apud omnes ferè nationes diligenter obseruatum est, vt stirpes nobilium accuratè obseruarentur, & hæreditas quæsita, longa serie ad posteros perueniret, id quasi in ius gentium, & populorum ita transiuit, vt velle hoc infringere, & conuellere, nihil aliud sit, quam disturbatis ordinibus, omnia seditionibus commiscere velle; vt nostris ferè temporibus in Germania contingit, vbi plebs rustica, à Luthero, & eius asseclis persuasa, contra nobilitatem, prætextu libertatis arma corripuerat, multisq; ac enormibus cædibus perpetratis, ægrè a nobilitate repressa, suæ audaciæ pœnas meritas persoluit. Nobilitatem igitur eam ego tueror, quæ nihil agit perperam, nihil indecorum committit, quæ sit artis militaris perita, iustitiæ tenax, compositis, & suauibus moribus prædita. Amo, & obseruo nobiles, inferiores se, non fastidientes, non rapaces, & domo quosuis exturbantes, non vsurarios, & fæneratores, sed quietos, studijs honestis quoque incumbentes, non tales quorum auaritiam mercatura promouet, non qui subditos opprimunt, & excarnificant: maximè vero Dei, & Ecclesiæ amantes, Reipub: commodis prospicientes nec domi desidentes, qui vt contine-

tineantur in suo officio, Principis vel Senatus, vel reliquæ nobilitatis hæc cura debet esse, non cuiuslibet è plebe, cui lege probibitum est, ne aliquod decernendi ius in nobilitatem sibi vendicet, sed ad maiora subsellia referat. Quanquam hoc maximè dolendum est, quod paruo nobilitatis dispendio, sanguis plebeius redimatur: plerunque etiam impunè, ob iuris obtinendi difficultatem, profundatur: nec scio, an alicubi maiori licentia à nobilitate peccetur, quàm apud nos; quæ virtutum maiorum suorum oblita, in quæuis facinora perpetranda, amens & ebria ruere consueuit. Hanc ego non nobilem, sed mobilem dixerim esse, et dignam, quæ ex ordine nobilium submoueatur, & ad plebem recidat. Nobilitas verò virtuti innixa, nihil committit, suo genere indignum, præsertim in clarioribus, & celebrioribus familijs, quæ citra inuidiam, in quibuscunque specimen virtutis singulare repererit, eam & ornat, & euebit, atque ad nobilitatem consequendam promouet: ita vt multos reperias, qui etiam in familiam suam, plerosque ex plebe, ob virtutum merita, inseruerint.

CAPVT IX.

Recensentur nonnulli, ex humili genere in altum euecti insolentiores facti, & à fortuna deturbati Ecclesiasticos gradus, multum à Politicis differre, Nobilium virorum, virtutibus cõspicuorum, in Ecclesiis potiores partes esse debere, Tum quædam de Abbatiis, & Academia Cracouiensi.

Quan-

QVANquam, vt pace vestra protrahere mihi sermonem diutius liceat, ne hoc quidem negauerim, humilioris sortis homines, imo & mendicitatem in religione professos, cùm assurgunt in altum, plerunq; nescire fortunam aspirantem ferre, & despicere, quondam sibi pares, solere; hi sæpius ab eadem fortuna deiecti, subito et præcipiti casu ad ima deuoluuntur: aliquando etiam in vitia eiusmodi prolabuntur, quæ nobilioris sortis homines committere erubescerent. Horum exempla obuia apud scriptores passim reperimus. Antonius a Prato, patria, et patre incerto natus, pædagogum egit, tandem in Gallia leges professus, à Francisco primo Rege, Cancellarius magnus, à Clemente septimo, Cardinalis creatus, et legatus per Galliam, magnis opibus auctus, earum magnam partem in nothos suos transtulit. Cùm Ludouici fratrem Carolum, qui apud Burgundum exulabat, literis ad regnum occupandum inuitaret, interceptis consilijs, in cauea ferrea vitam finire iussus est. Ioannes Balua, natus in Pictonibus, caligarij sartoris filius, astu, felicitateque Ludouicum vndecimum Gallorum Regem, vnus pro arbitrio regens, per eum ad Cardinalatum conscendit: deprehensus in regem conspirâsse, in vinculis diu habitus, ac demum Sixti Pontificis opera liberatus, Romam inops venit. Ludouicus Patauinus Chirurgus, ab Eugenio quarto Pontifice, in Cardinalium numerum receptus, et Aquileiensis Patriarchatus honore insignis factus, opum magnitudine, et apparatus magnificentia, excedere, non tantum æquare multos Reges putatus: tantum sibi spiritus assumpserat, immemor generis, vt primus sit ausus Car-

Garimbertus li. 4. de vitis Pontificum.

Fulg: lib 6, cap. 10

Volat: li: 22. Anthrop. *dinalium canes, equosq; alere, conuiuiorum lauticiæ, ac supellectilis, plusquam illi ordini par erat, splendorem inducere. Petrum Riarium, inquit Fulg: non sine admiratione vidit ætas illius, ordinem minorum profitentem, qui inops, panem, vt ordinis eius mos est, mendicabat. Eum Sixtus quartus, diu in ordine suo ministrantem, ad Cardinalatum euexit, et Constantinopolitani Patriarchatus* Fulg: li: 6. cap. 10 *honore decorauit. Is in tantis opibus, tantaq; aureorum vasorum, ædificiorum, ac omnis generis vestium pompa, tam prodigè vixit, vt æquari multis Regibus posset: Luculoq; potius ac Xerxi, quam Francisco, aut Bernardino, (quorum ordinem profitebatur) videretur conferendus.* Polid: li: 27. *Thomas Volseus, patre natus lanio, Ab Henrico octauo Anglorum Rege, Lincolnensis primum, hinc Eboracensis Archiepiscopus; tandem et Cardinalis, sese cum Regibus exæquatum existimans; cùm ad summum, et superbiæ, et impotentiæ peruenisset; a Rege demum in custodiam inclusus, vt insanire desineret, miserè obijt. Sed si vicinioribus exemplis delectamini, superiori nostra ætate, Georgius Croatus, in aula Ioannis Scepusij regis Hungariæ matris, officio in calefaciendis hypocaustis functus: desperatione motus, Benedictinum cænobium propè Budam ingressus, eleemosynis distribuendis præfuit: mox leuiter degustatis latinis literis, sacerdos factus, Ioanni regi, armis Ferdinandi pulso, et in Polonia exulanti, fidum sese præstitit comitem, et ministrum. Ioannes à Solymano restitutus, fidei, et industriæ memor, thesauris eum præfecit, mox Varadiensi Episcopatu vestiuit, moriensq;, tutorum infanti Ioanni Sigismundo cum Isabella matre reliquit. Occasionem*

hinc nactus ambitionis, et auaritiæ exercendæ; fœdus Isabellæ, cum Ferdinando suis dolis irritum fecit, euocauit contra Germanos Solymannum. Is Budam astute occupauit; Reginam cum filio in Transyluaniam ablegauit, Georgius ibi pro libidine sua cuncta administrans, tyrannidis nomine apud Solymannum accusatus. Ferdinandi partes amplexus, eo miseriæ reginam redegit, vt coronam iusq; Regni Transyluaniæ Ferdinando resignare coacta fuerit. Perfidiæ præmium monachus tulit Archiepiscopatum Strigoniensem, è quo quinquaginta aureorum millia annua caperet: nec ita multo post inter purpuratos quoq;, à Iulio tertio in gratiam Ferdinandi lectus est. Cæterum quia incredibili inconstantia clam cum Turcis noua, licet incerta, consilia agitare deprehensus erat, iussu Ferdinandi in arce Bisam (quam ipsemet ruina monasterij extruxerat) Hispanorum, et Italorum insidijs trucidatus est, Monachus omnium, quos sol vidit superbissimus xiix. Decemb. anno salutis 1551. Ab illius morte Christianis infausta omnia obtigêre. Ferdinandus Transyluaniæ regno à Turcis exutus est. At frequentiora in prophano ordine, eorum exempla reperias: si Imperatorum, Regum, exercitus ducum, origines, progressus, et interitus miserandos, percurreris: quorum maxima pars, cùm ortum obscuriorem haberet, insignibus casibus, & cladibus nobilitata est. Sed neq; benignior, multos, qui antiquitate, & nobilitate generis gloriabantur, excepit fortuna; qui se cùm ad summum quo amplius non potest ascendi gradum peruenisse existimassent, repente inimicorum, vel conspirantium armis oppressi, deplorandum exitum inuenêre.

Ascan: Centi li: 3. Com. bellorū Transyluaniæ.

Hhh 2 *Sed*

Sed facessant nunc illi, quorum ingens numerus excresceret, singulos si recensere voluerim, nunc redeamus ad nostra. In tanta igitur varietate, ac volubilitate fortunæ, quis vnquam alium, qui sibi inferior videtur securus contempserit, vel quis despexerit eum, qui nititur, comparatis virtutum præsidijs, ad aliquem eminentiorem assurgere statum, nisi sit homo vecors, et quem cæca infecerit inuidia? Quod cùm nec in prophano ordine esset admittendum, in sacrum, cuius basis, in despectione, et abiectione sui consistit, quomodo promiscuus, præter virtutem, delectus irrepserit, satis mirari non possum. Habeat, et obtineat hunc qualemcunq; delectum, Politicus status, ne quemlibet admittat è plebe, cui quantumuis idoneus sit, aliquem in Repub. locum concedat; tueatur se recepta apud omnes gentes cosuetudine, quæ non ferunt, nec patiuntur nobilium subsellia, plebeiorum assessionibus, vt vocant, desædari. At in Ecclesiastica Hierarchia, diuersa debet esse statuum, et ordinum series: cùm Ecclesia non sit de mundo, nec politicis legibus subiaceat, solidioribus enim fulcitur fundamentis, ob potentiam Regis, & Imperatoris sui Christi, quam vt loco moueri queat. In ea videmus distinctos ordines, Episcoporum, Presbÿterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, vt reliquos quatuor minores prætercam: inter hos tamen, nullus nobilium adnumeratur ordo, sed passim qui idonei sunt admittuntur; nisi quis Canonicatus istos, non ad Ecclesiasticum, sed ad Politicum ordinem pertinere existimet, ita vt cum liceat idoneo plebeio, vt sit Sacerdos, quod maius est, non tamen liceat, vt sit Canonicus, quod multo minus

num est. Cur igitur exacto anno coguntur esse sacerdotes, qui Canonicatus adepti sunt: si is prophanus, & non spiritualis est status? Et fortasse ista persuasio nonnullos dementauit, qui cum sint prælati, vel Canonici, non tamen initiari, vel ad Sacerdotium promoueri volunt, quasi nobilitati suæ aliquam labem aspersuri: ex quibus vnum nosti fortassis Cicboci, qui nobilitate generis fretus, & insigni potitus beneficio, per annos fortassè quindecim, in Ecclesia non comparuit, indignum existimans, si sacerdotium nobilitati superinduceret, conniuentibus ijs, qui præsunt, quod quidem deplorandum est: cùm tantum in inferiores plebeiæ sortis sacerdotes, suas censuras extendere plerunque soleant. At verò, si animum in alteram, reflexeritis partem: ne vos ipsi negabitis, maioris decoris esse, si Ecclesia abundet, eiusmodi personis, quarum virtutibus, & egregiæ indoli, etiam generis nobilitas adiuncta, gratiorem facit sui officij functionem, præsertim si accesserit rerum diuinarum, iuris, & canonum, atque etiam homine ingenuo dignarum artium, peritia. Probè enim in Anatomia scripsisse Cicbocium videmus, nec amitti cleri sorte nobilitatem: neque nobilitati cleri sortem quidpiam præiudicare: respondere sibi illa inuicem pulcherrimè, & se inuicem ornare. Quis iuerit inficias, plurimos esse, in nostra hac Diœcesi, præsertim in Cracouiensi ipsa Cathedrali Ecclesia, insigni eruditione, rerum cognitione summa, modestia, & humanitate singulari, præditos viros, quorum pietatem etiam familiæ splendor, & natalium stemmata exornant, vt præter excellentissimos, & conspicuos, popularis ordinis Do-

 ctores:

ctores; Petrum Gorcinium, Ioannem Foxium, Lucam Doctorium. Addam his Andream Zagornium, Praepositum Kelcensem, et Canonicum Varmiensem, causarum Illustris. Episcopi nostri Auscultatorem peritissimum, mihi arctiori necessitudine deuinctum. Etiam nobili genere ortos reperias: qui vel Doctoratus gradum assequi, turpe sibi non ducebant, vel eo sunt literarum, et eruditionis profectu, vt nihil in ipsis desideres, quòd tam ad Ecclesiasticarum, quàm ad Politicarum rerum peritiam, et in rebus agendis solertiam, pertineat. Archidiaconus Cracouiensis, alter Episcopi oculus, satis perspicax, qualis, & quantus fuit vir, Hieronymus, inquam, Ręczayski, consultissimus iuris, prudentia singulari, facundia in causis decidendis disertissima: puritate tamen religionis, & vita innocua insignior, magno omnium mœrore, morte praecociori nobis interceptus. At vero Andreae Lipscij, Scholastici, quae in dicendo vis? quanta in controuersis rebus explicandis dexteritas, ingenium illud sagax, & grauissimarum rerum cognitione refertissimum, cui admirationem non moueat? Praeterea Szyalouij Custodis humanitas eximia, pietas sine fictione, liberalitas sine ostentatione, tuendorum praesertim in iudicijs tribunalitijs pauperiorum sacerdotum, ardor, & studium, cuinam haec non sunt perspecta, & explorata? Taranouij virtus, et pietas, praesertim circa egenos cura, omnibus nota est. Gasparis Boboliae modestiam, et ingenuum, pudorem, & Oborscij pietatem, et religionis studium: quis non admiretur? quòd eum ad Episcopatum Laodicen: et Suffraganeatum Cracou: promouit, vel potius diu reluctantem traxit.

Hie-

Hieronymus Pouodouius: celebris quondam Ecclesiastes: postea verò, et scribendo, & agendo non minus celebris, malleum Arianorum, si quis eum fuisse dixerit, non aberrabit à scopo: cùm fortè ex senectute imbecilliores collegisset vires: collectum antea pecuniam, in vsus templi ædificandi, quod à Carmelitis reformatis nomen habebit, effudit. Nec subticendus est Iacobus Ostrowski, excultissimæ eruditionis, præsertim in professione Theologica vir, qui eam laudem ex concionibus habitis, assecutus esse videtur, vt summis concionatoribus eum exæquare non dubitaueris. Credo & in cæteris Cathedralibus Ecclesiis non deesse plurimos, ex quorum virtutibus, et Ecclesiastici ordines, et familiæ genere, et stemmatibus insignes, magnum reportant ornamentum; hos omnes recensere, nec mei propositi est; nec si velim, cùm non multos nouerim, facere possim. Et quidem expedire video, vt in aula Principis clerus nobilior, & frequentior sit, et ad tribunalis iudicia, quæ non admittunt ad consessum nisi nobilē, mittantur: quos non solum pietas, et eruditio; verum et ipse equestris ortus reddiderit aptiores. Nobilitatē igitur generis, nobilitati veræ, quæ ex virtutibus constat correspondentem, ego maximi quidem facio: tamen plebeios æque doctos, ac pios viros, à maioribus in Ecclesia subsellijs, lege excludi indignum esse iudico; præsertim si sola nobilitate fultis, deberi existimentur; quod professioni Ecclesiasticæ congruum non esse existimo: nisi quis Ecclesias tenuiorum prouentuum, quamuis hæ, vel Cathedrales, vel Collegiatæ sint, vacuas doctis, et probis viris, reddere voluerit.

Quem:

Quemadmodum in Abbatijs opulentioribus fieri videmus, in quibus tot pagi vix sufficiunt; aliquot monachis alendis: alioquin non tam vacua forent sedilia Monachorum, in choro canentium. Apud ordines verò mendicitatem professos, tanta frequentia conspicitur, vt cum careant possessionibus, & bonis attributis, ita tamen viuant, vt nihil illis deesse videatur. Ad hos ingens non solum plebeiorum, verum & nobilium concursus: Apud istos verò Abbatiales, vix aliquem idoneum nobilem monachum reperias: qui ex lege quamuis iniquissima, in Abbatem eligi possit: Aliunde certè quærendus est, aut saltem ex aula petendus, vt possessiones, & bona, in tanta temporum iniquitate, vtcunque retineantur. Optauerim ego quidem regulas, & instituta eiusmodi religionum, ad amussim obseruari: sed soluta disciplina monastica, cum difficile sit vagabundos, & effrenes in officio contineri: necessarium est, vt saltem authoritate alicuius grauioris, & nobilioris Cænobiarchæ, coërceatur illa discursantium monachorum licentia: vel talis ineatur reformatorius modus, quo possit ad inita, & primordia sua, reduci, & reuocari: Et certè Academia Cracouiensis altrix, & promotrix honestissimarum artium, inter professores nullo discrimine vtitur: sitne nobilis, vel ex infima plebe oriundus: modo sit doctus, idoneus, & suam professionem, cum vtilitate aliorum exerceat: non quod non sint inter professores plerique nobiles, quorum generi honor debitus non negatur, sed quòd illorum, qui multorum annorum laboribus detriti, receptæ leges, & consuetudines, potiorem rationem habere voluerint. Nec ipsi nobiles conqueruntur, id sibi fraudi esse;

di esse; sed maiores, & præceptores quondam suos, reuerentur, colunt, & obseruant; ita vt benè ordinatæ Reipub. specimen quoddam ibi repræsentetur. Quanquam audio à plerisq; reformationem eius vrgeri: nec pijs Episcopi, & Cancellarij sui conatibus obsistere velle: verum metuo ne eiusmodi reformatores se vltrò ingerant, qui exquisitiori reformatione ipsi opus habeant. Vtinam verò suo modo, & ordine, tamen non sine totius vniuersitatis assensu, res ad effectum quandoq; perduci possit: nec difficile id factu foret: modo non desint stipendia: cùm egentem velle philosophari arduum sit. Sed & in Collegiis Patrum Soc. Iesu, imò in toto ordine nullum discrimen habetur, nobilis, aut ignobilis: eadem est ratio omnium, & idem ex instituto viuendi modus, ita vt mirarer Anonymum Cicbocianum conqueri, quòd apud eos nulli nobiles Collegiis præficiantur, & pauci in Societatem recipiantur. Sed egregiè reiectum esse, & refutatum, hoc illius comentum, à Cicbocio video, qui tam multos, è Societate generoso, & equestri sanguine ortos, enumerat, & ex his assumptos Collegiorum suorum Rectores, & Præfectos, vt nesciam an aliquis celebrior religionis ordo, tam multos habeat, qui ortus sui initia, ad nobiliores familias referre queat. Hæc igitur circa nobilitatem dicta sunto, puto vtriq; vestrum me satis fecisse, & in hoc tractatu citra offensionem vtriusq; partis me esse versatum. Sed video familiam discursantem meam; fortasse iam tempus prandij propinquum esse suspicatur: imò iam & puerum accurrere video, heus puer, num iam apparata sunt omnia, caue ne nos frustra extrahas, si non illico assidendum sit Puer:

Et in coquina matura iam ſunt omnia; reſtat vt tantum importentur cibi, & menſa inſtructa, non patietur vos diu famelicos eſſe. Quin verò imus, inquit COCHLEVIVS, *animum feſſum, ex tam longis alloquiorum ambagibus, recreaturi?*

LIBER

LIBER QVINTVS.

Argumenta, seu Synopses Capitum.

CAPVT PRIMVM.

Apparatus ad mensam. Ablutio manuum Discubitus. Conuiuarum numerus. De loco contentiones.

CAP. II.

Fructuum illatio, Fictiles, aureæ, Literatoriç Cœnæ, & dapes, Laconum mensa solum cænare, commodum ne sit?

CAP. III.

Suo quemque sumptu conuiuari, an deceat, Miconii apud Grçcos qui: De variis ferculorum generibus ex Plauto. Panis vsus, voracitas quorundam, Romanorum lex sumptuaria, Patinarius luxus.

CAP. IIII.

Mensa vacua an tollenda, Slauinç gentis hospitalitas, Cereuisiç potus quondam vsitatior, quam vini, Ecclesiasticis à vino abstinendumne.

CAP. V.

Vini vsus, qualis debeat esse Poculorum quotus numerus, vinum innocuum A Cristo, & sanctis, miraculis nobilitatum, ad animorum recõciliationes, & acuenda ingenia accommodum, Consultationes ad vinum quales.

CAP. VI.

Circa cellas vinarias, quorundam immensa cura. Quibus incommodis vini potores afficiantur, Ebrietatis detestatio.

CAP. VII.

In conuiuiis alloquia suauia, & recreationi honestç conuenientia adhibenda, Latrunculorum & aleæ vsus, Cantilena iocosa, Precium cauponarium.

CAP. VIII.

In alloquio familiari, à titulis exquisitis abstinendum, Risus effusiores, & clamores vitandi, Scurrilitates Lutheri ad mensam detestandç, In conuiuiis, disputationes prçsertim de religione, vtrum instituendç.

CAP. IX.

Contentiones rixoſç, non solum à mensis remouendç, verum & à pu-

blicis concionibus, Ministrorum è suggesto, altercationes plausibiles, illorumque artes, & imposturę.

CAP. X.

Iesuitarum concionandi modus ab hæreticorum ministris, diuersus. Iesuitæ apud nos, qui iudicati eo in genere excellentes, ab illis à quibus accersuntur, & vocantur.

CAP. XI.

Quibus titulis ministri hæreticorum honorari affectant. Ex illustribus familiis, prodeantne ministri. Illorum functio, & apud ipsos hæreticos contemptibilis. Horum ridicula ordinatio, Diabolo etiam cōcessa.

CAP. XII.

Paritatem fratrum, non tollere, proeminentiam principatus. Ministri an Catholici sacerdotes, rudioresne sint.

CAP. XIII.

Ridiculę rationes, quę inducunt, vt expeditius Deo seruiatur, vxorem ducendam esse, præsertim Lutheri. Eius enumerata soboles.

CAP. XIIII.

Ineptię ministrorum, in administrandis suis prophanis sacramentis. Lutheri censura de eisdem.

CAP. XV.

Flagitia, & turpitudines, Imperitię, & stupiditates ministrorum detectę.

CAP. XVI.

Quorundam Catholicorum sacerdotum, tum imperitè, tum festiuè dicta, & facta commemorantur, & excusantur.

CAP. XVII.

De Bartholo, & iure Magdeburgensi, disceptatio, non iniucunda, & Alloquiis impositus finis.

LIBER

LIBER QVINTVS.
CAPVT I.

Apparatus ad mensam. Ablutio manuum. Discubitus, seu sessio. Conuiuarum numerus. De loco contentiones.

PERgit itaque COCHLEVIVS hospitis officio fungi, & nos astantes sic affatur: quandoquidem meos sacrorum coadiutores, illatis epulis bene precatos, nostris subsequentibus votis, audiuimus, accedat vnusquisq; vestrûm ad hanc distillantem vrnam, vt manus lauet; ne aliquis Pharisæus inueniat carpendi occasionem, quòd illotis manibus, cibum capturi, accubuerimus, & satis erit primo, atq; vltimo lauisse. Nescio an Iudæi obseruantissimi traditionem sæpius lauerint inter prandendum, colligimus tamen ex Lampridio, veteres, per singula fercula manus abluere consueuisse, quod significat in Heliogabalo, seruatum. Parasitis inquit in secunda mensa sæpè cæream cœnam, sæpe ligneam, sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam etiam marmoream, vel lapideam exhibuit, ita vt omnia etiam illis offerrentur videnda, ex diuersa materia, quæ ipse cœnabat, cùm tantum biberent, per singula fercula, & manus quasi comedisset, lauarent. Plerosq; etiam ex veteribus vsos apomagdalia, ad manuum ablutionem, id verbum significat molle panis, quod quia mox obijciebatur cani-

bus, Lacedemonij cynada vocabant. Apage, inquam, Cochleui, cum eiusmodi ferculis, nisi nos domi tuæ lotos, iubeas ad hospitia pransum abire: Absit, subintulit ille, quin Athenę lib: 5. ca: 11. *propere discumbitote, non enim imaginario verum solido, tametsi Laconico prandio sum vos excepturus. Bene, inquam, facis, quòd nos discumbere iubeas: sed iuuat morem nostrum sequi, vt sedentes prandeamus: nam apud Homerum sedent Heroes in conuiuijs, non autem decumbunt. Eius imitatione Alexander cùm quadringentos duces aliquando conuiuio excepisset, in argenteis curribus, sedere fecit, & in sellis purpureis vestibus* Lib. 5: Gen:c. 2 *substratis, collocauit. Scribit Alex: ab Alexan. Cretensibus inter vescendum accubuisse, instar magni criminis fuisse. Itaq; stantes epulabantur, Græci in toris ex boum tergoribus assidentes ludebant, & vescebantur: idem testatur apud Indos solum regem, in lecto ex stramentis, facto accubuisse, cæteri sedentes epulabantur. Sed accumbant vt voluerint Romani, qui cœnacula ita ampla extruebant, in quibus, vel triginta sterni lectuli valerent: nos sessum eamus; stantes enim vesci, neq; decorum, neq; commodum existimo, quanquam Terentium Varronem, et Annibalem, post res afflictas non sedentes vt antea, sed stantes cœnitâsse legimus, fortasse vt expeditiores ad fugam, hoste irruente, essent. At Cato iunior, post ciuile bellum, non accumbens vt prius, sed sedens cibo parciore vsus est: imo etiam veteres Romanos scribit Seruius Grammaticus, sedentes epulari solitos, eumq; morem habuisse ab Laconibus, & Cretensibus. Quin & ambulando pransos esse nonnullos reperio.*

rio. Socrates, de Piore monacho, in deserto Thebaidis, ex Euagrio retulit, ambulando eum cibum capere consueuisse, interrogatus autem quam ob rem sit vesceretur, respondit, nolle se cibo tanquam operis aliquid necessarij facientem vti, sed malle neglectim, & obiter, aliis vero ne inter vescendum corporalis aliquid delectationis anima perciperet. Hic verò Marcissouius: quousq; tandem stando, et confabulando fatigabitis pedes, ex inedia vix se sustentantes; nisi fortè Cochleuius putet, nondum patinarias structas struices, vt Plauti verbis vtar, præsertim cum ipse, a cocis imperitioribus, cum quibus nunc credo altercatur (non enim sine causa hinc se subduxit) diu absuerit. Assideamus tamen nos, præstat enim sedendo expectare aliquantulum, & colloqui, quam istos Stoicos imitari, quorum pedes ærei sunt. Et ecce quam bene conuenit conuiuarum numerus: posteaquam assedimus, vnus tantum, & is primarius relinquatur Cochleuio locus, id est, septimus, Agamemnon enim apud Homerum, sex Græcorum præstantissimos, ad conuiuium vocat, septimus sua sponte superuenit Menelaus, non tam dapis causa, quam vt fratri, si vbi opus esset, opera sua præsto esset. Similiter & Cochleuius noster inter quatuor sacrorum Gymnistas, & duos ciues, septimum locum obtineat: sæpius enim vltimum vidi mensæ assidentem, & tanto magis quòd veteres dixêre de numero conuiuarum, septem conuiuium, nouem conuicium, hoc est, clamor quasi conuocium, vt Iulius Capitolinus refert in vita Lucij Veri, in cuius conuiuio primùm duodecimus accubuisse dicitur. Græcis enim quatuor, aut quinq; conuictores, vnis mensis adhibere satis

Socr: lib: 4. ca: 23.

Iliad: 2.

re satis erat. Marcus autem Varro, in Satyra Manippea ait, conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Musarum, id est, proficisci à tribus, & consistere in nouem, vt nec pauciores sint tribus, nec plures nouem: & hoc Romæ, et Athenis in vsu fuit. Ipsum autem conuiuium absolutum, ex rebus quatuor constare, si belli homunculi collecti sunt, si lectus locus, si lectum tempus, si apparatus non neglectus; nec loquaces autem conuiuas, nec mutos esse oportet, illud foro, hoc cubiculo conuenit. Cherophon apud Athenienses videtur admittere conuiuas, vsq; ad triginta, duntaxat in nuptijs: vtinam vero et nostrates Poloni, tam equestris status, quàm oppidani, eodem numero conuiuas definiant inuitatos, ad quaslibet nuptias, siue ad celebriora conuiuia; vbi plerumq; vltra centenos numerare poteris, si computaueris, illam inconditam famulorum turbam, à qua sæpius dissidia oriuntur, et interdum ad vulnera, et cædes peruenitur. Apud oppidanos verò, totius oppidi confluxus solet esse, nutricum, ancillarum, puerorum, seruitorum, domesticorum, vt non facile loco mouere, et expedire te possis, imò præ strepitu, et tumultu ne puerum quidem tuum, vt tibi poculum porrigat, inclamare quiueris. Nec verò apud nos οἰνονόμοι, quibus dabatur negotium numerandi conuiuas, haberent aliquam officij sui functionem; quemadmodum antiqua erat receptum consuetudine. Refert idem Rheneus fabulam non illepidam. Parasitus, inquit, cum non inuitatus venisset ad nuptias, & postremus accumberet. Inoconomi numeratis conuiuis, iusserunt illum abire, quòd contra legem super numerum triginta assedisset.

sedisset. Et ille numerate inquit denuò à me sumentes initium: hoc pacto non erat futurus supernumerarius; sed ille qui primo assederat loco: verum apud nos citius foras exturbaretur, quàm ista numerica ratio, locum aliquem esset habitura. Sed & Heliogabali Imperatoris monstrosus fuit inconuiuiis accersendis numerus. Ælius Lampridius, eius morem fuisse scribit, vt simul ad cœnam vocaret, octo caluos, octo luscos, octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo prælongos, & octo præpingues, & obesos, cæterum de loco velitationes fuere frequentes, imò & iurgia, vt nunc quoque passim. Apud antiquiores verò, & apud cultiores nationes, senioribus, & ætate venerabilibus, aut his qui prudentia, & autoritate anteirent, primi discubitus, & honoratior locus dabatur, ipsiq; sublata mensa primi assurgere consueuerant. Erat autem Romanis locus honoratior, qui summus in mensa fuit, nonnulli in medio discubuisse honoratius putarunt, in imò verò conuiuij dominus cænabat, & nunc ferè, eundem apud nos receptum morem videmus. Indis autem vt cuique in mentem veneat, inquacunque parte lecti discumbere licebat, non enim honorum personæuè ratio in mensa habebatur, sed id barbarum est. Quantò melius Canutus secundus Danorum rex, statuit, vt in capessendo discubitus ordine, is qui prior militaris muneris aduocationem sortitus fuerat, loco antecelleret. Eum verò qui cœna inita aliqua mora interpellante, tardior superuenisset, inter considentes excipi oportebat. Qui si tam arcto se consessu iunxissent, vt qui superuenerat recipi nequiret, qui eius loco insederat, exur- Sax: lib. 10.

Kkk *gens*

gens, proximum occupabat, cò vsq; inuicem se assurgendi officio venerantibus; donec laxato totius consessionis ordine, legitimum recipiendo spatium patuisset, mensáq; qui postremus residebat, abscederet. Sed optimè omnium Celtæ, cùm simul plures cænabant, circularibus mensis vtebantur, apud quas nullus prior, nullus posterior locus, et ita omnes altercationes de potiori loco, submouebantur. Sed eccum Cochleuium cum toto prandij apparatu, minus iam de ordinando accubitu sollicitum, vt properat ad vltimum sibi iam destinatum locum, crediderim conuiuijs Romanis sæpe eum interfuisse.

CAPVT II.

Ferculorum illatio, Fictiles, aureæ, literatoriæ, cœnæ & dapes, quæ & quales? Laconum mensa, solum cœnare, aut cum quibusdam deceat ne magis.

TVm Cochleuius, apponite ex ordine discos famuli, ego hîc assidebo in imo, vt sim expeditior, si foret properè assurgendum; miror quam concinne Marcissouius assignauerit, vnicuiq; vicariam mihi operam exhibens, locum et forte de capessendis locis quidpiam locutum esse, credo, alioquin & id modicum temporis, quo abfui, sciui, frustra elabi passum non fuisse. Ita est, inquit Marcissouius, existimaui enim apud amicum id mihi meo iure licuisse. At cùm ego loca accubi-

accubitus, fuerim dimensus, tu hanc mensam ferculorum copia metire, crediderim hoc apparatu, te nobis litterarium prandium apponere velle: Apage, inquio, cum tuo literario prandio Marcissoui; nunquid Heliogabalum illum vis imitari, qui suis conuiuis fictiles cœnas apposuerat, ad imitationem culinariarum dapum efficlas? nos pro epulis literas non mandimus. Neq; delectarer admodum tota illa aurea cœna, quam Pythij Bithinij, vxor marito suo apposuerat, qui cum omnes ciues suos in metallis fodiendis, occupatos habebat, idq; vnum auri congerendi studium tantopere coluit, vt ob laboris illius magnitudinem, interirent plerique. Vnde mulieres ad Pythij vxorem agminatim venerunt, instanter omnes, vt huic malo mederetur: illa ergo adhibitis artificibus panes, & alia id generis edulia, confici præcepit eaque omnia Pythio, parari cœnam postulanti, apposuit. Quorum aspectu delectatus primum Pythius, post hæc cibos afferri imperauit, verum cùm vxor cuncta quæ postulabat ex auro concinnata iuberet apponi, & is ira percitus sese clamaret esurire, nec amplius auro opus esse, respondit illa; Omnis ciuium tuorum cura tuo iussu, in parando tantum auro, versatur, iam propter id nullus agros colit, iam totius rusticationis cura intercidit. Hac vxoris castigatione motus Pythius animum ab incepto reuocauit opere. Falleris Cicboci, respondit Marcissouius, non figulneas, non aureas dapes tibi apposuit Cochleuius, *nec litteras te mandere iubet, sed miratur te non legisse apud Spartianum Antonium Getam Imperatorem habuisse istam consuetudinem vt conuiuia* Polyen9.

& maxime prandia per singulas litteras iuberet scientibus seruis apparari, velut in quo esset anser, Aprugna, anas, item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam literam genera eduliorum caderent; & item Phasianus, fartaficus, ficus, & talia, quare comis etiam habebatur. Plautus quoq; in Penulo litteratas epulas vocat, quæ litteras habent vnciales, quæ indicant ex quo loco veniant, siue epulæ, siue dolia. Tunc ego, reddidisti inquam animum, ego existimaui litteratorium vocari, perparcum, famelicum, pultiphagum quali, qui literis incumbunt, ne obruatur ingenium, vti solent. At hîc video longam seriem alphabeti per mensam protensam, quod colligere foret non difficile, si quis attendere cuperet. Ludis me, ait Cochleuius; quin id quod appositum est edis? non ego is sum, vt cupediarius vocer, siue lautus, & accuratus, magis me delectat Laconum mensa, qui ideo angustam habebant, vt vel ipsius loci angustia, tum patientiam discumbentium exerceret, tum ferculorum multitudinem excluderet. Nunquam tamen μονάνθρωπος *esse volui, vel Plautinus pultiphagus, frugalitatem amaui semper, mundiciei, & nitori æque amicus, solus tamen, etiamsi fame vrgente pransus sum nunquam, ex quo vir esse cæpi. Vehementer enim mihi ille senex Eremita apud Cassianum placuit, qui nunquam solus cibum sumpserat, ac propterea ad totos quinq; dies, sæpius reficiendi corporis moram extraxerat, dum vel die Sabbathi, vel Dominico, cùm ad Ecclesiam accedendum fuit, occasio obtulisset aliquem fratrem peregrinum, quem secum adductum, mensæ sodalem adhiberet, atq; id ipsum non*

μονάνθρωπος

Lib:5. C. 26. Gastrimargire.

tam

tum suæ necessitatis gratia, fecisse, quam hospiti pietatis officium exhibendi causa. Dictum etiam illud apud Romanos hominis lepidi & popularis, quisquis is author fuit tritum refert Plutarchus, quo die solus cænauerat edisse se non cænasse, dicentis quasi colloquium cœna, et festiuitatem semper postulet oblectantem. Sed neq; Cichocius solus prandisse vel cœnasse visus est vnquam, postquam sui iuris esse cæpit: nescio an non à Martiale dum iunior esset, eum morem mutuauerit, qui, quamuis plurimi conuiuæ forent nec haberet, cum quibus ea, quæ ipsius ingenio congruebant loqueretur, solus se accubuisse existimabat, quod lepido illo Epigrammate, ad Fabullum expresserat. Lib: 7. Quæst: Con.

Ignotos mihi cum voces trecentos,
Quare non veniam vocatus ad te
Miraris? quererisq; litigasque
Solus cœno Fabulle non libenter.

Marcus verò Cato, vt Plutarchus refert, mensam maximè amicorum parentem atq; procreatricem existimauit. Ei cœna erat ruri liberalior, inuitabat enim assiduè villis suis vicinos, et finitimos, quibuscum ei et familiaritas intercederet. Cum his viuebat hilariter. eratq; iucunda consuetudo eius et accepta, non æqualibus modò sed iuuenibus etiam, nempe multarum rerum peritus erat, multisq; rebus et sermonibus memorabilibus, interfuerat. Mensam inprimis putabat esse amicitiæ conciliandæ aptam, ac frequens illic laudatio egregiorum virorum introducebatur, frequens etiam malorum et improborum obliuio, nec vituperationi eorum, vel commendationi permittebat in conuiuium suum In Catone.

Cato accessum. Plutarchus in Apophtegmat: Romanis refert Pauli Æmilij deuicto Persio dictum. Eiusdem esse animi, & aciem, & conuiuium instruere. illam quidem vt formidolosus hostibus, hoc vt amicis gratus esset. Dictum est etiam a nobis conuiuia plerunq; dissidentium animos conciliare solere. quod idem Plutar: in Cice: factum esse asserit Marcus inquit Crassus ad Bellum particum profecturus, maluit Ciceronem amicum, quam inimicum relinquere, quare eum amice compellans, apud eum se dixit velle cænare, quem Cicero comiter inuitauit. Paucis interpositis diebus. adierunt Ciceronem amici rogatu Vatinij vt illum quoq; Ciceroni. (nam erat inter illos grauissima simultas) reconciliarent, quibus Cicero, num et Vatinius apud me vult cænare?
Sueton: *Augustus autem Cæsar conuiuabatur assidue, nec vnquam nisi recto, non sine magno ordinum hominumq; delectu: solebat ad cœnam inuitatus non negare, quo se ciuibus suis conuictu non superbo, quam familiarissimum faceret. A pauperrima ac tenuissima cuiusdam cœna rediens, hospiti illum verbis prosequenti, hoc vnum ad aurem iocoso murmure respondit: tam familiarem me tibi non putabam. Non immerito igitur conuiuia apud Romanos charistia appellabantur: vt si qua inter necessarias personas, querela esset orta, apud sacra mensæ, et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Cur quoq; nobis moderatis, et a Christiana professione non alienis conuiuijs non liceat vti? a quibus nec ipse Dominus noster, cum magno accumbentium fructu, abhorruisse legitur, vt in Cana Galileæ. & apud Pharisæum illum obseruatorem, vltimum tamen*

Valer: Max: lib: 2. cap: 1.

men

men conuiuium, siue cœnam voluit esse magnificam et splendidam, de cuius mensa etiam nunc pascimur omnes. Paulus etiam inter cæteras virtutes, hospitalitatem enumerat, ad eamq; fratribus præstandam, passim illos ad quos scribit, inuitat. Quis igitur iure me, & Cichocium carpserit, quod mensa nostra quotidie, a tot sacerdotibus, et ministris qui ad Ecclesiam pertinent obsideatur? vt præteream amicorum et hospitum vndiq; confluentium turbam, cum eò loci collocati sumus, qui ferme omnibus peruius est. En quantopere ego & nunc delector isto consessu vestro. Tu Marcisoui, qui in assignando cuilibet accubitu meas tibi partes desumpseras, cur non inuitas hos ad obsonandum, vides enim illatis cibis remissius vesci, cum potius depellendæ fami, quam ventri infarciendo inseruiant.

CAPVT III.

Suo quenq; sumptu conuiuari an conueniat, Myconij apud Græcos qui? tum etiam apud nostrates Polonos. Ve variis ferculorum generibus ex Plauto. Panis vsus. Voracitas quorundam. Romanorum, leges sumptuariæ. Patinarius luxus vel parcus.

Ista me cura ipsi hospites liberant subtexuit Marcisouius, qui optimum ciborum condimentum secum attulere, exercitationem, & famem, ideò neq; cogendi, nisi forte non arriserit, quidpiam palato. Video enim nonnullos patinarios

cibos

cibos submoueri, nonnullos attrahi: vnde vehementer mihi placuit ille primus apud Græcos conuiuandi modus, Hæsiodo teste, ad quod plurimi conueniunt, sed suo quisq; cibo sumptuque. Ait enim propterea, talem modum sibi probari, quòd cùm plurimum habeat iucunditatis, minimum habet sumptus: nam et temperantius editur, & bibitur, vbi quisq; de suo edit ac bibit. Porro qui splendidiores affectarent videri, tum de suo, etiam lautius exhibebant: Imò & Romanis quondam censebatur probrosum, alienis vesci, proinde ferebant singuli, quod essent aut biberent, ne dicerentur ἀλλοτριοφάγοι. *Apud Heluetios, audio etiamnum, eam conuiuandi rationem vigere, vt qui ad conuiuium accedunt, licet vocati, panem & vinum secum ferant, quemadmodum et apud nostrates ciues, & oppidanos experimur fieri dum inuitantur ad nuptias, pleriq; enim tum honoris causa, tum interdum necessitatis, si egentior paterfamilias vel sponsus sit, mittunt, ea quæ ad celebriorem apparatum nuptiarum spectant, idq; alacriter ac libenter, vt indecorum habeatur talia aspernari, quin etiam pro vino sæpius symbola facere, ne id quidem turpe habetur, inde fit suauior interdum conuiuandi modus, cum nemo qui inuitatus non fuerit, temere se inter inuitatos ingerat. Nam ego quos Græci vocabant Miconios vicinos, admodum odi, et execror qui in conuiuium non vocati accedunt, vel potius irrumpunt: præsertim illi qui milites aut nobiles haberi volunt; nam hoc nomine Myconios notauit antiquitas, quod liguritores essent, & alienæ appetentes mensæ. Adeo multi Perediam et Bibesiam, vt Plautinis verbis vtar colunt, vt eas deas nisi in conui-*

Cæli⁹ ex Suida.

Suidas.

in conuiuiorum assessibus, inueniri posse negent: Tales etiam antiqui Catiliones vocabant, quorum mos erat alienas ædes, oberrare quod a canibus tractum esse videtur, quorum is mos est, Hi multò versatiores sunt quàm rota figularis, vnde ille Parasitus apud eundem Plautum in captiuis scite, admodum. Neq; vnquam quidquam me iuuat, inquit, quod edo domi, Foris aliquantulum etiam, quod gusto, id beat: Et in Persa: Non ego inimicitias omnes pluris æstimo, quàm mensa inanis nunc si apponatur mihi. Illud verò pulchrum, quod refert, Olaus. Starcbaterum Suecum pugilem fortissimum, ad conuiuia nunquam se inuitari passum esse, eo quòd scurrarum hunc morem putaret esse, lautioris alimoniæ gratia ad alienæ culinæ nidorem decurrere. O quàm frequenter Polonorum conuiuia, disturbantur, istis impudicis Myconijs, non solum oppidanorum, verùm & nobilissimarum familiarum, qui coguntur istos importunos visitatores, & salutatores fictitios, non solum excipere, sed tolerare. Habent autem in vsu, his verbis, hospitem aggredi: postquam resciui te esse domi prætermittere nolui; quin te inuiserem, & quod bona valetudine fruaris gratularer, tum vt obsequia mea commendata tibi redderem, hæc tota oratio eorum est, & tota veniendi ratio, & certè vereor ne et in isto consessu nostro aliquis abliguritor, prandium hoc inuadat, quod aliquoties euenisse, dum hîc a Cochleuio detinerer, molestissime tuli. Nulli tamen istis, ἀλλοτριοφάγοις, *et eorum incursationibus magis expositi sunt et obnoxij, quàm Abbates nostri, ad quos præcipiti cursu olfactores prandiorum feruntur, postquam resciuerint*

Ex Plauto in Gurgulione.

Ibi 5. cap: 5. hist: 7.

uerint apud eos apparatiorem incaluisse focum, quem diligenter obseruant, an fumus densior erumpat, ex camino, an vero tenuior, et transparentior: prior tardioris prandij pro signo habetur, posterior iam decocti & apparandi, tunc concitatioribus equis properant, ne antequam fuerit assessum, loco angustiori accipiantur: Nonnullos reperias, qui importuniori aduentu, prandia resecant, et rescindunt: aliquos etiam, quibus secundo, vel tertio, aut quoties opus fuerit, mensa instruenda sit, vt non commemorem palpones, illos vmbraticos, et reliquam equisonicam turbam, quos nisi affatim paueris, in herorum suorum capita, contemptum hunc redundare clamitant, & sæpius lites, & iurgia cient, tametsi et plerique nobiles eam seruitutem seruire cogantur. Hæc cùm Marcissouius, quasi indignabundus, protulisset, egregium vero te præstas συμποσιάρχον *Marcissoui, inquio: nam etsi vera loquaris, non debebas rubore suffundere Cochlouium, qui nulla ratione permissurus esset, vt aliquis; tametsi non inuitatus suos cibos in canistro, apportaret ad ipsius mensam. Valeat ille Græcorum, et Romanorum antiquorum conuiuandi modus: vel si placet, ad tuum Czerminum potius relegetur, quem tantopere tibi placere dicis. Habet ille quod amicis apponat, ita vt nec istos Myconios magnopere perborrescat: quanquam hic rariores compareant, Abbatum pinguioribus mensis intenti, si modò superfuerit ad eos excipiendos, et tractandos sumptus, quibus maior religiosorum numerus, ali, & sustentari poterat. Vt prætere am tot in lites, & fori iudicia, easq; ingentes expensas, quæ nostros cœnobiarchas exhau-*

exhauriunt, & plurimis afficiunt, & distendunt molestijs: illos præsertim qui non sordidi, vel parci, sed liberaliores, et cultiores habentur. Sed mittamus has expostulationes, satis est, his quæ præ manibus habemus, vti, et hospitem et nomine commendare, qui non fastidit, ob amicorum gratiam, culinarios interdum perpeti fumos, vt mensam nobis exhibeat, talibus epulis refertam, qualibus nos delectari nouit. Hic verò Cochleuius non tenuit silentium. Quandoquidem dentes vestros, non dentire ad cibos meos, quin potius ex istis confabulationibus, quam ex cibis maiorem voluptatem capere video: necesse est, vt reuocem animos vestros, ad istas patinarias struices: siquidem me condendorum ciborum peritum esse arbitramini, interseram etiam nonnulla Plautina, vt explorem, vtrum ipsius sensum fueritis, quondam assecuti. En habetis condita prata in patinis, his vna cum assis vescimini: quanquam Itali, & aliæ nationes soli propinquiores, non cum assis modò, verùm passim, vt sors tulerit, etiam in ipso capite prandij, quasi seorsimo-ferculo vtantur, et ita pratensium herbarum auidiores sunt, vt vix aliquando bobus pascendis sufficiant. Cur reiectas Cichoci? quidni reiectem, visne vt boum pabulo saginer? meo senili stomacho desiêre istæ deliciæ sapere. Quin perge, vt cæpisti Bene, inquit, mones, quin verò hoc Epythirion sumitis? Sed ne hoc quidem Cichocij stomacho conuenit. Tum ego, bene conueniet, sed τῦρον *in prandij catastrophe adhibeo, nec hanc colostram curo, protrude ad seruitia, amoue et hoc sumen, abdomen, pernam,*

fac transferri in alteram famulitiam mensam, etiam ista muriatica salsamenta. At ego, inquit Cochleuius, memini, te auidius aliquando hisce vesci solitum, vel non tam edisse quàm abedisse, neq; enim sorbillo victitare vnquam consueueras: striblitæ verò, tuo semper arrisere palato, vt artorpta panis tostus, colliphia verò bordeaceus panis digestus, quæ turbicinari et non emanducare eras solitus; verum fortasse, tuus coepulonus, Leopoldus medicus, his dapibus nuper tibi interdixerat, ne tuo calculo fomenta suppeditares nocua. Hic Marcisouius: Mittitote ista Plautina, quæ vix quispiam intelligat nisi digito monstrentur: Neq; enim assequor, quid sit dentes dentire, quid Epythirion: quæue ista sunt prata condita in patinis, quæ Muriatica salsamenta, quid colostra, quid callum, quid scriblitæ, quid artorpta et colliphia, vel quid turbicinari significet: edissere Cochleui, tenacioris enim memoriæ te semper fuisse noueram. Ne id quidem abs re facturus, sum, respondit Cochleuius, vt si non pastu obsoniorum, saltem cognitione eorum, reficiamini. An ignoras dentes dentire dici, cùm pruriunt ad cibos, quanquam et de pueris idem dicatur, cùm incipiunt dentes deijcere; Epythirion verò est caseatus cibus, vel ipse τύρον siue caseus, an non in scholis nobis familiarissimus erat? Scriblitas vocat Plautus, tortas ad secundas mensas, prata condita in patinis, vno nomine censentur, siue asparagi sint, siue lactucæ, vel oleo et aceto conditum olus, Muriatica salsamenta, oliticeta et aspernabilia, collostram spissamentum lactis, siue molliculum caseum, aut dulciculum dicimus. Callus est duritia rostri suillis,

illis, coepulonus verò conuictor. At turbicinari raptim vorare significat, quemadmodum ille quem nostis, frequentius obsonare consueuit, vt prandium ad cœnam protractum eludat. Satisne habes explicatum quod volueras, satis, inquit Marcissouius, sed etiam satis bene à Cicbocio ad posteriorem mensam hæ Plautinæ deliciæ ablegatæ. Dicam & ego quod retineri volo. Ac in primis: Oscecenses isti vestri, cum pinsendi panis artifices optimi habeantur, & sciant succernere, & cribro farinam decutere, vel etiam cribello minori, non mirum est apud te magnam promeruisse gratiam, vt aliunde importato pane non indigeas, domesticum tamen hunc atriorem, iube sequi Plautinas patinas. Reperio tamen Romanos diu non pane, sed pulte victitasse, pistoresq; per annos sexcentos, vsq; ad Persicum bellum nullos habuisse constat: fiebat autem puls ex aqua, frumenti aut fabarum, aut hordei farina, à carnibus vero diu abstinebatur, quod animantis cædem innoxij pro facto execrabili haberent. Multitudine verò animantium, cùm subacti essent, & vt fructibus subuenirent, qui corrumpebantur adorti sunt ea immolare tandem et mensis apponere. Nam si à Gallinis vel cuniculis abstineretur, haud licuisset modico tempore, per illorum numerum, vel vrbem colere, vel fructibus frui: Itaq; meritò iubeo retineri bubulam carnem: arceo tamen illos gulosos, apud Atheneum & Gellium, qui vel vnum bouem solidum comedere erant soliti, vel carnium minas deglutisse viginti, vt de Theogene & Milone proditum est, vel etiam apud eundem de Astydama Mylonio, qui ad cænam vocatus ea quæ nouem viris ad cænam

Alex: lib: 3. cap: 11.

Plaut: Q. conili: 8. cap: 8.

Lib: 10. cap: 1.

erant parata solus vorauit. Mihi verò illud prandium perplacet, quod apud Græcos absolutum vocabatur, in quo auis vna singulis apponebatur, item suilla caro, nec non leporina; tum piscis, ex sartagine: proinde hunc nobis caponem, & lepusculũ partiri mandato Cochleui. Vide quam rectè dictum sit, inter quadrupedes gloria prima lepus, adeo enim Romani, Varronis ætate leporibus delectabantur, vt etiam in caueis, locoq; clauso sagittare docuerint. De auib. nihil sum solicitus, nec pictum pauonem curauerim, quem prim' Hortensius orator, in cœna

Li: 2. c. 6 *apposuisse, apud eundem Varronem legitur. Gallinæ tamen, Anseres, Anates, mensis sæpius inseruiunt. Quanquam anseres, qui supra biennium asseruantur, insipidiores sint, viuunt enim diutissimè. Nam anser domesticus compertus est, ad annos 60. in eadem domo vixisse. Sed ante bellum tertium Punicum lege Fannia interdictum fuit, ne quid volucrum poneretur, præter vnam Gallinam, quæ non esset altilis. Apud Romanos verò olim in quæstione fuit, quis artem saginandorum anserum inuenisset. Sed & illud Veri Commodi luxuriantis Romæ fuit edulij commentum, vt Sumen, Phasianum, Pauonem, & Aprugnam, in Crustula contunderet, quemadmodum, & Vitelius piscium iecinora, Phasianorum, ac pauonum cerebella, linguas auium commiscebat, cuius incredibilis fuit vorago, atq; ingluuies. Sed nec apud nos desunt, luxuriantis culinæ exempla Suydrigellus Dux Lithuaniæ, nunquam peregre proficiscebatur, quin dispensatorem percunctaretur, an librum, quem de arte coquinaria, componi curarat, secum ferret. Cœna sex horas ad minimum protrahebatur, ferculis non minus centum triginta vtebatur. Turdus vero hic macer videtur, alio mittendus;*

Alberto Mag: teste 23. animalium.

Sed primum referam de Curtio, Equite Romano, molli, ac stomachoso; cùm ei ad mensam Cæsaris forte macer turdus obuenisset, quæsiuit; nunquid mittere liceret? quidni, inquit Cæsar, non expectauit ille amplius, protinusq; per fenestram turdum misit: iocus est in verbo mittere, quod & sportulæ missionem, & abiectionem significat. Sed hoc inciuile est, & inurbanum. Quantò melius Pompeius; cui cùm laboranti turdum præscripsissent medici sumere: qui cùm quæreretur; nec inueniretur, quod esset intempestiuum, dixit quidam reperiri, apud Lucullum; qui per totum annum illos aleret: itane verò nisi Lucullus, inquit luxuria difflueret, non viueret Pompeius? missoq; facto medico, quæ parabiliora erant cepit. Sed cur item succedunt noua fercula Cochleui? præter coturnices, & perdices, nihil hic desiderari video, quorum aucupia nondum istius sunt temporis, non vereris, ne aliquis tibi luxum obijciat, vel ne Romanos antiquos fidei Christianæ, adhuc ignaros, apparatu tam magnifico superauisse videare? apud quos cùm sumptu regio exquisitissimæ epulæ dabantur, trib. ferculis, mox insequenti tempore, etiam senis, cœnam exhibuére, idq; ipsum luxuria erat, quomodo Augustus inijsse conuiuia fertur, in quib. non amplius ternis ferculis, aut quam abundantissimè senis, conuiuabatur. Sed apud nostrates Christianos, multi sanctissimi viri fuére, cibi parcissimi, quorum ingens est numerus, apud Marulum, vnum tamē referam Iouianum Pontan: qui vno ferculo contentus erat, eoq; parcissimo. Rogatus causam, cibo abstineo respondit, vt à me medici abstineant. Fac itaq; Cochleui, vt iam ab inferēdis istis epulis abstineatur, quin potiꝰ iube è mensa tolli, quod reliquum est, et in crastinū asseruari, ne sumptu nimio graueris.

Petrarcha.

Plutar: in Apoph.

Cato accessum. Plutarchus in Apophtegmat: Romanis refert Pauli Æmilij deuicto Persio dictum. Eiusdem esse animi, & aciem, & conuiuium instruere. illam quidem vt formidolosus hostibus, hoc vt amicis gratus esset. Dictum est etiam a nobis conuiuia plerunq; dissidentium animos conciliare solere. quod idem Plutar: in Cice: factum esse asserit Marcus inquit Crassus ad Bellum particum profecturus, maluit Ciceronem amicum, quam inimicum relinquere, quare eum amice compellans, apud eum se dixit velle cœnare, quem Cicero comiter inuitauit. Paucis interpositis diebus. adierunt Ciceronem amici rogatu Vatinij vt illum quoq; Ciceroni. (nam erat inter illos grauissima simultas) reconciliarent, quibus Cicero, num et Vatinius apud me vult cœnare?

Sueton.⁹ *Augustus autem Cæsar conuiuabatur assiduè, nec vnquam nisi recto, non sine magno ordinum hominumq; delectu: solebat ad cœnam inuitatus non negare, quo sè ciuibus suis conuictu non superbo, quam familiarissimum faceret. A pauperrima ac tenuissima cuiusdam cœna rediens, hospiti illum verbis prosequenti, hoc vnum ad aurem iocoso murmure respondit: tam familiarem me tibi non putabam. Non immerito igitur conuiuia apud Romanos charistia appellabantur: vt si qua inter necessarias personas, querela esset orta, apud sacra mensæ, et inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur. Cur quoq; nobis moderatis, et à Christiana professione non alienis conuiuijs non liceat vti? à quibus nec ipse Dominus noster, cum magno accumbentium fructu, abhorruisse legitur, vt in Cana Galileæ. & apud Pharisæum illum obseruatorem, vltimum tamen*

Valer: Max: lib: 2. cap: 1.

men

men conuiuium, siue cœnam voluit esse magnificam et splendidam, de cuius mensa etiam nunc pascimur omnes. Paulus etiam inter cæteras virtutes, hospitalitatem enumerat, ad eamq; fratribus præstandam, passim illos ad quos scribit, inuitat. Quis igitur iure me, & Cichocium carpserit, quod mensa nostra quotidie, a tot sacerdotibus, et ministris qui ad Ecclesiam pertinent obsideatur? vt prætaream amicorum et hospitum vndiq; confluentium turbam, cum eò loci collocati sumus, qui ferme omnibus peruius est. En quantopere ego & nunc delector isto consessu vestro. Tu Marcisoui, qui in assignando cuilibet accubitu meas tibi partes desumpseras, cur non inuitas hos ad obsonandum, vides enim illatis cibis remissius vesci, cum potius depellendæ fami, quam ventri infarciendo inseruiant.

CAPVT III.

Suo quenq; sumptu conuiuari an conueniat, Myconij apud Græcos qui? tum etiam apud nostrates Polonos. Ve variis ferculorum generibus ex Plauto. Panis vsus. Voracitas quorundam. Romanorum, leges sumptuariæ. Patinarius luxus vel parcus.

Ista me cura ipsi hospites liberant subtexuit Marcisouius, qui optimum ciborum condimentum secum attulere, exercitationem, & famem, ideò neq; cogendi, nisi forte non arriserit, quidpiam palato. Video enim nonnullos patinarios

cibos

cibos submoueri, nonnullos attrahi: vnde vehementer mihi placuit ille primus apud Græcos conuiuandi modus, Hæsiodo teste, ad quod plurimi conueniunt, sed suo quisq; cibo sumptuque. Ait enim propterea, talem modum sibi probari, quòd cùm plurimum habeat iucunditatis, minimum habet sumptus: nam et temperantius editur, & bibitur, vbi quisq; de suo edit ac bibit. Porro qui splendidiores affectarent videri, tum de suo, etiam lautius exhibebant: Imò & Romanis quondam censebatur probrosum, alienis vesci, proinde ferebant singuli, quod essent aut biberent, ne dicerentur ἀλλοτριοφάγοι. *Apud Heluetios, audio etiamnum, eam conuiuandi rationem vigere, vt qui ad conuiuium accedunt, licet vocati, panem & vinum secum ferant, quemadmodum et apud nostrates ciues, & oppidanos experimur fieri dum inuitantur ad nuptias, pleriq; enim tum honoris causa, tum interdum necessitatis, si egentior paterfamilias vel sponsus sit, mittunt, ea quæ ad celebriorem apparatum nuptiarum spectant, idq; alacriter ac libenter, vt indecorum habeatur talia aspernari, quin etiam pro vino sæpius symbola facere, ne id quidem turpe habetur, inde fit suauior interdum conuiuandi modus, cum nemo qui inuitatus non fuerit, temere se inter inuitatos ingerat. Nam ego quos Græci vocabant Miconios vicinos, admodum odi, et execror qui in conuiuium non vocati accedunt, vel potius irrumpunt: præsertim illi qui milites aut nobiles haberi volunt; nam hoc nomine Myconios notauit antiquitas, quod liguritores essent, & alienæ appetentes mensæ. Adeo multi Perediam et Bibesiam, vt Plautinis verbis vtar colunt, vt eas deas nisi in conui-*

Cæli° ex Suida.

Suidas.

in conuiuiorum assessibus, inueniri posse negent: Tales etiam antiqui Catilliones *vocabant, quorum mos erat alienas ædes, oberrare quod à canibus tractum esse videtur, quorum is mos est, Hi multò versatiores sunt quàm rota figularis, vnde ille Parasitus apud eundem Plautum in captiuis scite, admodum. Neq; vnquam quidquam me iuuat, inquit, quod edo domi, Foris aliquantulum etiam, quod gusto, id beat: Et in Persa: Non ego inimicitias omnes pluris æstimo, quàm mensa inanis nunc si apponatur mibi. Illud verò pulchrum, quod refert, Olaus. Starchaterum Suecum pugilem fortissimum, ad conuiuia nunquam se inuitari passum esse, eo quòd scurrarum hunc morem putaret esse, lautioris alimoniæ gratia ad alienæ culinæ nidorem decurrere. O quàm frequenter Polonorum conuiuia, disturbantur, istis impudicis Myconijs, non solum oppidanorum, verùm & nobilissimarum familiarum, qui coguntur istos importunos visitatores, & salutatores fictitios, non solum excipere, sed tolerare. Habent autem in vsu, his verbis, hospitem aggredi: postquam resciui te esse domi prætermittere nolui; quin te inuiserem, & quod bona valetudine fruaris gratularer, tum vt obsequia mea commendata tibi redderem, hæc tota oratio eorum est, & tota veniendi ratio, & certè vereor ne et in isto consessu nostro aliquis abligurritor, prandium hoc inuadat, quod aliquoties euenisse, dum hîc a Cochleuio detinerer, molestissime tuli. Nulli tamen istis,* ἀλλοτριοφάγοις, *et eorum incursationibus magis expositi sunt et obnoxij, quàm Abbates nostri, ad quos præcipiti cursu olfactores prandiorum feruntur, postquam resciuerint*

Ex Plauto in Gurgulione.

lib: 5. cap: 5. hist: 7.

uerint apud eos apparatiorem incaluisse focum, quem diligenter obseruant, an fumus densior erumpat, ex camino, an verò tenuior, et transparentior: prior tardioris prandij pro signo habetur, posterior iam decocti & apparandi, tunc concitatioribus equis properant, ne antequam fuerit assessum, loco angustiori accipiantur: Nonnullos reperias, qui importuniori aduentu, prandia resecant, et rescindunt: aliquos etiam, quibus secundo, vel tertio, aut quoties opus fuerit, mensa instruenda sit, vt non commemorem palpones, illos vmbraticos, et reliquam equisonicam turbam, quos nisi affatim paueris, in herorum suorum capita, contemptum hunc redundare clamitant, & sæpius lites, & iurgia cient, tametsi et plerique nobiles eam seruitutem seruire cogantur. Hæc cùm Marcissouius, quasi indignabundus, protulisset, egregium verò te præstas συμποσιάρχον Marcissoui, inquio: nam etsi vera loquaris, non debebas rubore suffundere Cochleuium, qui nulla ratione permissurus esset, vt aliquis; tametsi non inuitatus suos cibos in canistro, apportaret ad ipsius mensam. Valeat ille Græcorum, et Romanorum antiquorum conuiuandi modus: vel si placet, ad tuum Czerminum potius relegetur, quem tantopere tibi placere dicis. Habet ille quod amicis apponat, ita vt nec istos Myconios magnopere perhorrescat: quanquam hic rariores compareant, Abbatum pinguioribus mensis intenti, si modò superfuerit ad eos excipiendos, et tractandos sumptus, quibus maior religiosorum numerus, ali, & sustentari poterat. Vt prætereã tot in lites, & fori iudicia, easq; ingentes expensas, quæ nostros cœnobiarchas exhau-

exhauriunt, & plurimis afficiunt, & distendunt molestijs: illos præsertim qui non sordidi, vel parci, sed liberaliores, et cultiores habentur. Sed mittamus has expostulationes, satis est, his quæ præ manibus habemus, vti, et hospitem et nomine commendare, qui non fastidit, ob amicorum gratiam, culinarios interdum perpeti fumos, vt mensam nobis exhibeat, talibus epulis refertam, qualibus nos delectari nouit. Hic verò Cochleuius non tenuit silentium. Quandoquidem dentes vestros, non dentire ad cibos meos, quin potius ex istis confabulationibus, quam ex cibis maiorem voluptatem capere video: necesse est, vt reuocem animos vestros, ad istas patinarias struices: siquidem me condendorum ciborum peritum esse arbitramini, interseram etiam nonnulla Plautina, vt explorem, vtrum ipsius sensum fueritis, quondam assecuti. En habetis condita prata in patinis, his vna cum assis vescimini: quanquam Itali, & aliæ nationes soli propinquiores, non cum assis modò, verùm passim, vt sors tulerit, etiam in ipso capite prandij, quasi seorsimo ferculo vtantur, et ita pratensium herbarum auidiores sunt, vt vix aliquando bobus pascendis sufficiant. Cur reiectas Cichoci? quidni reiectem, visne vt boum pabulo sagíner? meo senili stomacho desiêre istæ deliciæ sapere. Quin perge, vt cæpisti Bene, inquit, mones, quin verò hoc Epythirion sumitis? Sed ne hoc quidem Cichocij stomacho conuenit. Tum ego, bene conueniet, sed τύρον *in prandij catastrophe adhibeo, nec hanc colostram curo, protrude ad seruitia, amoue et hoc sumen, abdomen, pernam,*

fac transferri in alteram famulitiam mensam, etiam ista muriatica salsamenta. At ego, inquit Cochleuius, memini, te auidius aliquando hisce vesci solitum, vel non tam edisse quàm abedisse, neq; enim sorbillo victitare vnquam consueueras: striblitæ verò, tuo semper arrisere palato, vt artorpta panis tostus, colliphia vero bordeaceus panis digestus, quæ turbicinari et non emanducare eras solitus; verum fortasse, tuus coepulonus, Leopoldus medicus, his dapibus nuper tibi interdixerat, ne tuo calculo fomenta suppeditares nocua. Hic Marcisouius: Mittitote ista Plautina, quæ vix quispiam intelligat nisi digito monstrentur: Neq; enim assequor, quid sit dentes dentire, quid Epythirion: quæue ista sunt prata condita in patinis, quæ Muriatica salsamenta, quid colostra, quid callum, quid scriblitæ, quid artorpta et colliphia, vel quid turbicinari significet: edissere Cochleui, tenacioris enim memoriæ te semper fuisse noueram. Ne id quidem abs re facturus, sum, respondit Cochleuius, vt si non pastu obsoniorum, saltem cognitione eorum, reficiamini. An ignoras dentes dentire dici, cùm pruriunt ad cibos, quanquam et de pueris idem dicatur, cùm incipiunt dentes deijcere; Epythirion verò est caseatus cibus, vel ipse τύρον siue caseus, an non in scholis nobis familiarissimus erat? Scriblitas vocat Plautus, tortas ad secundas mensas, prata condita in patinis, vno nomine censentur, siue asparagi sint, siue lactucæ, vel oleo et aceto conditum olus, Muriatica salsamenta, oliticeta et aspernabilia, collostram spissamentum lactis, siue molliculum caseum, aut dulciculum dicimus. Callus est duritia rostri suillis,

illis, coepulonus verò conuictor. At turbicinari raptim vorare significat, quemadmodum ille quem nostis, frequentius obsonare consueuit, vt prandium ad cœnam protractum eludat. Satisne habes explicatum quod volueras, satis, inquit Marcissouius, sed etiam satis bene à Cicbocio ad posteriorem mensam hæ Plautinæ deliciæ ablegatæ. Dicam & ego quod retineri volo. Ac in primis: Osiecenses isti vestri, cum pinsendi panis artifices optimi habeantur, & sciant succernere, & cribro farinam decutere, vel etiam cribello minori, non mirum est apud te magnam promeruisse gratiam, vt aliunde importato pane non indigeas, domesticum tamen hunc atriorem, iube sequi Plautinas patinas. Reperio tamen Romanos diu non pane, sed pulte victitasse, pistoresq; per annos sexcentos, vsq; ad Persicum bellum nullos habuisse constat: fiebat autem puls ex aqua, frumenti aut fabarum, aut bordei farina, à carnibus vero diu abstinebatur, quod animantis cædem innoxij pro facto execrabili haberent. Multitudine verò animantium, cùm subacti essent, & vt fructibus subuenirent, qui corrumpebantur adorti sunt ea immolare tandem et mensis apponere. Nam si à Gallinis vel cuniculis abstineretur, haud licuisset modico tempore, per illorum numerum, vel vrbem colere, vel fructibus frui: Itaq; meritò iubeo retineri bubulam carnem: arceo tamen illos gulosos, apud Atheneum & Gellium, qui vel vnum bouem solidum comedere erant soliti, vel carnium minas deglutisse viginti, vt de Theogene & Milone proditum est, vel etiam apud eundem de Astydama Mylonio, qui ad cænam vocatus ea quæ nouem viris ad cænam

Alex: lib: 3. cap: 11.

Plaut: Q. conili: 8. cap: 8.

Lib: 10. cap: 1.

Sed primum referam de Curtio, Equite Romano, molli, ac stomachoso; cùm ei ad mensam Cæsaris forte macer turdus obuenisset, quæsiuit; nunquid mittere liceret? quidni, inquit Cæsar, non expectauit ille amplius, protinusq; per fenestram turdum misit: iocus est in verbo mittere, quod & sportulæ missionem, & abiectionem significat. Sed hoc inciuile est, & inurbanum. Quantò melius Pompeius; cui cùm laboranti turdum præscripsissent medici sumere: qui cùm quæreretur; nec inueniretur, quod esset intempestiuum, dixit quidam reperiri, apud Lucullum; qui per totum annum illos aleret: itane verò nisi Lucullus, inquit luxuria difflueret, non viueret Pompeius? missoq; facto medico, quæ parabiliora erant cepit. Sed cur item succedunt noua fercula Cochleui? præter coturnices, & perdices, nihil hic desiderari video, quorum aucupia nondum istius sunt temporis, non vereris, ne aliquis tibi luxum obijciat, vel ne Romanos antiquos fidei Christianæ, adhuc ignaros, apparatu tam magnifico superauisse videare? apud quos cùm sumptu regio exquisitissimæ epulæ dabantur, trib. ferculis, mox insequenti tempore, etiam senis, cœnam exhibuêre, idq; ipsum luxuria erat, quomodo Augustus inijsse conuiuia fertur, in quib. non amplius ternis ferculis, aut quam abundantissimè senis, conuiuabatur. Sed apud nostrates Christianos, multi sanctissimi viri fuêre, cibi parcissimi, quorum ingens est numerus, apud Marulum, vnum tamē referam Iouianum Pontan: qui vno ferculo contentus erat, eoq; parcissimo. Rogatus causam, cibo abstineo respondit, vt à me medici abstineant. Fac itaq; Cochleui, vt iam ab inferēdis istis epulis abstineatur, quin potiº iube è mensa tolli, quod reliquum est, et in crastinū asseruari, ne sumptu nimio graueris.

Petrarcha.

Plutar: in Apoph.

CAPVT IIII.

Menſa vacua an tollenda, Sclauinæ gentis hoſpitalitas. Cereuiſiæ potus vſitatior quám vini. Eccleſiaſticis à vino abſtinendum ne?

HIC inhibuit Cochleuius Marciſſouium vltra progredi, ſemper inquit Marciſſoui ad tuum reddis ingenium, perparcus es: neq; aliquid hoſpitalitati hodiernæ noſtræ tribuere velle videris, & cùm frequentior ſoleas fieri apud me, Cichocius verò rarius: non patieris me illum ita tractare, vt lautiori prandio quam aliàs, exceptus eſſe videatur? quin vrges, vt ſubmotis menſis id quod reſiduum eſt, pro craſtino aſſeruetur die, numquid legiſti apud Plutarchum: Romanos veteres, menſam tolli vacuam non fuiſſe paſſos: ſed in ea ſemper aliquid edulij relinquebant famulis, vt non tam eis quod ſumunt, quam quod domini eis impartiantur, gratum foret. Nos certè qui a Sclauis originem ducimus, innatum quodammodo habemus, vt hoſpitalitate delectemur. de quibus Hemoldus ita ſcriptum reliquit. Nulla gens, inquit, Sclauis hoſpitalior, in colligendis hoſpitibus, omnes quaſi ex ſententia alacres ſunt, vt nec hoſpitium quenquam poſtulare neceſſe ſit: quidquid agricultura, piſcationibus; ſeu venatione conquiritur, totum in largitatis opus conferunt, eò fortiorem quenquam, quo profuſior eſt iactantes. Si quis vero, quod rariſſimum eſt, peregrinum hoſpitio remouiſſe deprehenſus fuerit, illum inglorium, illum vilem, & ab omnibus exſibilandum dicunt. Idem de

Lib: 7. Q. con.

Cap: 33.

de Rugianis Sclauis nobis proximis, testatur: quidsi interfuisset Polonorum mensis, & in tractandis hospitibus alacritatem vidisset: veram hanc & genuinam Sclauorum gentem fuisset testatus; nisi fortè conuiuia nostrorum magis in luxum degenerauerint, à quo sacerdotum mensæ remotissimæ debent esse, non tamen perparcæ, & sordidæ. Non igitur tibi ægrè ferendum est Marcissoui quod lautius quam soleam, apparari hæc omnia iusserim, non tam ingluuiei quàm grati animi significandi causa. Ad hæc Marcissouius, accipio excusationem: Nec enim decebat te nos passerino prandio excepisse, passerina enim hæc apud priscos dicebantur, quæ adeo exiguo, aut minuto bolo constant, vt passer, absumere posse, videatur. Sed tamen hanc congeriem ciborum, ista cereuisia sapidiori diluamus. Subrisit Cochleuius: En nobis fortasse suborietur alia quæstio: an Marcissouius permissurus sit nobis vti vino: nam præter cereuisiam, non aliud potionis genus poscere solet. Verùm & id quidem est, Cochleui inquit, non tamen abstemium me putes esse, vtor nonnunquam & vino, cùm opus fuerit, nescio tamen cur magis cereuisiæ (si modo deficatior fuerit, & gustui non insuauis) potu oblector, cùm tam cereuisiæ atque vini eundem authorem fuisse, apud scriptores reperiam, teste Eusebio ex Diodoro. Herodotus quoq; & Strabo Zytum Ægyptiorum communem esse potum asserunt: quos Dionysius potionis genus eo, potissimum conficere docuit, quod regio vites non ferret. Quapropter hodie, Angli, Scoti, Hyberni, & Oceani occidentalis, septemtrionalisq; accolæ, eo fruuntur potu, cùm aduectitij vini tantum copiam

Polydor. *piam habeant. Germani verò & nostrates Poloni admiscent frugibus lupulum, qui reddit potum salubriorem: cuius tanta vis est, vt æquè ac vinum ad insaniam redigat homines, ebrietati deditos. Et ne vobis hic potus; prout Italis vilior videatur; legimus ob defectum cereuisiæ, magnos honores esse contemptos. Conradus enim Gibbosus, Conradi Glogouiensis ducis frater, Præpositus Vratislauien: vocatus ad Archiepiscopatum Salisburgensem, cùm in itinere a-*
Crom: lib: 11. *pud Viennam accepisset cereuisiæ vsum ibi non esse, repudiata dignitate reuersus est. Legimus quoq; propter impeditam cocturam illius, magnos nonnullis in locis excitatos fuisse tumultus: quemadmodum accidit, Antuerpiæ, Anno Domini* 1554. *cum Senatus certis quibusdam hominibus, conficiendæ cereuisiæ, priuilegium concessisset, & cæteris interdixisset, plebs indignata, arma corripuit, & vix sedata seditio est. In nostra Polonia, maior certè ex coctura cereuisiæ vectigalium omnium prouentus: quàm ex importatione vini, cuius immoderatior haustus; tot exhaurit locupletiorum opes, quas vino se immersisse nonnulli gloriantur. Neq; pretium obstat, ita eius bibendi auiditas peruasit, non solum nobilium, sed & mercatorum, & opificum domos: vt quidquid pecuniæ, pro frumento, cera, lino, pellibus boum, in Regnum importatur, hoc totum vel in vinum, vel in exoticas vestes exportetur. Superior ætas ignara vini, multas res foris domiq; egregiè gestas vidit, sola cereuisia contenta; ita vt & Regiæ mensæ raro illatum fuerit: nisi cùm exciperentur aliqui insigniores hospites, idq; perparcè. At nunc vix opilio, aut sutor, dentibus antiquas*

solitus

solitus producere pelles vino carere vult, cuius ita creuit pretium: vt quod annuatim in cereuisiam expendendum esset, id in vinum hebdomadatim profundatur. Hinc omnium rerum venalium pretia in immensum ducta, sed magis valetudo periculis exposita. At Romanis priscis vinum fuisse rarum, vt etiam lege Posthumia Numæ rogum vino aspergere nefas fuerit, vino, inquit lex, rogum ne aspergito, quod sanxisse illum propter inopiam vini non esse dubium Plinius affirmat. Quin: L. Papyrius. Cons. ob eandem inopiam, Ioui victori pocillum mulsi, parta victoria contra Samnites daturum vouit, teste Liuio. Hinc apud Latinos Cereri sacrificare dicebantur illi, in quorum conuiuijs vinum abfuit, propterea quod in huius sacris nefas fuerit inferri vinum, Plautus in Aulularia.

Cererin' mi Strobule hi sunt facturi nuptias?
Qui? Quia temetum nihil allatum intelligo.

Gelius verò lib: 13. cap: vltimo conuiuium in quo nihil vini apponitur vocat Caninum, quòd canis vino caret.

Quam verò optarem mensæ Polonorum, vt sint Cereri, & non etiam Dionisio sacræ. At vidi sæpius infantes pueros, a parentibus primum ad sorbendum post & ad bibendum vinum prouocatos, vt festiuiores reddantur. Apud Romanos verò vinum ante trigesimum annum bibere, viris quoq; criminosum fuit: fœminis semper: seruo verò interdictum penitus. Persæ licet natalem diem festum summo semper studio conuiuijs celebrârint, filijs tamê, indulgentissimi parentes, vinum prohibebant. Pulchrum illud de Cyro Xenophon refert,

Mmm 2 *cum*

cùm Astyages Mædorum Rex rogâsset Cyrum nepotem puerum: quamobrem vinum non bibisset? Quod metuebam inquit, ne in cratere mixta venena forent. Etenim natali tuo perspicuè didici, pocillatorem tibi venena infudisse. Et quo pacto, inquit ille, ô fili hæc dignouisti? Quod videbam te respondit, neq; corporis esse, neq; mentis compotem. Hæc quæ attuli, vt plurimum me à vino abhorrere faciunt cùm & in canonicis decretis. Ministris templi vinum probibitum esse legam, ne ebrietate grauentur corda eorum, vt vigeat perpetuus sensus, & intellectus, neuè venter mero æstuans facilè despumet in libidines. Præcipuè ergo sobrios oportet esse Ecclesiæ ministros, quorum vita documentum aliorum est, inquit Marulus. An non illud satis deforme sacerdotis ebrij exemplum, quod Æneas Syluius refert; de quodam Presbytero montis calui, qui Viennæ imminet; qui cùm ad meridiem vsq; bibisset; hinc vsq; ad occasum solis dormiuisset, experrectum ad Ecclesiam iuisse, ornâsse altaria, sacerdotalia vestimenta sumpsisse, & campana ad missam plebem euocâsse traditur. Interrogatus, cur tam serò rem diuinam ageret? versus ad occidentem, quem putabat orientem esse respondit; imo verò subdubito, an tam mane celebrare liceat, ante exortum solem. Idem scriptum reliquit sacerdotem quendam, semper sitibundum, in cella vinaria frequenter versatum vidisse se Alexandrum Ducem Morauiæ, Præpositum Viennæ ad S. Stephanum egregium potatorem, iam mortuum inter dolia deambulantem, cuius tricesimum diem Canonici celebrabant, qui ad Ecclesiam reuersus, quid Alexandro

Margin notes: Dist: 35. — Lib: 4. cap: 2. — Lib: 1. de re: Alph.

dro inferias, inquit, agitis, ille in suo templo lætus agit, bibitq; vos autem hic siti arescitis. Procul igitur à sacerdotibus vini bibendi studium, etiam veteris legis sacerdotibus, probibitum, absit, quòd multos ad deserendam religionem, & castitatem prostituendam pellexit. Mihi hæc cereuisia satis erit ad extinguendam sitim, nec metuo, ne ingrauedinem capitis ex eius incurram potu. Tu Cicboci, si libuerit hoc vino vtere, fortasse magis tuo stomacho, vtpotè senili arridebit, quàm meo.

CAPVT V.

Vini vsus qualis debeat esse. Poculorum quotus numerus. Vinum innocuum si benè vtaris. A Christo & sanctis viris miraculis etiam nobilitatum. Ad animorum reconciliationes, & acuenda ingenia adhibitum. Consultationes ad vinum quales.

SI seriò loqueris Marcissoui, appositè dicis, si ludis, me & Cochleuium, perstringere velle videris, ambo enim nec abhorremus à vino, nec ita fastidimus cereuisiam, vt non libenter epulis cùm sitimus eam intermisceamus: vinum tamen tum concoctioni maturandæ, tum alacriori animo, si quando curis depressus fuerit excitando, magis accomodum semper existimauimus, præsertim si ex præscripto veterum bibatur. Apud Xenophontem, Persis lege cautum erat, ne προ-

προχοΐδιον, *in symposia inferretur: ne plus, quam opus esset conuiuæ biberent, minusq; turbarentur eorum mentes, & corpora: addit Athæneus, inquiens, at nunc ne inferantur vsus obtinuit, sed tantum bibunt; vt pro eo quod erat inferre, ipsi efferantur, cùm non amplius, recti ingredi valeant. Ita fit plerunq; dum ab antiquioribus, disceditur conuiuiorum moribus, in quibus* Deum *sospitem optabant, cuncti bibenti, nunc eo deuentum est. vt complures ipsa extinguat salus toties repetita. Antiqui certè numerabant cyathos, nec extra numerum definitum progrediebantur: apud Plautum serui compotantes inducuntur, in* Sticho, *non tamen vltra quinq; cyathos bausisse leguntur, vnus eorum queritur cessâsse cantharum, alter respondet, tot iam cyathos bibisse; quot digiti sunt in manu. Apud Ausonium iubentur, tantum terni, ad summum nouenni calices bibi, illo versu ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est; id est, aut tres cyathos, ad numerum gratiarum, aut nouem ad numerum Musarum. Proditum est* Socratem *nunquam de primo cratere bibere solitum. Sed secundo seruare sitim, tertium autem craterem* ἀγαθοῦ δαίμονος *appellabant.* [boni numinis.] *At nunc, proh dolor, quis numerauerit, tot pocula? quis cyathos densissimè per mensam sparsos, ad certum redegerit numerum?* οἰνόπται, *tres numero exploratores erant cænarum apud Græcos, quasi inspectores an ex æquo potaretur. Varro apud Nonium Modiperatores à Latinis vocatos, ne quis aut plus satis biberet, aut parum, putatisne istos exploratores, vel eorum decreta conuiua-* [Cel: lib: 26. ca. 6.]

lia

lia in compotationibus, Sarmatarum nostrorum locum aliquem obtenturos? Bibitur sine lege, sine modo, sine numero, & per totam noctem certatur poculis; vt iure Antipodas eos dixeris esse, vel omnino sole non indigentes, cum plerumque integro stertant die. Est ne hoc quæso vini vitium Marcisoui? Animaduerte quid ille apud Plautum sentiat, dum, inquit, qui animi impotes vini vitio aliquid se fecisse dicunt, non placet in mutum quidpiam conferri, quod loqui non potest, nam vinum si fabulari posset se defenderet: Stultum certè est ex malo vsu rem æstimare, ita vt id quod productum est à natura, non solum ad sitim extinguendam; verùm ad conciliandas amicitias, & ad ingenij acumen excitandum ad alacritatem mentis, ad valetudinem conseruandam, vitiosum esse, & ab illo abstinendum putetur. Dicebatur apud Græcos crater φιλοθησία *quem in conuiuijs porrigebant alijs alij, ceu amicitiæ symbolum ac pignus, veluti qui filiam alicui desponderet, futuro genero prælibans,* φιλοθήσιον κρατῆρα *porrigebat, Scythæ quoque amicitias quarum sunt pertinacissimi, cratere conciliabant: quin & tuus Erasmus Marcissoui, in adagiis affirmare non dubitat,* CHRISTVM *ipsum nostræ religionis principem, arcanam illam in cœna cum suis amicitiam poculo consecrauisse, & nuptias generosissimo vino cohonestare voluisse, quin & alijs multis miraculis à Deo nobilitatum esse vinum legimus. Lupus Senonum Archiepis: cùm secum cænantib. vinum defecisset, sperare omnes in Domino iussit,* inuitatori ad potandum.

nec

nec metuere sibi, quòd sperâssent defuturum, vixdum sermonem finierat, cùm nunciatum est, cados vini plenos ante ianuam stare: ipso, qui attulerat incognito, atq; incerto, nec inter conuiuantes dubitatum est; quin à Deo missi fuissent. Li: 7. ca. 18. Metr. *Sed & Crantius refert Dithmarum Mindensem Episcopum multis ieiunijs vtentem, die Parasceues misisse, qui hauriret aquam, qua sola tum vteretur in potu, fecit ille quod iussus erat, aqua vbi venit in manum Pontificis, vertitur in vinum, illusum sibi arbitratus Pontifex, a ministro, seuerè iubet, vt aquam non vinum afferat: minister sanctè testatur, non vinum, sed aquam se hausisse, iubetur iterare ministerium, accidit quod prius, tum vero non credens, esse hac in re fidum ministrum, cum illo ingreditur, intuitus vnde ille hauriret, videns ergò aquam mutatam esse in vinum, Dei bonitatem collaudauit, quo veterа miracula renouaret. Beatus quoq; Franciscus apud Eremum S. Vrbani, seruo quodam Dei ægrotante, & vini auxilio indigente, cum non nisi aqua ibi reperiretur, atq; allatam signo crucis benedixit, mox vinum effectum est optimum, quo epoto ægrotus statim conualuit. S. Bonauentura in vita S. Francisci teste.* Cap: 5. *Hic verò Marcissouius inbibuit parumper sermonem, inquiens, iam satis exemplorum est de aqua in vinum mutata, velim aliquod proferri, an etiam vinum in aquam esse mutatam reperiatur: ad hæc Cochleuius, puto non deesse istius rei exempla, vnicum tamen proferam, contulisse etiam dominum seruis suis, vt è contra vinum in aquam mutent: cuiusmodi B. Epiphanius egisse commemoratur. Cùm enim viatores aliquando ingressi*

essent

essent Monasterium Luciani vinum afferentes, quo tempore erat æstus vehementissimus: & siti fere enecabantur, & petierunt aquam ad bibendum, nec inuenta est aqua in illo loco, aberant enim ad 5. milliaria. Cùm igitur propter sitim viatores deficerent, fratres propter eos lugebant. Epiphanius autem cum manum extendisset, & vtrem pibendisset vbi erat vinum, credite, inquit, fratres quod qui aquam fecit vinum, vinum quoq; aquam faciet, & propter hunc sermonem, vtres qui vino pleni erant, inuenti sunt aqua pleni, quam viatores biberunt. & etiam iumen- eorum. apud Metaph: At hoc videtur mihi mirabilius exemplum quod proferam. Sanctus Arbertius Episcopus Hieropolit: cum aliquando Romam esset profecturus, ne ad alimoniam vasorum numerus, aliquo impedimento esset vinum, acetum, oleumq;, in vnum & eundem vtrem, simul mixta omnia imposuit. Comes igitur eius Trophinus vinitor quodcunq; horum erat necessarium ex ipso vtre hauriebat sigillatim, si tamen iuxta Arbertij præceptum ab vtre rem exegisset. At quandocunq; in consulto Arbertio Trophinus quasi per fraudem, ad vtrem manus admouebat. horum aliquot expetens, illud prodibat quod erat contrarium, videlicet pro siti oleum, pro oleo vinum aut acetum, Metaphr: idem, Sed ad φιλοθήσιον κρατῆρα redeamus. 15. Maij.

Hesichius indicat hanc φιλοθησίαν solere adhiberi post cænam, cum in signum amicitiæ ex eodem poculo, de eodem vino bibunt omnes: Quanquam apud Germanos id nunc rarius fieri idem Erasmus scribat, ob metum nouæ lepræ qua pleriq; laborant; asserit tamen apud eos turpissimum esse, post 2. Octo.

acceptum Philotesium poculum, veterum offensarum quamuis capitalium meminisse, ne iudices quidem, admittere actionem iniuriarum. Apud nostros vero Polonos, vsu receptum est, vt quantumuis quispiam, ab altero fuerit offensus, parce duobus excuset verbis, ebrius, inquit, eram, & tum demum reditum in gratiam existimatur, cum porrectum poculum is qui offensus erat, non reiecisset, tametsi improbem, in ebrietatem reiectam culpam, quæ non tam minuitur quàm augetur, ebrietatis vitio: Philothesium tamen craterem non respuo, sed tamen sobrium. Nec ego respuerem, inquit Marcissouius, si vel aureus, vel argenteus esset: licebat enim apud nonnullos talia pocula domum asportare, libenter concedentibus, imo cogentibus, his qui inuitauerant. Ergo tu, inquit Cochleuius, appetenitior videris auri quàm vini. At qui aurea vel argentea pocula sitim sedarę non possunt, cum auro sitis nunquam extinguatur, à vitreis iucundius salubriusque bibitur, vtpotè mundissimis, si bene eluantur, & crystalinis æquentur, nisi quod fragiliora sint: nam nisi aliquando frangerentur, etiam auri pretium superarent vitrea vasa. Id memorat Isidorus, scribit enim, Tyberio Cæsare artificem excogitâsse vitri temperamentum effecisseque flexibile, & ductile, vt reliqua metalla sunt, is cum Cæsari phialam ex illo confectam; velut rem nouam obtulisset, vix auditus est, indignatus enim Cæsar phialam in pauimentum abiecit. artifex sublatam ictu iam aliqua ex parte complicatam, adbibito malleo, velut æneam, aut argenteam, aureamue in pristinum restituit: iniquius id ferens Cæsar, rogat artificem

Lib: 16.

nunquid

minquid alius eam artem nosset præter ipsum : respondit ille, non esse. Indignatus Cæsar, iussit hominem interfici, quod diceret, si eius vitri species orbi innotuisset, futurum vt aurum pro luto haberetur, ac metallorum omnium precia detraherentur. Plinius tamen paulo aliter sic habet : Ferunt, inquit, Tyberio Principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexibile esset, et totam officinam artificis eius abolitam, ne æris, argenti, auri, metallorum precia detraherentur, eaq; fama crebrior diu quam certior fuit. Quid autem profuit is Tyberij conatus, quandoquidem vel illo seculo modici vitrei calices H. S. sex millibus venditi sunt. Nostro verò seculo vitrum ipsum redditum est, omnibus metallis vilius, ireque vilitate sua aurea argenteaque pocula fere passim ab aula pepulisse videtur, quod & ipso Plinij tempore obtinuisse visum est, copia vero vilitatis parens est, tamen ob colorem, & lucis transmissionem, et munditiem omnibus gratissimum est vitrum, ac propterea facultas cuique suppetit eius habendi. Quare cùm desunt aurea et argentea pocula, ex vitro hoc bibitote. Subintulit *Marcissouius : Sed cur hæc vitrea pocula adamante nobis cælata exhibes? cum vini gratum colorem impedire hæc cælatura videtur. ad hæc hospes :* Sic *fortasse voluere artificum manus, vt ostendant vitrum, a solo adamante se vinci permitti : nam cùm vitrum donec frigidum est, non admittit ferrum, nullius rei efformandæ est patiens, tamen lineas lenissimas sibi ab adamante appingi sustinet. vt tradit Plinius loco citato. Est etiam admirandum durissima quæq; perforari, ab argento viuo, fragile vitrum non posse.*

Lib: 36. Cap. 26.

Lib: 36. Cap. 26.

posse. In India, vbi adeò vitrum quàm primùm videri cæpit, rebus omnibus prælatum est permutatumq; inæstimabili pretio. Nec possum improbare illam legem Platonis; qui vini vsum vsq; ad annum decimum octauum non probabat, iubebat vt iuuenes coram senibus vino vterentur, vt carperentur si indulgentius potarent. Ad salubritatem corporis multum vini vsum conferre non est dubium Mnetiseus medicus, apud Athenæum valetudini corporum conferre affirmat. Plato corrigendis moribus, Seneca ingenio, excludunt tamen ebrietatem, nec id nisi rarò fieri sinunt. Plutarchus refert, Liberum patrem, non tantùm quod vini inuentor fuisset præstantissimi, sed & iucundissimi medicamenti, ideò egregium etiam medicum habitum. Atque adeò ad recuperandam valetudinem vtile censebatur, vt Zaleucus Locrensium, legem tulerit, vinum merum nisi iubente medico, ab ægroto non bibendum, alioquin capitale ægroto fore, etiamsi conualuisset. Ita existimabat vinum quasi Pharmacum à medico ipso temperandum. Sed & D. Paulus, concedit Timotheo, vti modico vino, ob frequentes infirmitates: nec magis contra vini legitimum vsum, grassari visi sunt, quam damnati hæretici, hos Epiphanius refert, etiam vinum creaturam Diaboli *esse voluisse: adeòq; serpentis effigiem habere vitem: eadem erant Manetij, & Manichæorum deliramenta. Cæterum curas animi, anxietates, mærores, vinum pellere, aut mitigare. saltem etiam sacra testatur pagina: da, inquit, mærenti vinum, &c. & in canticis arcanis, sponsi & sponsæ. vineam florentem, fructum centum argenteorum, tum etiam in ipso Euan-*

Lib: II.

Lib: 3. Q. Con.

Alian: li: 2. var: Hist.

Euangelij codice, ipsius cultum frequenter induci, & commemorari, quis est qui nesciat? Sed et illud singulare vino vim tantam a natura esse ingenitam, vt etiam ingenium et industriam acuat. Cratinus Atheniensis Comicus dictus est φιλοπότης *qui negabat quempiam Poëtam fieri posse, qui non vini esset appetentior, de quo Horatius ad Mæcenatem:*

Prisco si credis Mæcenas docte Cratino,
Nulla placere diu nec viuere carmina possunt.
Quę scribuntur aquę potoribus.

Alceus Poeta, Aristophanes Comicus, Æschilus, benè poti peruenusta scripserunt carmina: Ennius Poeta, nunquam accingebat se ad eadem scribenda; nisi multò madidus vino. Hinc Horatius: Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma, Prosilijt dicenda: Martialis de seipso ait, possum nil ego sobrius, bibenti succurrunt mihi quindecim Poetæ. Plato in legibus dicit, hominem postquam biberit hilariorem fieri, spe bona atq; viribus augeri, & ad dicendum liberum, & ad agendum impigrum atq; alacrem reddi. Illud verò tametsi ridiculum, serium tamen de Persis Athenæus: Persæ, inquit, cùm facti sunt ebrij, de rebus maximè serijs consulere consueuerunt: quod autem consultoribus placuerit, id die postero ædium præfectus ieiunis, què consultaturi conueniunt proponit: quodsi ieiunis etiam placuerit, tunc id perficiunt, sin minus, omittunt. Rursus verò de quibus ieiuni consultarunt, ebrij decernunt. Quis igitur vertat vitio Cochlæi tuo Osiecensi magistratui, qui de rebus grauissimis consultaturus; & quidem de ijs in quibus

Athene: lib: 10. cap: 9.

bus salus, & vita, nocentium vertebatur, non prius ad ius ferendum assedisse dicebatur: quàm adusti vini, vt vocant aliquot pocillis haustis, quòdsi quid perperam fecissent, tum demum ad vicinum Polanecij oppidum, an rectè decreuissent consilium capturi, mittere consueuerant, inde fortasse prouerbio locus, actiones Osiecensium carpendi: verum etsi egregie, siue commentum, siue rem ipsam ab illis abstersam esse, opera tua plurimi dicant, nec ego diffiteor, tamen illud in ipsos iactum dicterium, nunquam è memoria, et ore hominum, euulsurus es.

CAPVT VI.

Circa cellas vinarias quorundam immensa cura, & solicitudo. Quibus incommodis vini potores afficiantur. Ebrietatis detestatio.

Satis aptè vini patrocinium egisti Cicboci, inquit Cochleuius, mea eadem est sententia: proinde non patiemur Marcissouio, vltra terna pocula infundi, tibi vtpote seni quinq; assignabo. Ter verò ternos partiemur inter reliquos, quaternarium enim, & senarium, nescio cur vitauerint antiqui? At ego eiusmodi numerorum non sum obseruator, cum nullis conuiuiorum adstringar legibus. Age puer, properè vinariam cellam adi, è dolio intermedio prome illud quod soles, cùm adsunt chariores amici, illud autem parietinum seruabis pro illis, quorum non solet mihi esse gratus aduentus. Hic verò non continuit se Marcissouius: Egregium, inquit, te Oenoptam Cochleuii praestas, qui meam sitim ternis poculis coerces, cùm licuisset ne vno

ne vno quidem. Miror tamen tantam tibi cellæ vinariæ curam esse, vt non sit necesse, congios à cauponibus metiri, qui interdum Thetim Lyæo abundantissimè superinfundunt, tu vt meracius bibas optimè cauisti. Sed nolim te magnopere ista solicitudine distineri, quà permulti in cellis vinarijs replendis, & conseruandis, ferè vsque ad insaniam vsi sunt: quemadmodum Æneas Syluius de Quatorupo, qui vltimus apud Momuos regnauit prodidit. Libro 4. Com: de Alphon *Is cum se absente Regiam conflagrasse didicisset; interrogauit nuncium, an cella vinaria salua esset; eóq; respondente absumptis cæteris illam intactam igni superesse: & nos igitur, ait salui sumus. Idem refert de Vencеslao sexto Bohemorum Rege: sæpius illum inter proceres dixisse, si quando cum exercitu peteret Italiam, edicto prouisurum, ne quis vino noceret, capitale futurum si quis iniussu suo cellam vinariam inuaderet.* Libro 12. Bohem. *Dubrauius vero de eodem sic scriptum reliquit, venisse Pragam ad eum quendam, qui nunciaret arcem Visegradensem incendio ferè totam esse consumptam.* Lib: 23. *Etiamne, inquit, cella vinaria exusta est? vt incolumem audijt; ardeat, inquit, vel denuo arx totaq; pereat, dum modo salua sit cella cum vino nostro Rhenano. O inexplebilem vini sitim, sæpius bibendo contractam, cuius iactum adeo excruciat etiam principes viros, vt incolumi vino omnia sibi salua esse putent. Illud etiam detestandum, quod idem Æneas Syluius de Henrico Goriciæ Comite asserit, eum, absente qui cellæ vinariæ claues haberet sitibundum ostium calcibus inuasisse: oranteq; quodam amico, qui secum nutritus erat, vt se sineret frangere repagulum. tace, inquit, me sitis non te excruciat. Idem Comes puta-* Libro 2. Com: in Panorm.

bat filios suos esse spurios, quòd vinum respuerent. **Sed** *valeant hæ cellæ vinariæ, & circa illas tot curæ, & solicitudines, vbi semper metuendum est, ne perfidus minister alio exportet, vel ad Plautinos illos seruos, vel quod dicere nolo, neue aqua dolium exæquet, tum ne rumpantur circuli circumacti, & effluat, tum ne corrumpatur, aut acescat: quodquidem mihi semel contigisse, dum volebam liberalior videri doleo. Cæterum cùm iam crastino rationes, congiorum supputat puer, quàm ægrè fit animo, tantum vini absumptum esse. Ego postbac, si opus babuero, lagunculis ex vrbe petitum continebo vinum: Didici enim sæpius in cella vinaria olfactum, multos ad se allicere solere, qui alioquin non fuissent venturi: & nisi bene poti fuerint, imò & ipsorum seruitia, parcum, sordidum, vocant & indignis verbis accipiunt hospitem illi potissimum qui in militiam eunt, & redeunt, & nusquam libentius quàm ad eos, quos spirituales vocant diuertunt: quorum bona ad Rempublicam, hoc est, ad seipsos stultissima persuasione pertinere iactitant. Rari hoc nostro tempore reperiuntur, qui illud Plautini senis vsurpent in milite glorioso.* Lib: 14. cap: 22. *In conuiuio, inquit, neq; præripio pulpamentum, neq; præuorto poculum, neq; per vinum vnquam per me oritur discidium. Si quis ibi est odiosus, abeo domum, sermonem segrego. Sed nostrates conuiuæ, adeò sibi omnia licere existimant, vt vno ictu cum plurima pocula è mensa deijciant, valde strenui esse sibi videntur. Talem autem fructum ex ebrietate consequuntur, qualem Plinius proprijs coloribus depingit. Tunc, inquit, auidi, matronam, oculi licentur graues, produnt marito:*

tunc

tunc animi secreta proferuntur. Alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, reditumsq; per iugulum voces non continent, vulgoq; veritas iam attributa vino est. Interea vt optimè cedat, Solem orientem non vident, ne minus diu viuant. Hinc Pallor & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, premiumq; summum libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœdi, ac fere rerum omnium obliuio, morsq; memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cùm priorem diem quotidie perdant, illi verò & venientem. At omnium optimè Basilius Homil: in ebriosos inuebitur: miserandum oculis Christianis spectaculum cum virtute florenti, ac corpore vegeto, quiq; inter milites, illustri loco ac numero censetur, domum aliena opera deportatur, vt qui se erigere, ac suis pedibus incedere nequeat: ita is qui hostibus terrori esse debet, circumforaneis pueris risus ansam præbet. Equidem nihil aliud sunt temulenti, quàm gentium simulachra, oculos habent, & non vident: aures habent & non audiunt: manus fractæ, & dissolutæ sunt: pedes emortui, quisnam has insidias comparauit? homo ex conuiuio prælium effecisti, adolescentes eijcis, qui tanquam vulneribus in bello acceptis, manu ducantur. Atq; ad cœnam quidem vt amicum inuitas, mortuum autem eijcis, vel potius vino sepultum, quod rationem ac mentem demergit, quinam enim equorum currus, amisso auriga, vsq; adeo temerè fertur? Quænam nauis remoto gubernatore, fluctibus iactata ebrio homine tutior non est? Quonam pacto ser-

uis vestris imperabitis, cùm ipsi mancipiorum instar pernici-osis cupiditatibus seruiatis? Quonam pacto filios monebitis, cùm ipsi omnis consilij expertem, ac ebrietate plenam vitam ducatis? Ebrietas Dominum non suscipit, Spiritum sanctum propulsat, vt enim fumus apes in fugam vertit, sic crapula spiritualia dona propellit; ebrietas impietatis origo est, vt quæ principem animi partem cuius potissimum operа Deus cognosci solet, caligine offundit. Si diuino Apostolo obtemperas, disertis verbis dicenti: *Ebriosi regnum Dei non possidebunt, execrandam hanc ebrietatem fuge.* Item Origenes: *Audite, ebrietas quid agat, audite, quantum facinoris conciliet temulentia, audite & cauete, vos ô quibus istud malum non in crimine, sed in vsu est. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit, vritur ille flammis mulierum; quem sulphurea flamma non vssit.* Neq; ab his discrepat Seneca, non Christianus quidem, sed Christiano homini proximus: qui disertè affectus membrorum vino madentium exprimit, dum inquit: *Inde Pallor, & tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies, inde incerti labentium pedes, inde in totam cutem humor admissus distentusq; venter, inde suffusio luridæ bilis, et decolor vult⁹ tabesq; viscerum putrescentium, & detorti digiti, articulis obrigescentibus, neruorum, siue sensu iacentium torpor. Quid capitis vertigines dicam? & omnia per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? innumerabilia præterea febrium genera, quæ omnia nihil aliud sunt, quam supplicia ebrietatis.* Plura igitur damna infert vini potus, quàm commoda, licet pleriq; dicant, *vinum excitare robur animi, & in militibus au-*

In Gen: Hom: 5.

Epist: 95

geri audaciam, quod falsum esse declarauit Germanis Imperator quidam, qui conquesti sunt, ob eam causam se à Turcis victos esse, quòd vino caruissent, quòd solet animos hominum accendere, & corpori vigorem agilitatemq; addere: quibus respondit, at hi qui vos vicerunt, aquam bibunt, Mahometanis enim vini vsus prohibitus. Et procul dubio eget hoc nostrum cælum Clitorijs aquis, quæ & vini tædium gignunt, & fomitem carnis extinguunt, Plinius, vinum, inquit, tædio venire ijs, qui ex Clitorio lacu biberint. Varro idem tradit. Isidorus verò idem, quo loco tametsi dicat Italiæ lacum esse, sed fallitur. Arcadiæ enim lacus est: Ouidius 25. Metamor. Lib: 31. Cap: 2. Lib: 13. Cap: 13.

Clitorio quicunq; sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, &c.

Nescio verò an expediat laudare an damnare lacum huiusmodi: nam si in vino veritas, quoniam ebrijs effutire perfacile est, sed & obruto cerebro cautè illis loqui non licet. Itaq; huiusmodi veritatis assertores proditores potius quàm veraces dicendi sunt, atq; ideo iure à Clitorio lacu porrigendi illis calices essent, vt sobrietate vtentes, & cautius loquerentur, & verius. Præsertim quum vinum immodicè sumptum venenum potius dicendum est. vnde iure antidotum eius veneni, peroptimum fuerit ex Clitorio lacu epotæ aquæ. Enimuero, inquit Marcissouius: placet mihi hic lacus Clitorius; vtinam æquè placeret nostræ nobilitati Polonæ, qui meraciori vino epoto, penè obruuntur, & sensibus destituuntur. Admiscerent aquam, si non ex hoc Clitorio lacu, saltem ex ipsa Vistula haustam.

Præstant id optimè Caupones, apud nos vinarij, qui ita diluunt vinum, vt illud certatim potantibus, non deprehendatur, propinent. Ridiculum illud certè fuit, quod fertur. Poscenti enim cuidam aquam, vt vinum temperaret, filiolus simplicior dixit, non esse necesse, vidisse enim matrem hesterna die magnum vas aquæ infudisse, in dolium vini. Tanta est improbitas nonnullorum cauponum, in quos & ipsa scriptura inuehitur. Caupones, inquit, tui miscent aquam vino. Sed nec impune Deus aliquando ista patitur, vt refert Gregorius Turonen: de gloria Confessorum. Mercator, inquit, Lugdunen: vinum aqua miscens, lu- cap: 109. *crum valde auxerat, nauigansq; maioris lucri causa habuit vindicem suæ fraudis miluum, qui marsupium leporina pelle obtectum, putans leporem, rapuit: sed cùm nihil illud corium, profuturum sibi animaduertisset, in fluuium demergi permisit, vt eo rediret aurum, vnde fuerat quæsitum. At mittamus iam hanc de vino disceptationem, hoc vnum tamen addam. Nullam omnino rerum creatarum vim huic vni, neq; mirandarum rerum numero, neq; efficatia adæquari posse, siue dum prodest, siue dum obest: omni tempore naturæ humanæ proficuum cùm rectè sumitur, hyeme ad frigoris remedium, æstate ad tuendam sanitatem viscerum. Verba sunt Iustini Martyris ad Zonam & Serenum fratres.*

CAPVT VII.

In conuiuiis alloquia suauia, & recreationi honestæ conuenientia adhibenda. Scacorum & aleę

aleæ lusus damnatus. Cantilena iocosa. Precium Cauponarium.

SED ego iam pridem, in consessu primo nostro, fabulam hanc à Cicbocio ex Como Puteano depromptam, bene actam putaueram, inquit Cochleuius: at verò nunc tres calices hausti, quàm disertum reddidêre Marcissouium, idq; apud sobrios, & qui temulentos hosce helicones magis oderint, quàm pamsiti mensas vacuas, & cœnas negatas. Si instituerit apud illos qui multo madent vino, eiusmodi ab ebrietate dehortationem, non bellariorum, aut secundæ mensæ expectâsset apparatum: quanquam nesciam, an bellaria, ab ipso bello nomen traxerint. Sed & bellariorum siue secundæ mensæ ita inoleuit luxus, vt cum prima, quamuis lautissima, quandoq; , & precio, & apparatu certet. Etenim in prima, vix aliquando exotica apponi videas, præsertim cum carnium, pisciumq; diuersi generis, tantam copiam habeamus, & tot lautitias patrium solum nobis suppeditet, vt externas, si modò aromata conditoria excipias, minimè desideremus; secundam autem aliunde è remotioribus oris, petitis illationibus, oportet instructissimam esse. In hanc tot sacchari species, tot citriorum, tot cotoniatorum conditorum, tot Aurantiorum, Ficuum, Castanearum, Martij, melliti, & tosti Norebergiensis panis, & Amigdalarum, tum passæ vnæ, tot fructus inferuntur, vt vix numerare queas, præsertim si domesticas quoq; placentas, tum parmesij casei, vel etiam domestici selectissimi pomorum, pyrorum, prunorum, copiam addideris, ita vt mensa hæc omnia, vix sustinere queat:

posse. In India, vbi adeò vitrum quàm primùm videri cæpit, rebus omnibus prælatum est permutatumq; inæstimabili pretio. Nec possum improbare illam legem Platonis; qui vini vsum vsq; ad annum decimum octauum non probabat, iubebat vt iuuenes coram senibus vino vterentur, vt carperentur si indulgentius potarent. Ad salubritatem corporis multum vini vsum conferre non est dubium Mnetiseus medicus, apud Athenæum valetudini corporum conferre affirmat. Plato corrigendis moribus, Seneca ingenio, excludunt tamen ebrietatem, nec id nisi rarò fieri sinunt. Plutarchus refert, Liberum patrem, non tantùm quod vini inuentor fuisset præstantissimi, sed & iucundissimi medicamenti; ideò egregium etiam medicum habitum. Atque adeò ad recuperandam valetudinem vtile censebatur, vt Zaleucus Locrensium, legem tulerit, vinum merum nisi iubente medico, ab ægroto non bibendum, alioquin capitale ægroto fore, etiamsi conualuisset. Ita existimabat vinum quasi Pharmacum à medico ipso temperandum. Sed & D. Paulus, concedit Timotheo, vti modico vino, ob frequentes infirmitates: nec magis contra vini legitimum vsum, grassari visi sunt, quam damnati hæretici, hos Epiphanius refert, etiam vinum creaturam Diaboli esse voluisse: adeòq; serpentis effigiem habere vitem: eadem erant Manetij, & Manichæorum deliramenta. Cæterum curas animi, anxietates, mærores, vinum pellere, aut mitigare. saltem etiam sacra testatur pagina; da, inquit, mærenti vinum, &c. & in canticis arcanis, sponsi & sponsæ. vineam florentem, fructum centum argenteorum, tum etiam in ipso Euan-

Lib: 11. Lib: 3. Q. Con. Alian: li: 2. var: Hist.

Euangelij codice, ipsius cultum frequenter induci, & commemorari, quis est qui nesciat? Sed et illud singulare vino vim tantam à natura esse ingenitam, vt etiam ingenium et industriam acuat. Cratinus Atheniensis Comicus dictus est φιλοπότης *qui negabat quempiam Poëtam fieri posse, qui non vini esset appetentior, de quo Horatius ad Mæcenatem:*

Prisco si credis Mæcenas docte Cratino,
Nulla placere diu nec viuere carmina possunt.
Quę scribuntur aquę potoribus.

Alceus Poeta, Aristophanes Comicus, Æschilus, benè poti peruenusta scripserunt carmina: Ennius Poeta, nunquam accingebat se ad eadem scribenda; nisi multò madidus vino. Hinc Horatius: Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma, Prosilijt dicenda: Martialis de seipso ait, possum nil ego sobrius, bibenti succurrunt mihi quindecim Poetæ. Plato in legibus dicit, hominem postquam biberit hilariorem fieri, spe bona atq; viribus augeri, & ad dicendum liberum, & ad agendum impigrum atq; alacrem reddi. Illud verò tametsi ridiculum, serium tamen de Persis Athenæus: Persæ, inquit, cùm facti sunt ebrij, de rebus maximè serijs consulere consueuerunt: quod autem consultoribus placuerit, id die postero ædium præfectus ieiunis, què consultaturi conueniunt proponit: quodsi ieiunis etiam placuerit, tunc id perficiunt, sin minus, omittunt. Rursus verò de quibus ieiuni consultarunt, ebrij decernunt. Quis igitur vertat vitio Cochleui tuo Osiecensi magistratui, qui de rebus grauissimis consultaturus; & quidem de ijs in qui- Athene: lib: 10. cap: 9.

ne vno quidem. Miror tamen tantam tibi cellæ vinariæ curam esse, vt non sit necesse, congios à cauponibus metiri, qui interdum Thetim Lyæo abundantissimè superinfundunt, tu vt meracius bibas optimè cauisti. Sed nolim te magnopere ista solicitudine distineri, quâ permulti in cellis vinarijs replendis, & conseruandis, ferè vsque ad insaniam vsi sunt: quemadmodum Æneas Syluius de Quatorupo, qui vltimus apud Momuos regnauit prodidit. Libro 4. Com: de Alphon *Is cum se absente Regiam conflagrâsse didicisset; interrogauit nuncium, an cella vinaria salua esset; eoq; respondente absumptis cæteris illam intactam igni superesse: & nos igitur, ait salui sumus. Idem refert de Venceslao sexto Bohemorum Rege: sæpius illum inter proceres dixisse, si quando cum exercitu peteret Italiam, edicto prouisurum, ne quis vino noceret, capitale futurum si quis iniussu suo cellam vinariam inuaderet.* Libro 12. Bohem. *Dubrauius vero de eodem sic scriptum reliquit, venisse Pragam ad eum quendam, qui nunciaret arcem Visegradensem incendio ferè totam esse consumptam.* Lib: 23. *Etiamne, inquit, cella vinaria exusta est? vt incolumem audijt; ardeat, inquit, vel denuo arx totaq; pereat, dum modò salua sit cella cum vino nostro Rhenano. O inexplebilem vini sitim, sæpius bibendo contractam, cuius iactura adeo excruciat etiam principes viros, vt incolumi vino omnia sibi salua esse putent. Illud etiam detestandum, quod idem Æneas Syluius de Henrico Goriciæ Comite asserit, eum, absente qui cellæ vinariæ claues haberet sitibundum ostium calcibus inuasisse: oranteq; quodam amico, qui secum nutritus erat, vt se sineret frangere repagulum. tace, inquit, me sitis non te excruciat. Idem Comes puta-* Libro 2. Com: in Panorm.

bat filios suos esse spurios, quòd vinum respuerent. Sed valeant hae cellae vinariae, & circa illas tot curae, & solicitudines, vbi semper metuendum est, ne perfidus minister alio exportet, vel ad Plautinos illos seruos, vel quod dicere nolo, neue aqua dolium exaequet, tum ne rumpantur circuli circumacti, & effluat, tum ne corrumpatur, aut acescat: quodquidem mihi semel contigisse, dum volebam liberalior videri doleo. Caeterum cùm iam crastino rationes, congiorum supputat puer, quàm aegrè fit animo, tantum vini absumptum esse. Ego posthac, si opus habuero, lagunculis ex vrbe petitum continebo vinum: Didici enim saepius in cella vinaria olfactum, multos ad se allicere solere, qui alioquin non fuissent venturi: & nisi bene poti fuerint, imò & ipsorum seruitia, parcum, sordidum, vocant & indignis verbis accipiunt hospitem illi potissimum qui in militiam eunt, & redeunt, & nusquam libentius quàm ad eos, quos spirituales vocant diuertunt: quorum bona ad Rempublicam, hoc est, ad seipsos stultissima persuasione pertinere iactitant. Rari hoc nostro tempore reperiuntur, qui illud Plautini senis vsurpent in milite glorioso. In conuiuio, inquit, neq; praeripio pulpamentum, neq; praeuorto poculum, neq; per vinum vnquam per me oritur discidium. Si quis ibi est odiosus, abeo domum, sermonem segrego. Sed nostrates conuiuae, adeò sibi omnia licere existimant, vt vno ictu cum plurima pocula è mensa deijciant, valde strenui esse sibi videntur.

Lib: 14. cap: 22.

Talem autem fructum ex ebrietate consequuntur, qualem Plinius proprijs coloribus depingit. Tunc, inquit, auidi, matronam, oculi licentur graues, produnt marito: tunc

tunc animi secreta proferuntur. Alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, redituras'q; per iugulum voces non continent, vulgo'q; veritas iam attributa vino est. Interea vt optimè cedat, Solem orientem non vident, ne minus diu viuant. Hinc Pallor & genæ pendulæ, oculorum vlcera, tremulæ manus effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna, premiumq; summum libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœdi, ac fere rerum omnium obliuio, morsq; memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cùm priorem diem quotidie perdant, illi verò & venientem. At omnium optimè Basilius Homil: in ebriosos inuebitur: miserandum oculis Christianis spectaculum cum virtute florenti, ac corpore vegeto, quiq; inter milites, illustri loco ac numero censetur, domum aliena opera deportatur, vt qui se erigere, ac suis pedibus incedere nequeat: ita is qui hostibus terrori esse debet, circumforaneis pueris risus ansam præbet. Equidem nihil aliud sunt temulenti, quam gentium simulachra, oculos habent, & non vident: aures habent & non audiunt: manus fractæ, & dissolutæ sunt: pedes emortui, quisnam has insidias comparauit? homo ex conuiuio prælium effecisti, adolescentes eijcis, qui tanquam vulneribus in bello acceptis, manu ducantur. Atq; ad cœnam quidem vt amicum inuitas, mortuum autem eijcis, vel potius vino sepultum, quod rationem ac mentem demergit, quinam enim equorum currus, amisso auriga, vsq; adeo temerè fertur? Quænam nauis remoto gubernatore, fluctibus iactata ebrio homine tutior non est? Quonam pacto ser-

uis vestris imperabitis, cùm ipsi mancipiorum instar perniciosis cupiditatibus seruiatis? Quonam pacto filios monebitis, cùm ipsi omnis consilij expertem, ac ebrietate plenam vitam ducatis? Ebrietas Dominum non suscipit, Spiritum sanctum propulsat, vt enim fumus apes in fugam vertit, sic crapula spiritualia dona propellit; ebrietas impietatis origo est, vt quæ principem animi partem cuius potissimum opera Deus cognosci solet, caligine offundit. Si diuino Apostolo obtemperas, disertis verbis dicenti: Ebriosi regnum Dei non possidebunt, execrandam hanc ebrietatem fuge. *Item Origenes: Audite, ebrietas quid agat, audite, quantum facinoris conciliet temulentia, audite & cauete, vos ô quibus istud malum non in crimine, sed in vsu est. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit, vritur ille flammis mulierum; quem sulphurea flamma non vssit.* (In Gen: Hom: 5.) *Neq; ab his discrepat Seneca, non Christianus quidem, sed Christiano homini proximus: qui disertè affectus membrorum vino madentium exprimit, dum inquit: Inde Pallor, & tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies, inde incerti labentium pedes, inde in totam cutem humor admissus distentusq; venter, inde suffusio luridæ bilis, et decolor vult⁹ tabesq; viscerum putrescentium, & detorti digiti, articulis obrigescentibus, neruorum, siue sensu iacentium torpor. Quid capitis vertigines dicam? & omnia per quæ exoneramur, internis vlceribus affecta? innumerabilia præterea febrium genera, quæ omnia nihil aliud sunt, quam supplicia ebrietatis.* (Epist: 95) *Plura igitur damna infert vini potus, quàm commoda, licet pleriq; dicant, vinum excitare robur animi, & in militibus au-*

gerij audaciam, quod falsum esse declarauit Germanis Imperator quidam, qui conquesti sunt, ob eam causam se à Turcis victos esse, quòd vino caruissent, quòd solet animos hominum accendere, & corpori vigorem agilitatemq; addere: quibus respondit, at hi qui vos vicerunt, aquam bibunt, Mahometanis enim vini vsus prohibitus. Et procul dubio eget hoc nostrum cælum Clitorijs aquis, quæ & vini tædium gignunt, & fomitem carnis extinguunt, Plinius, vinum, inquit, tædio venire ijs, qui ex Clitorio lacu biberint. Varro idem tradit. Isidorus verò idem, quo loco tametsi dicat Italiæ lacum esse, sed fallitur. Arcadiæ enim lacus est: Ouidius 15. Metamor. Lib: 31. Cap: 2. Lib: 13. Cap: 13.

Clitorio quicunq; sitim de fonte leuarit,
Vina fugit, &c.

Nescio verò an expediat laudare an damnare lacum huiusmodi: nam si in vino veritas, quoniam ebrijs effutire perfacile est, sed & obruto cerebro cautè illis loqui non licet. Itaq; huiusmodi veritatis assertores, proditores potius quàm veraces dicendi sunt, atq; ideo iure à Clitorio lacu porrigendi illis calices essent, vt sobrietate vtentes, & cautius loquerentur, & verius. Præsertim quum vinum immodicè sumptum venenum potius dicendum est. vnde iure antidotum eius veneni, peroptimum fuerit ex Clitorio lacu epotæ aquæ. Enimuero, inquit Marcissouius: placet mihi hic lacus Clitorius; vtinam æquè placeret nostræ nobilitati Poloniæ, qui meraciori vino epoto, penè obruuntur, & sensibus destituuntur. Admiscerent aquam, si non ex hoc Clitorio lacu, saltem ex ipsa Vistula haustam.

Præstant id optimè Caupones, apud nos vinarij, qui ita diluunt vinum, vt illud certatim potantibus, non deprehendatur, propinent. Ridiculum illud certè fuit, quod fertur. Poscenti enim cuidam aquam, vt vinum temperaret, filiolus simplicior dixit, non esse necesse, vidisse enim matrem hesterna die magnum vas aquæ infudisse, in dolium vini. Tanta est improbitas nonnullorum cauponum, in quos & ipsa scriptura inuehitur. Caupones, inquit, tui miscent aquam vino. Sed nec impune Deus aliquando ista patitur, vt refert Gregorius Turonen: de gloria Confessorum.

cap: 109. *Mercator, inquit, Lugdunen: vinum aqua miscens, lucrum valde auxerat, nauigansq; maioris lucri causa habuit vindicem suæ fraudis miluum, qui marsupium leporina pelle obtectum, putans leporem, rapuit: sed cùm nihil illud corium, profuturum sibi animaduertisset, in fluuium demergi permisit, vt eo rediret aurum, vnde fuerat quæsitum. At mittamus iam hanc de vino disceptationem, hoc vnum tamen addam. Nullam omnino rerum creatarum vim huic vni, neq; mirandarum rerum numero, neq; efficatia adæquari posse, siue dum prodest, siue dum obest: omni tempore naturæ humanæ proficuum cùm rectè sumitur, hyeme ad frigoris remedium, æstate ad tuendam sanitatem viscerum. Verba sunt Iustini Martyris ad Zonam & Serenum fratres.*

CAPVT VII.

In conuiuiis alloquia suauia, & recreationi honestæ conuenientia adhibenda. Scacorum & aleę

aleæ lusus damnatus. Cantilena iocosa. Precium Cauponarium.

SED ego iam pridem, in consessu primo nostro, fabulam hanc à Cicbocio ex Como Puteano depromptam, bene actam putauerim, inquit Cochleuius: at verò nunc tres calices hausti, quàm disertum reddidêre Marcissouium, idq; apud sobrios, & qui temulentos hosce helicones magis oderint, quàm parasiti mensas vacuas, & cœnas negatas. Si instituerit apud illos qui multo madent vino, eiusmodi ab ebrietate dehortationem, non bellariorum, aut secundæ mensæ expectâsset apparatum: quanquam nesciam, an bellaria, ab ipso bello nomen traxerint. Sed & bellariorum siue secundæ mensæ ita inoleuit luxus, vt cum prima, quamuis lautissima, quandoq;, & precio, & apparatu certet. Etenim in prima, vix aliquando exotica apponi videas, præsertim cum carnium, pisciumq; diuersi generis, tantam copiam habeamus, & tot lautitias patrium solum nobis suppeditet, vt externas, si modò aromata conditoria excipias, minimè desideremus; secundam autem aliunde è remotioribus oris, petitis illationibus, oportet instructissimam esse. In hanc tot sacchari species, tot citriorum, tot cotoniatorum conditorum, tot Aurantiorum, Ficuum, Castanearum, Martij, melliti, & tosti Norebergiensis panis, & Amigdalarum, tum passæ vuæ, tot fructus inferuntur, vt vix numerare queas, præsertim si domesticas quoq; placentas, tum parmesij casei, vel etiam domestici selectissimi, pomorum, pyrorum, prunorum, copiam addideris, ita vt mensa hæc omnia, vix sustinere queat:

no autem nobiliori, & generosiori vtitur, licet aliunde importato, vt solam fæcem hauriant Vngari, qui auiditate lucri satiari nequeunt. Desinat itaq; exclamare ille Poeta Poloniam multum recedere a felici Vngaria, nos vnico simpliciori dicterio homini respondebimus, acuto:

Felix Vngaria vale cum Rege Matthia.

Verum tollite pueri, quidquid residuum est, & alio transfertote, nos interim sublata mensa confabulabimur, morem antiquorum secuti, qui honestis et appositis confabulationibus, recreabant animum, ex saturitate depressum, præ quibus ego dapes opimas Regum facile contempserim. Venter quidem paucis satiari potest, at animum non exsatiabunt, vel trium dierum continuata alloquia, si contingat à doctis, & eruditis viris illa proferri, cum & appositè dicantur, & mirificè recreent animum. Ex Plutarcho iam dictum est de quodam Romano illud tritum, qui quo die solus cœnauerat, edisse se non cœnasse aiebat, quasi cœna semper postulet oblectantem allocutionem. Refert Iouius in Elogiis virorum illustrium, Leonem decimum, Summum Pontificem, ad mensam eiusmodi oblectamentis sæpius vsum, quæ fessum curis animum non tam dapibus cùm esset debiliori stomacho, quàm eiusmodi alloquijs & dicterijs recreare solebant: plerumq; versibus ex tẽpore cum Camillo Querno, qui se Archipoetam iactabat certare consueuerat. Nam cum Quernus ex Podagra male habens, ad mensam Leonis astaret, & ex præscripto bina saltẽ carmina, tributi nomine persoluere cogeretur, in hauc exametrum erupit. Iouius in Elogijs Illustri: virorum.

Archipoeta facit versus pro mille Poetis.

Demum cùm hæsitaret in expectato, Leo hoc pentametro peracutè respondit. Et pro mille alijs, Archipoeta bibit.

Tum verò cùm Quernus se recolligens inferret:

Porrige quod faciat mihi carmina docta Falernũ.

Leo repente à Virgilio mutuatus subdidit:

Hoc etiam eneruat, debilitatque pedes.

Franciscus verò primus Gallorum Rex inter epulas, vel loquentes de rebus varijs, vel prælegentem quidpiam Anagnostem audiebat. Cum vero semel Marci Bruti, vitam à Plutarcho descriptam, ad mensam attentius audisset, & multis verbis Heroicum illius animum commendâsset quidam Latinæ linguæ, simul & Historiæ imperitus, magnum quidem virum dixit, sed magnum quoq; adulterum. Admirantibus nouitatem cunctis, Ouidij versum protulit.

ô Brutus insanis esset adulter aquis.

Vocandi casu ô Brutus à Poeta scriptum esse contendens. Cur itaq; nobis idem non liceat, quòd summis Pontificibus, & Regibus licuit? quanquam non desint, qui aliunde oblectamenta quærant. è quibus nil in animum redundat boni: spectaculis alij delectantur, alij alea, thesseris, talis, nobis absit, vt aliqua subrepat talium occupationum cogitatio. Memini me apud Cyrillum Episcopum Hierosolimitanum, in quadam Epistola legisse. Ruffum eius nepotem aleæ deditum post obitum, Cyrillo per visionem demonstratum, horrendos cruciat⁹ perpessum. Sed neq; scacchorum seu latrunculorum vsum, sua reprehensione caruisse cognosco, quamuis nonnunquam Cicbocium, eo delectari animaduerti, nullius quidem lucri cupiditate, sed tantum occupandi ingenij studio, quòd puto & reliquis sacerdotibus, licitum esse. Nihilominus tamen ob eiusmodi lusum, Gerbardo Flandriæ

Episcopo,

Episcopo, qui scachorum ludo præfuerat: à Petro Damiano Cardinali Hostiensi iniuncta fuit pœnitentia, vt ter Psalterium meditando percurreret, & duodecim pauperum pedes lauaret; cum totidem numismatum erogatione, quos lusu lucratus fuerat: nobis alia ratio recreandorum animorum est ineunda. Quare age Marcissoui, cùm nulla nunc adsit Musices copia, profer aliquid quod non fuerit à nostro proposito alienum; nos ordine sequemur, nullum assidentem excepturi, quin suum edisserat ἀκρόαμα. *Cùm verò aliquantulum interquieuit, & Marcissouius,* πράγματα μοί παρέχεις *Cochleui, inquit serijs enim & non ludicris istis, oblectarer potius, nisi hospiti parendum foret, præsertim cùm & cæteri qui assident, non abnuant lepidioribus istis alloquijs reuocare animos ad alacritatem, non tam à vino, & Musica, sed ex sermonibus dictorum aut factorum memorabilium eorumque non illepidorum petitam.* Decere *igitur existimo, vt gratijs* Deo *Opt. Max. ritè peractis, & tibi agantur, nec obstat, quod ille grauior Musicorum concentus minimè compareat, qui tuas laudes celebret, ego autem si ipse occinuero talem cantionem quæ tibi placeat, quid dicturus es? nec id nouum esse putes vt canendo: non solum referantur gratiæ, sed soluatur, id quod in hospitio in sumptum est. Adferam tale quidpiam, quod me aliquando legisse memini vel saltem audisse. Viator quidam esuriens, cum diuertisset ad cauponulam, ventrem cibo potuque farciuit. Petenti pecuniam cauponi, ait nullos sibi esse nummos, sed cantilenis se satis esse facturum. Tabernarius non cantu, sed pretio sibi opus esse respondit, tum alter, si eam* Negotiũ mihi exhibes.

Ppp *can-*

cantionem cecinero, quae placeat tibi, num ea pro pecunia contentus eris? Annuente caupone, cæpit viator canere, et an ea placeret interrogauit, cum abnuisset caupo, vnam, & deinde alteram cecinit, nullius cantu sibi satisfieri ille testatus est. Hic viator, dicam ergo nunc, inquit, quae tibi sit placitura, & arrepto marsupio dissoluenti similis, cæpit cantionem, qua viatores vti consueuerunt. Immitte manum Bursæ, tum demum soluens te committe Vrsæ. Hac dicta, nunquid illa placeret rogat. Placet hæc, inquit hospes. Tum viator satisfactum est igitur tibi, ex pacto; ego abeo. Adhæc Cochleuius, cantionem tuam tibi habeto, mihi nihil pretio opus est, nec gratitudine quidem, cùm plus me vobis debere existimem, quòd ad me diuerteritis, measq; curas præsentia vestra excusseritis, quàm ille suo Cauponi, qui eum impune abire permisit. Quantò rectius ille Vasco, de quo Adrianus Barland', peregre iter faciens, cum in meritoria taberna ei cœna apposita esset, omni ex parte olitoria; cum vino dilutissimo iussit ad se vocari medicum, respondente caupone, ecquid in viculo agresti medicum requireret ille, ô bone, inquit, teipsum ignoras, tuipse medicus es, parco, & quasi medico mihi apposito prandio, medici ergo non Cauponis pretium accipe. Quanquam apud nos pluris constaret medici quàm cauponis pretium. Ego verò ne medicis indigeatis, medicum vobis prandium apponere volui, non tamen vinum dilutissimum, cùm aquam nec patiantur, nec ferant vina Pannonica. Sed nec voraces vos nactus sum hospites, qui tam multa è mensa tolli iussistis, vt ille Hugotio Fugiolanus, qui Pisas & Lucam vno prandio deuorauit. Constans enim est opinio potuisse die illo, quo de illarum

Mettima no alla Borsa & pagal' Hoste.

Petrarcha.

ciuitatum dominio pulsus erat. vulgi tumultus comprimi si è conuiuio surrexisset: vobis autem nihil impendet periculi, tametsi hunc consessum vestrum vsq; ad vesperas protraxeritis. Quare age tu quoq; Ciboci, quod vel placeat, vel displiceat tibi deposito isto tuo supercilio, prome interim antequam ad alios dicendi ordo peruenerit, vel si libuerit etiam interloquendi facultate vtere. Neq; enim abruptum sermonem inter amicos molestè tulimus vnquam.

CAPVT VIII.

In familiari consessu ab honorum præfationibus exquisitis abstinendum. Risus effusiores, & clamores vitandi. Scurrilitas Lutheri ad mensam detestanda Disputationes in conuiuiis damnatæ.

QVandoquidem eam necessitatem mihi imponitis, vt quòd placeat vel displiceat in conuiuiorum, & assessionum familiari instituto proferam, faciam libenter. Ea tamen quæ magis seria videntur, & consessui sacerdotali plurimum congrua, vbi vel aliquid legitur, vel dicitur, quibus & reliquorum assidentium animi pasci, & ædificari queant, etiamsi nonnulla intermisceantur quandoq;, quæ honestæ recreationi inseruiant, non tamen longè patiar me abduci à propositis nostris alloquijs. Ac primum equidem mihi placere non diffitebor, hunc vestrum familiarem loquendi modum, quo cauetis ne illis appellationibus, quibus se honorum appetentiores, & propterea turgidiores quidam

compellari gaudent; cursus propositorum alloquiorum interturbetur, quod plerisq; cum magna molestia euenisse aliquoties obseruaui, cum cogerentur toties Reuerentias, venerabilitates, spectabilitates, generositates, nobilitates, illustritates, magnificentias, repetere, & vni quasi pluribus, honores quosuis deferre. Rectè quidam eiusmodi derisit blanditias, qui cùm esset vir, prudentia insigni præditus, & eum cùm solus esset in conclaui, parasitus quispiam multa compluralitatis repetitione adiret, iterum atq; iterum circumspectans respondit, cæteros abysse, se solum esse, si quid vellet oportuniore tempore rediret, dum illi adessent, ille verò negat se quenquam præter vnum ipsum quærere. Tum hominem percunctatur, quot illic lectos videret? cùm vnum duntaxat respondisset: quæ tandem, inquit, intemperiæ te agitant, aut è qua popina nobis probè potus, ades, vt ego tibi non vnus videar, sed multi? Hæc ille, præterea nulla constructione Grammatica hæc sibi cohærent; verbi gratia, vt si quis dicat, vidi vos ambulantem, nec est quòd quis obtrudat aucta pluralitate, etiam honorem crescere. Quid enim Episcopo de suo honore, decedit, si æditutus respondet, & cum spiritu tuo: cùm debuerit iuxta Parasiticum morem respondere: & cum spiritu vestro? Et illud non minus ridiculum, quod refert Lucianus, de Simone quodam Cerdone, qui hæreditate insperatè auctus, etiam grandius nomen voluit. Itaq; salutatus à vicino Simon tulit indignè, conuersusq; ad seruos: edicite, inquit, mendico isti, ne nomen meum diminuat, neq; enim Simon, sed Simonides, vocor. Quidam verò contraria ratione affectant, se vocari,

vocari, nomine magnorum virorum, vt Cinnanus apud Marcialem Cinnam se appellari aiebat, de quo egregie lusit Poeta: Tu si Furius ante dictus esses, Fur ista ratione dicereris. Secundum est quod mihi displicere nequit: video enim vos tanta vrbanitate, et ciuilitate esse præditos, vt etiamsi aliqua intermisceatis quæ animum honesti amantem, ad hilaritatem prouocent: non tamen velle admittere videmini, scurriles et prophanos illos cachinnos, et risum solidum, a moribus deprauatis collectum. Clemens Alexan- Lib: 2. Pæd: c. 5. *drinus insignis inter scriptores Ecclesiasticos, illorum temporum vir, hos qui risum mouent à ridiculis moribus profectum, arcendos a Republica Christiana censet. Nam etsi homo est animal, inter alia propria adiunctam vim ridendi à natura obtinens, non tamen ideo perpetuò ridere oportere eum: quandoquidem nec equum, cuius est proprius hinnitus, semper hinnire expedit. Qui verò ita comparauit vitam suam, vt semper rideat, vel omnes ridere exoptet, hunc ipsum ridiculum, et irridendum ac probris incessendum pronunciat. Probat autem vultus, tanquam alicuius instrumenti, idq; per Harmoniam decoram, remissionem, quam Græci μειδίαμα quasi subrisionem appellabant: immoderatam autem, et inconcinnam vultus dissolutionem, quam κιχλιασμὸν vocabant; hoc est, risum immodestum, & lascinum, qui mulierum est improbat: καγχασμὸν vero hoc est cachinnationem, longè debere à viris abesse dicebat. Admisit tamen nonnunquam subridentem, sed eum qui seuera facie videtur subridere, sed et hunc oportere castigari censebat: etsi de rebus fuerit turpibus, erubescere potius, quàm*

subridere debere, ne videatur per consensum collætari. Absit autem à toto genere humano ille, quem vocant Sardoni*um, risum apud quos fuit receptum, vt ex captiuis pulcherrimos quosq; vel natu maximos qui Septuagesimum excessissent annum, Saturno mactarent ridentes in morte, vnde prouerbium enatum, Sardonius risus: quanquam non desint, & apud Christianos multi, quibus mors vel infortunium miserorum, risus & iocus est. Sed mittamus hos risus verè ridendos, & intempestiuos iocos. Probo tamen animum Cochleuij, qui non patitur nos ad mensam elingues esse, hoc est, vt exploret, an aliquis inter nos prudens, vel stultus reperiatur.* ἀκρατήριον *enim apud nostrates, cùm careamus theatris nihil aliud est, quàm mensa porrecta, ad quam accumbunt tot personati, qui ex scenis, vt fabulas suas venditent, prodeunt: nec animaduertistis id eum voluisse, cum nullo interturbato ordine, quemlibet voluit sua proferre* ἀκρόαματα. *Demarchus, vt Plutarchus in Apophtegmatibus Laconicis refert, in consessu quodam rogatus, vtrum ob stultitiam, an ob sermonis inopiam sileret: At qui stultus, inquit, ne potest quidem silere: Quidam hoc præclarum existimant si nunquam sileant, cum inquiunt id sit certissimum fatuitatis argumentum. Quem igitur existimabitis Cochleuium, qui nos ad suam hanc mensam silere non patitur? metuo, ne nos cum Luthero illo loquacissimo, et obscurrilitatem præsertim ad mensas conuiuales celeberrimo, exæquet, quem Sacramentarij tametsi ipsius proles genuina, scribunt virulentum, conuiciatorium, & contumeliosum os habere, in quos, si quando vehementius vino be-*

no bene potus inuehebatur, Germanicis illis vocibus Trotz, Botz Plotz Plitz, Po, pu, pa plumb insultare consueuerat; Zuinglium præcipuè eiusmodi elogijs exornans, vt eum vocare non timuerit, Suermerum, Diabolum, nebulonem, hæreticum, latronem, seditiosum, hypocritam, eius verò sectatores insathaniascatos, supersathaniascatos, & persathaniascatos appellans in Germanica editione appositius, Durchtenfelle, vberteifelle, verteifelle, quibus infusus, & perfusus, & transfusus Sathanas dominetur. Sed quis enumeret alias scurriles, & probrosas eius præsertim in mensis conuiualibus voces? a quibus Christianorum maximè sacerdotum, conuiuia honesta abhorrere debent, quemadmodum video semper ad Cochleuij mensam quoties huc diuerti, summo studio, & grauitate obseruari. Disputationes verò ad mensam de religione, quæ passim apud Politicos, cum initia enatæ hæresis feruerent increbuerant: mihi haud quaquam placent, nec placuêre vnquam; imo nec extra mensam quidem. Nec immeritò eiusmodi disputationes displicuerunt doctissimo Lipsio: cuius hæc querela est. Fatalis est, inquit, nunc ista ingeniorum scabies, vt omnes disputare malint, quam viuere: ita loquor quia velut à cælo, & dixerim astro aliquo est hæc pestis: atq; vt corporum quidam morbi, certis temporib. interueniunt, sic nunc est animorum, viri, fœminæ, senes, pueri, quæstiunculis ludunt, & lasciuiunt, eoq; ventum, vt pro parum sano sit, q non sic insanit: mysterium Theologia erat facta, ē populare oblectamentū, vis imaginē horum tempoꝝ. Nicephori Gregoræ ista lege. Apud nos, inquit, etiam opificib. effusa sunt arcana Theologiæ, Lib: 11.

atq;

atq; ita omnes inhiant ratiocinaciunculis, & sermonibus syllogisticis, vt herbæ & pascuis armenta. Et illi qui de recta fide ambigui sunt, & qui nec quomodo credendum sit sciunt, nec quid sit illud quod credere se dicunt: illi, inquam, & fora, & porticus, & theatra omnia, Theologia compleuerunt, neq; solem hunc testem facere impudentiæ suæ verentur: Iam dissidia & ambitionem, quæ inter capita sectarum, & duces pulchre idem exprimit, & deplorat, quis non ad mensas sedentibus oboriri credat? Factionum verò Principes inter se digladiabantur, & linguas contra sese mutuò armabant, non zelo diuino, sed iracundiæ impetu ducti, inde lites ab animo non satis instituto, profectæ & aduersariarum orationum certamina. Hæc, inquit Lipsius, in Græcia olim fuêre, quæ vnà cum religione paulo post ruit. Nos quid aliud expectamus; nisi malis certationibus finem faciamus? Picus quoq; Mirandula aiebat, eas disputationes prodesse, quæ placido animo ad inuestigandam perquirendamq; veritatem, priuatis in locis, semotisq; arbitris exercebantur. At illas obesse plurimum, quæ in propatulo fiebant, ad ostendendam doctrinam, vel ad captandam vulgi auram, atq; imperitorum applausum. Vixq; posse fieri omninò censebat, vt honoris cupiditati, qua effrontes illi disputatores exagitantur, inseparabili vinculo annexum non sit illius, cum quo disputatur, desiderium infamiæ confusionisq;, lethale vulnus animæ, & venenum caritatis, mortiferum.

Ioan: Frant: in vita Pici

CAPVT IX.

Conten-

Contentiones non ſolum à menſis remouendas, verúm & à concionibus Miniſtrorum prædicantum ex ſuggeſto altercationes plauſibiles, illorumque artes & impoſturæ.

TVM Cochleuius, ſubtexam & ego aliquid, & meam quoq; hac de re ſententiam intermiſcebo: vel potius D. Auguſtini, quam me & legiſſe, & meminiſſe iuuat; qui contra Celſum ſcribens conqueri videtur, de nimia verborum contentione. Moleſta res eſt, inquit, contentio, deſtinataq; voluntas reſiſtendi, etiam in manifeſtis, pudore diſcedendi à conſuetis opinionibus. Et alio in loco: vnus ex cæteris animæ languor, & quidem peſſimus; contentio: per quam omne opus prauum geritur, per hanc hæreſes naſcuntur: per hanc ſchiſmata, & omnia ſcandala, in Eccleſiis generantur, dum hi qui apud ſemetipſos prudentes ſunt, & in conſpectu ſuo ſapientes, quidquid libuerit pro lege defendunt, & inde fit vt diffidatur quidem veritati, & obtemperetur iniquitati: Placet mihi quoq; & illud Gregorij Nazian: in diſſertationibus: melius eſt exiſtentem aliquem ſapientem ſeſe demittere per modeſtiam, quam imperitè affectum, propter audaciam nimis contendere verbis. Procul igitur faceſſant hinc contentiones, quas ego non modò ad menſas non admiſerim; ſed neq; in ipſis concionibus ad populum vehementer probauerim. Hoc ſeculum pruriens quærit ſemper concionatores, qui egregiè norunt, argumenta argumentis opponere, & integrum borum diſputando extrahere: flaccidum & torpentem eum appellat, qui circa

mores corrigendos, & pietatis inculcandæ studium, ita occupatur, vt subtilioribus argutijs nullum relinquat locum. Contigit hoc cuidam celebri, & religioso concionatori Viennæ (si quidem aliqua festiuiora interserenda hîc esse paulo ante conclusemmus) qui cùm animaduertisset Albertum Cæsarem Regis Ladisl ii Hungariæ Patrem, cum aulicis somno grauatum esse, eò, quòd nullas pro vtraq; parte moueret quæstiones; sed ea tantùm quæ magis ad pietatem sectandam accomodata videbantur proferret; altiori voce inclamans, vt somnum discuteret, promisit se propositurum singularem quæstionem, quam auidioribus exciperent auribus. Quæro inquit ex vobis qui astatis; saluarine principes possint? cumq; rem dubiam, & admodum difficilè reddidisset, & in vtramq, partem multum esset ratiocionatus, apagete inquit: si baptizati in cunabulis moriantur non est desperanda illorum salus: attonitos quidem omnes cum nulla superesset contradicendi facultas, reddidit; effecit tamen, vt posthac, & attentius audiretur, & nullus deinceps somnus audientibus obreperet. Et vt verum fatear in concionibus hæreticorum ministrorum vix aliquem reperias, qui dormituriat, adeò iuuat carpentem Cleri vitam, audire præconem verbi: et quò quisq; improbior, et conuitiator fuerit horribilior, eò disertior, et festiuior habetur: subtrahe calumnias, scurrilitates, mendaciorum fictiones artificiosas, mox ad quinque pelliones, vel totidem annus, tota illorum recidet concionandi ratio, itaque aut erit summa contentione laterum, et vocis cum Papistis vt vocant et altercandum, aut suggestum clamosiori, rabulæ, vel subtiliori

Æneæ Syl: lib: 3 Com: in Panorm.

liori

liori, et mordaciori conuitiatori, relinquendum: præsertim vbi ad præscriptum heri sui, vel primariæ plebis, sermo est instituendus. Ne hoc quidem prætermittendum, quod in Anatomia (ad quam nos redire ipsum cogit tempus) Anonymus, scribere non erubuerit, malle se vilissimi Pagi Parochum: tametsi subrudior sit concionantem audire, quam qui in vniuersa Polonia inueniri queat dissertissimum Iesuitam. Sed hoc idem auritus asinus, quod et ille fecisset, qui magis alicuius cuculi voce, quam lusciniæ oblectari dicitur. Dicit quidem Anonymus, Iesuitas vt plurimum subtiles, disertos et in concitandis affectibus acres, vehementes et impetuosos esse, vt imbecilles, et incautos animos moueant, et percellant. Et certè aliquid ad commendationem illorum dixisse videbatur: si vocat eos imbecillibus animis esse, qui in fide plerumque fluctuant, et statim vt quemcunque prædicantem audiuerint in diuersas abripiuntur sectas, vel incautos, qui facilè suggestionibus Sathanæ dementati, in quæuis scelera præcipites ruunt: fateor, in istis curandis, & a peccatis auocandis Iesuitas optimos esse artifices. Quod vero elocutionis siue actionis, (quam Hypocrisim vocat) gesticulatoriam leuitatem, nimiumque fucandi sermonis studium, ipsis attribuit; tantum a veritate abest: quantum omnes ministri à syncerae pietatis schola abesse comprobantur: & non solum mendacem, sed & ridiculum se exhibet, cum ardentissimæ ambitionis affectum eidem affingit. Scilicet Iesuitæ, Episcopatus, Abbatias, Prælaturas, Canonicatus, & quasuis dignitates Ecclesiasticas ambiunt, cum & his, quæ ante in-

te ingressum religionis obtinebant, renunciauerint, & ex instituto suo, omnem viam, & aditum, ad quæuis beneficia, & dignitates consequendas sibi præcluserint. Deinde non poterat aliter calumniari, & conuitiari Iesuitas, nisi illis prius calumniandi, & conuitiandi libidinem qua in aduersarios debachantur, exprobraret: Igitur vult omninò Iesuitas elingues esse, hoc est, ne & verbis, et actione prodant fraudes Hæreticorum, neue acerbius quandoque in vitia et in corruptos, et deprauatos hominum mores inuehantur. 2. 1 Tim Cap: 4. *Cur etiam non arguit D. Paulum, qui iubet instare opportunè importunè, et non solum obsecrandos, verùm et arguendos, et increpandos esse idque etiam durè, præsertim eos, qui contradicunt, suadet. At quales sunt ministri Væuangelicorum prædicandi artifices? sedent in insidijs in occultis vt decipiant innocentem, si audias compositissima illorum verba ad speciem pietatis accommodata quam suauia quàm seductoria sint facile is animaduertit, qui artes illorum habet perspectas. Certè fauus distillans labia meretricis. Meretrix est hæresis, quæ ex scripturis mella colligit quidem, sed tantum distillantia, quæ abundanter fluere nequeant, aliquid immiscent mellis, dum venena sua infundere nituntur, Regem suum Babylonium, id est Diabolum, secuta, qui fidelem populum errorum captiuitate vinctum, de Hierusalem, id est Ecclesia, in Babylonem, id est in confusionem hæreticæ prauitatis abduxit. Sed et partem vasorum, id est scripturarum, sacramentorum, simul cum captiuis asportauit. Detulerunt namque ex his nonnulla ex nostris hæretici, scripturas adducunt, aliqua sacra-*

sacramenta admittunt, frequenter Christum in ore habent, sed tantum mella distillant non fundunt; ea tantum quæ plausibiliora auditoribus suis existimant esse, adferunt. De misericordia, de benignitate diuina, multa quidem illi loquuntur: at de veritate & iudicio rarissimè, ne videlicet terreant conscientias, quas illaqueare se nolle dicunt, rarissimè in vitia inuehuntur, & in peccata insurgunt, cùm persuaserint hominibus, bona opera ad iustificationem non pertinere: nec quantumuis enormia peccata, dummodò credatur, iustitiæ obesse posse. Proinde mirificè tractant scripturas, & vt quidam dixit: sicut mures, felis: amputant, resecant, inuertunt, corrumpunt: habent Euangelium in ore, charitatem in lingua, iustitiam in fide, sed odium Ecclesiæ in corde, sacrilegia in opere, superbiam in pectore. Hæc est illa meretrix fauum distillans: vel illa de qua: Stulta & clamosa plena illecebris, & nihil omninò sciens, sedens in foribus domus suæ, super sellam in excelso vrbis loco. Prou: 9. *Audi quid D. Hieronymus de hac muliere sentiat, mulier hæc ait, hæresis est, stulta scilicet per falsum intellectum, clamosa per garrulitatem, plena illecebris vitiorum, & nihil omninò sciens, sicut ait Apostolus, qui se existimat aliquid esse cum nihil sit ipse se seducit: sedet autem et ipsa in foribus domus suæ, id est, in Doctoribus falsitatis, qui in penetralia perfidiæ, miseros fallendo perducunt.* Gal: 6.

CAPVT X.

Iesuitarum concionandi modus ab hæreticis

 diuersus,

diuersus, tum qui ex Iesuitis ad hoc munus acciti & vocati, apud nos excellentes iudicati.

SED audiamus quàm longè distant conciones Ministrorum, à concionibus Patrum Soc: Iesu, illi quidem consueuerunt substernere puluillos cubitis audientium, et timent ne verbo vel gestu aliquo vehementiori offendant: hi verò præceptum Domini secuti, cùm opus fuerit exaltant et attollunt, vt tuba vocem, præsertim cùm contra vitia, contra hæreses pugnandum est. Nec refert si quispiam, qui emolliri debebat, induretur: quod quasi pietate ductus anonymus, lamentari videtur: Qui enim induratur, suo vitio facit: idem enim sol & indurat lutum, & emollit ceram; sed scio plurimos reperiri, qui Iesuitarum concionibus ita emolliti sunt, vt et hæreses abiecerint, & ad meliorem vitæ frugem se illico receperint: Dominus cum populo Ephraimitico expostulans, inquit: Ego dolaui in Osea 6. *Prophetis, occidi eos in verbo oris mei. Fermmenta sunt quibus dolantur lapides duri: multi quidem aures hominum subtilitatibus, & iucundis verbis demulcent, & quæ peccantes mordeant omittunt, quoniam ad dolandum, & ad feriendum vires adhibere timent, ita vt non mallei ferrei videantur ad conterendas petras, sed pinei aut potius vitrei. Atqui vtinam tales essent hominum mores, vt semper leniter agendum esset, sed quid illis facies qui lapidei sunt, & nisi ferro poliri, et cædi non possunt? Samaritanus quoq; noster non solum oleum, sed et vinum vulneribus*

iufu-

infudit. Ministrorum verò præcipui conatus mollire sermones suos super oleum: sed ego opponam illis: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Mallem vel minimum ex Societate vehementius carpentem vitia, & hæreses confundentem audire, quam disertissimi ministri, phaleruta verba nectentis, vel per momentum concioni interesse. Habet per Dei gratiam societas, præstantissimos, & omni genere scientiarum instructissimos viros, concionatores insignes, pietate et sanctimonia vitæ, celebres; quos nosse eum non pæniteret, si elatum animum, quo Catholicos despicere solet, paulumper deprimeret: sentiret profectò energiam sermonum, et concionum Iesuiticarum, quam potentes quam efficaces sint: spiritu et verbo, quod penetrat vsq; ad viscera, et interiora cordis. Fastidiret profectò suorum ministrorum garrulitatem, quibus si demas, in summum Pontificem, in clerum, in Catholicos, conuitia et mendacia, mutos et elingues potius repures, tantum abest, vt aliquam guttulam pietatis, pectoribus peccatis, et hæresibus obrutis, instillare queant. Qualis quantusq; fuerat Petrus Scarga, quærat totius regni iudicium, certe non citò futura secula productura sunt, parem. Si Grodicium, si Radziminium nostrum, si tot, per diuersa loca tonantes alios recollecto et composito animo, contigisset eum audire, non tanto æstuaret odio et inuidia, pectus illud hæresibus infectum. At verò congressum quorundam, si exoptaret, inueniret proculdubio in quibus occuparet ingenium, et industriam; si quam habet: Doctissimus vir, Martinus Smiglecius, Psal. 164

quem-

quemadmodum Anabaptistis silentium eruditissimis scriptis suis imposuerat, ita illius proteruiorem linguam facilè compescuisset. Idem fecisset Matthæus Bembus, nunc Serenissimi Regis nostri Ecclesiastes, ac cæteri pietate, doctrina, spectatissimi viri, quibus refertissima collegia Soc: Iesu vbiq; reperias, Ioannem Conarium virum integerrimum quid commemorem? quem obseruaui semper, cuius pietas & virtus, adeò mihi perspecta est, vt eam pro exemplari habuerim, & quamuis eam imitari difficile fuerit: non tamen sentio me frustra eam in illo suspexisse, cuius imprimis opera nostri Illustris Gostomij ad Ecclesiæ sinum conuersi sunt, & Collegium Sendomiriense *fundari cæptum, vt non memorem eos quos confectos laboribus, ad præmia æterna vocauit Deus; præsertim Iacobum Wuiecum, illum eruditione præclara virum, linguarum præcipuarum notitia celeberrimum, cuius opera et studio, et Biblia translata in maternam habemus linguam; et postillas siue homilias vt vocant concionum, frequentius editas; tum alia opera, in quibus insignis viri pietas, et pro religione propaganda ardor, atq; animus ad hæreses extirpandas indefessus, mirificè elucet, ita vt plurimum seipsi debere fateantur sacerdotes, quòd habeant in promptu argumenta, quibus hæreses conficiant, et ad pietatem fidelium corda excitent, quos etsi Iesuitis præferat, anonymus non laboramus, cùm non ignoremus plerosq; ita Iesuitarum scripta amplecti, et imitari conciones, vt ne apud eos quidem quo consistant locum queant inuenire. Mitto Stanislaum Warsauicium, tot opum Ecclesiasticarum contemptorem, imo et honorum quorum-*

rumuis, mitto Petkowium, Gasparem Morarium, Albertum Mroskowium, Florianum Drozinium, et reliquos nostris Sendomiriensibus *optimè quondam notos patres.* *Martinus verò Laterna, verè beatus Martyr, qualis fuerit verbi diuini disseminator, præter Stephanum desideratissimæ memoriæ Regem inclytum, nullis amplius egebimus testibus. Hunc* Sokolouio *illi celebri substituerat aulæ suæ concionatorem, nec putauit se optimi* Socolouij *desiderium ferre posse, si ipsi Laterna fuisset denegatus: quanta verò non adeo in magno corpore eloquentiæ vis inerat, quàm recondita rerum diuinarum, & humanarum scientia, quam compositi mores, & non interruptus in iuuandis proximis labor: nemo est qui non meminerit, qui modò hominem nouerat. Dignus erat qui sub auspicijs Sereniss. Regis nostri, vtpotè eius Ecclesiastes factus, ab impia & truculenta Hæreticorum manu, dum in Sueciam mandato superiorum, ad iuuandos suos Catholicos, vel ad Hæreticos conuertendos pergit, aquis marinis suffocatur, Martyrij coronam consequeretur. Non tacebo quoq; Adrianum Iungam, Synopseos, & aliorum librorum autorem, concionatorem disertum, acumine ingenij admirabilem, Helluonem librorum etiam ab externis appellatum: similiter Ioannem Brantum amœnissimi ingenij hominem, pium & doctum, & cæteros quorum memoria, in benedictione est. Abeat itaq; , si noluerit sanioribus consilijs obsequi, ad suos vilissimos pagos, vel potius ad suorum ministrorum inconditam & impexam turbam. Nostrates & in pagis, concionem, modo sit Catholicus sacerdos, inueniunt talem, quæ possit facili negotio de Iesui-*

tis opiniones falsas, & prauas demonstrare, et hæresum insurgentium, fundamenta, dolabris suis ferreis subruere. An nescit vniuersus clerus, Iesuitas ab Ecclesia in Concilio Tridentino admissos, et receptos, à tot Summis *Pontificibus approbatos, ac multis gratijs ac priuilegiis dotatos, ab Episcopis, Regibus, Principibus, Rebuspublicis inuitatos, hucusq; cum summa laude versari, qui Ecclesiam exornant suis doctrinis, puritate et innocentia vitæ illustrant, qui in hæresibus vitijs, & peccatis extirpandis strenuam nauant operam, iuuentutem studijs instituunt honestis: præcipuè verò animos teneriores, pietate et cognitione mandatorum Dei, imbuunt. Abeat ergo Anonymus impudens, & Iesuitæ doctissimo, quemlibet è pago sacerdotem opponere, vel præferre deinceps audeat: iterum excipietur a Cichocio verbis qualibus dignus est, excipi ille, qui odiosas ferit comparationes, sine quouis delectu et iudicio. Ne quisquam mihi Plazas objiciat, vel alios quospiam, cum nullis sacerdotia eripuerint Iesuitæ, vel si ab aliquibus, peramanter fuerint excepti, & ad suas Parochias admissi, citra præiudicium illorum id factum fuisse constat, integris reditibus Parochis relictis, quin potius & auctis. Nam quod nonnulli de Plaza* S. *Stephani Cracouiæ quondam Parocho confingunt, meræ sunt nugæ, cùm manifestum sit, illum virum constantissimè vsq; ad extremum halitum, Iesuitas et amauisse, et de pœnitentia facti ne somniâsse quidem, sponte acersiuit, sponte cessit Iesuitis curiali, vbi nunc institutus nouitiatus est domo, nec quidquam detrimenti perpessa est Ecclesia, cùm et ipse locupletiori Præpositum*

positum Corcinensi auctus fuisset, et nunc Plebanus S. Stephani Albertus Kozulski, vir pius, et Societatis amantissimus integris imo auctioribus fruatur prouentibus, nam et domo satis commoda potitur, et plurimis curis quibus Parochi officio suo incumbentes, distineri consueuerunt, liberatum se esse lætatur. Sed nec tu ipse Cicboci diffiteri potes, tibi plurimum curæ, et solicitudinis post admissos patres detractum, neq; de soatunis quidquam imminutum; nisi conqueraris, opimo sacerdotio, eoque admodum vicino, eorum opera te auctum esse. Facessant igitur linguæ maledicæ, et ingenium ad quialibet confingendum, promptum et expeditum, non enim se intrudunt, et ingerunt sponte Iesuitæ: sed cùm inuitantur sanctæ obedientiæ nexibus pertracti, voluntati superiorum se totos permittunt: currunt quidem alacriter cum mittuntur, non vt possideant bona, exceptis Collegiis, quæ sine fundatione consistere nequeunt, sed vt se pro Ecclesia Catholica, tot periculis obijciant, tot mortibus, tot persecutionibus exponant, tot laboribus, in administrandis sacramentis, in institutionibus Christianis inculcandis, in pube erudienda, et informanda perfungantur. At si in aliquo loco considendum sit, diligenter examinant et expendunt, num id facere expediat: num inde maior gloria Dei, et proximorum vtilitas sperari debeat, quod proprium est virorum prudentum. Verùm longius fortasse quam par fuerat, protraxi sermonem, domi meæ putans quidem id mihi licere: vereor tamen ne aliquis vestrum exclusum se à loquendo arbitretur, quapropter cedo campo, alteriq; relinquo dicendi locum.

CAPVT XI.

Quibus appellationibus miniſtri honorari affectant, Ex Illuſtribus & inſignioribus familiis num etiam prodeant Miniſtri, prout apud Catholicos, plurimi ſacerdotes, & religioſi, Miniſtrorum functio, etiam ipſis hæreticis contemptibilis. Horum ridicula ordinatio, Diabolo etiam non negata.

VIderis, inquam, Cochleui Anatomiam meam non oſcitanter, percurriſſe multaq́; obſeruauiſſe, quorum ego non memineram; vel breuitatis ſtudio omiſeram, præſertim quæ ad patres Societatis *Ieſu pertinere videbantur, quorum vna mecum patrocinium ſuſceptum, ſatis ſtrenuè es proſecutus. Miſſos igitur hos nunc faciamus; non tamen adducere poſſum animum; quin antequam finis noſtris alloquijs imponatur: etiam aliquid de miniſtris hæreticorum loquamur, eorumq́; placita non minus ridicula, quam abſurda examinemus, non iniucundum puto fore tuis ſacerdotibus, quin & iſtis ciuibus primarijs, præſertim Clementi, qui ſæpius cum miniſtris, vel cum hoc vicino Nekmſouienſi congredi conſueuerat: ita tamen vt liberum ſit vnicuique proferre, quid ſentiat, vel quod libeat interſerere.*

Tum Clemens, exporrecta fronte, & barbam manu demulcens, longioris ſilentij pertæſus, arripuit libenter eam loquendi occaſionem. verum equidem eſt, inquit, me tot ſcholis quot hîc in vicinia templa numerantur præfuiſſe, vt alicuius

licuius pagi reperiatur, colonus nullus, qui me non nosset, apud quos mihi tantam existimationem sapientiæ comparauerim, vt quo me verterem (sæpius enim mutare locum consueuerim) Clementis nomen ab inuitantibus acclamari audirem, nec fas erat aspernari poculorum porrectores: quanquam hæc nimia rustica beneuolentia, in magnum mihi aliquoties excreuerit malum, vitabam igitur, quantum poteram rusticam hanc gentem, & me libenter vel sacerdotibus, vel literarum non ignaris aggregabam, ita vt ne à ministrorum quorundam congressu abhorrerem, præsertim ab hoc vicino Nekrasouiensi, qui mihi videbatur cæteris simplicior, & ferme eodem mecum in literis profectu. Quem cùm semel atq; iterum domini ministri appellatione compellarem, an non tibi, inquit, Venerabilis vel Reuerendus videor? cùm verò subintulissem, sacerdotibus nostris hos honores tantum deberi, ille primum indignari, & tandem mitior factus: protulit Lutheri sui Patriarchæ deprompta verba, ex admonitione ad Francofordenses, vbi ministros suos vult etiam vocari Reuerendos dominos, & inuehitur acriter in illos, qui nolunt se submittere ministris, & illis hunc titulum deferre, quod si nolint ob contemptum hoc eos honore afficere, dicere saltem iubet Chare Domine, vel chare frater, si nolunt dicere patrem, & cum vlterius legendo progrederetur: vides inquit, Clemens, quam se pro honore ministrorum audacter opposuerit reformatæ nostræ religionis princeps, ita vt in Swermeros, hoc est, nostros Zuinglianos inuehatur, qui eas appellationes respuant, & à tenera ætate modestiam atque humilitatem excludant, atq; hanc

 suam

te ingressum religionis obtinebant, renunciauerint, & ex instituto suo, omnem viam, & aditum, ad quæuis beneficia, & dignitates consequendas sibi præcluserint. Deinde non poterat aliter calumniari, & conuitiari Iesuitas, nisi illis prius calumniandi, & conuitiandi libidinem qua in aduersarios debacchantur, exprobraret: Igitur vult omninò Iesuitas elingues esse, hoc est, ne & verbis, et actione prodant fraudes Hæreticorum, neue acerbius quandoque in vitia et in corruptos, et deprauatos hominum mores inuehantur. Cur etiam non arguit D. Paulum, qui iubet instare opportunè importunè, et non solum obsecrandos, verùm et arguendos, et increpandos esse idque etiam durè, præsertim eos, qui contradicunt, suadet. At quales sunt ministri Væuangelicorum prædicandi artifices? sedent in insidijs in occultis vt decipiant innocentem, si audias compositissima illorum verba ad speciem pietatis accommodata quam suauia quàm seductoria sint facile is animaduertit, qui artes illorū habet perspectas. Certè fauum distillans labia meretricis. Meretrix est hæresis, quæ ex scripturis mella colligit quidem, sed tantum distillantia, quæ abundanter fluere nequeant, aliquid immiscent mellis, dum venena sua infundere nituntur, Regem suum Babylonium, id est Diabolum, secuta, qui fidelem populum errorum captiuitate vinctum, de Hierusalem, id est Ecclesia, in Babylonem, id est in confusionem hæreticæ prauitatis abduxit. Sed et partem vasorum, id est scripturarum, sacramentorum, simul cum captiuis asportauit. Detulerunt namque ex his nonnulla ex nostris hæretici, scripturas adducunt, aliqua sacra-

2. ad Tim Cap: 4.

ſacramenta admittunt, frequenter Chriſtum in ore habent, ſed tantum mella diſtillant non fundunt, ea tantum quæ plauſibiliora auditoribus ſuis exiſtimant eſſe, adferunt. De miſericordia, de benignitate diuina, multa quidem illi loquuntur: at de veritate & iudicio rariſſimè, ne videlicet terreant conſcientias, quas illaqueare ſe nolle dicunt, rariſſimè in vitia inuehuntur, & in peccata inſurgunt, cùm perſuaſerint hominibus, bona opera ad iuſtificationem non pertinere: nec quantumuis enormia peccata, dummodo credatur, iuſtitiæ obeſſe poſſe. Proinde mirificè tractant ſcripturas, & vt quidam dixit: ſicut mures, felis: amputant, reſecant, inuertunt, corrumpunt: habent Euangelium in ore, charitatem in lingua, iuſtitiam in fide, ſed odium Eccleſiæ in corde, ſacrilegia in opere, ſuperbiam in pectore. Hæc eſt illa meretrix fauum diſtillans: vel illa de qua: Stulta & clamoſa plena illecebris, & nihil omninò Prou: 9. *ſciens, ſedens in foribus domus ſuæ, ſuper ſellam in excelſo vrbis loco. Audi quid D. Hieronymus de hac muliere ſentiat, mulier hæc ait, hæreſis eſt, ſtulta ſcilicet per falſum intellectum, clamoſa per garrulitatem, plena illecebris vitiorum, & nihil omninò ſciens, ſicut ait Apoſtolus, qui ſe exiſtimat aliquid eſſe cum nihil ſit ipſe ſe ſeducit: ſedet autem et ipſa in foribus domus ſuæ, id eſt, in Doctoribus falſitatis, qui in penetralia perfidiæ, miſeros fallendo perducunt.* Gal: 6.

CAPVT X.

Ieſuitarum concionandi modus ab hæreticis

 diuerſus,

diuersus, tum qui ex Iesuitis ad hoc munus acciti & vocati, apud nos excellentes iudicati.

SED audiamus quàm longè distant conciones Ministrorum, a concionibus Patrum Soc.: Iesu, illi quidem consueuerunt substernere puluillos cubitis audientium, et timent ne verbo vel gestu aliquo vehementiori offendant: hi verò præceptum Domini secuti, cùm opus fuerit exaltant et attollunt, vt tuba vocem, præsertim cum contra vitia, contra hæreses pugnandum est. Nec refert si quispiam, qui emolliri debebat, induretur: quod quasi pietate ductus anonymus, lamentari videtur: Qui enim induratur, suo vitio facit: idem enim sol & indurat lutum, & emollit ceram; sed scio plurimos reperiri, qui Iesuitarum concionibus ita emolliti sunt, vt et hæreses abiecerint, & ad meliorem vitæ frugem se illico receperint: Dominus cum populo Ephraimitico expostulans, inquit: Ego dolaui in Prophetis, occidi eos in verbo oris mei. Fermmenta sunt quibus dolantur lapides duri: multi quidem aures hominum subtilitatibus, & iucundis verbis demulcent, & quæ peccantes mordeant omittunt, quoniam ad dolandum, & ad feriendum vires adhibere timent, ita vt non mallei ferrei videantur ad conterendas petras, sed pinei aut potius vitrei. Atqui vtinam tales essent hominum mores, vt semper leniter agendum esset, sed quid illis facies qui lapidei sunt, & nisi ferro poliri, et cædi non possunt? Samaritanus quoq; noster non solum oleum, sed et vinum vulneribus

Oseæ 6.

infu-

infudit. Ministrorum verò præcipui conatus mollire sermones suos super oleum: sed ego opponam illis: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Psal. 104 *Mallem vel minimum ex Societate vehementius carpentem vitia, & hæreses confundentem audire, quam disertissimi ministri, phaleruta verba nectentis, vel per momentum concioni interesse. Habet per Dei gratiam societas, præstantissimos, & omni genere scientiarum instructissimos viros, concionatores insignes, pietate et sanctimonia vitæ, celebres; quos nosse cum non pœniteret, si elatum animum, quo Catholicos despicere solet, parumper deprimeret: sentiret profectò energiam sermonum, et concionum Iesuiticarum, quam potentes quam efficaces sint: spiritu et verbo, quod penetrat vsq; ad viscera, et interiora cordis. Fastidiret profectò suorum ministrorum garrulitatem, quibus si demas, in summum Pontificem, in clerum, in Catholicos, conuitia et mendatia, mutos et elingues potius repute, tantum abest, vt aliquam guttulam pietatis, pectoribus peccatis, et hæresibus obrutis, instillare queant. Qualis quantusq; fuerat Petrus Scarga, quærat totius regni iudicium, certe non citò futura secula productura sunt, parem. Si Grodicium, si Radziminium nostrum, si tot, per diuersa loca tonantes alios recollecto et composito animo, contigisset eum audire, non tanto æstuaret odio et inuidia, pectus illud hæresibus infectum. At verò congressum quorundam, si exoptaret, inueniret proculdubio in quibus occuparet ingenium, et industriam; si quam habet: Doctissimus vir, Martinus Smiglecius,*

quem-

quemadmodum Anabaptistis silentium eruditissimis scriptis suis imposuerat, ita illius proteruiorem linguam facilè compescuisset. Idem fecisset Matthæus Bembus, nunc Serenissimi Regis nostri Ecclesiastes, ac cæteri pietate, doctrina, spectatissimi viri, quibus refertissima collegia Soc: Iesu vbiq; reperias, Ioannem Conarium virum integerrimum quid commemorem? quem obseruaui semper, cuius pietas & virtus, adeò mihi perspecta est, vt eam pro exemplari habuerim, & quamuis eam imitari difficile fuerit: non tamen sentio me frustra eam in illo suspexisse, cuius imprimis opera nostri Illustris Gostomij ad Ecclesiæ sinum conuersi sunt, & Collegium Sendomiriense *fundari cæptum, vt non memorem eos quos confectos laboribus, ad præmia æterna vocauit Deus; præsertim Iacobum Wuiecum, illum eruditione præclara virum, linguarum præcipuarum notitia celeberrimum, cuius opera et studio, et Biblia translata in maternam habemus linguam; et postillas siue homilias vt vocant concionum, frequentius editas; tum alia opera, in quibus insignis viri pietas, et pro religione propaganda ardor, atq; animus ad hæreses extirpandas indefessus, mirificè elucet, ita vt plurimum seipsi debere fateantur sacerdotes, quòd habeant in promptu argumenta, quibus hæreses conficiant, et ad pietatem fidelium corda excitent, quos etsi Iesuitis præferat, anonymus non laboramus, cùm non ignoremus plerosq; ita Iesuitarum scripta amplecti, et imitari conciones, vt ne apud eos quidem quo consistant locum queant inuenire. Mitto Stanislaum Warsauicium, tot opum Ecclesiasticarum contemptorem, imo et honorum quorum-*

rumuis, mitto Petkowium, Gasparem Morarium, Albertum Mroskowium, Florianum Drozinium, et reliquos nostris Sendomiriensibus *optimè quondam notos patres. Martinus verò Laterna, verè beatus Martyr, qualis fuerit verbi diuini disseminator, præter Stephanum desideratissimæ memoriæ Regem inclytum, nullus amplius egebimus testibus. Hunc* Sokolouio *illi celebri substituerat aulæ suæ concionatorem, nec putauit se optimi Socolouij desiderium ferre posse, si ipsi Laterna fuisset denegatus: quanta verò non adeo in magno corpore eloquentiæ vis inerat, quàm recondita rerum diuinarum, & humanarum scientia, quam compositi mores, & non interruptus in iuuandis proximis labor: nemo est qui non meminerit, qui modò hominem nouerat. Dignus erat qui sub auspicijs Sereniss. Regis nostri, vtpotè eius Ecclesiastes factus, ab impia & truculenta Hæreticorum manu, dum in Sueciam mandato superiorum, ad iuuandos suos Catholicos, vel ad Hæreticos conuertendos pergit, aquis marinis suffocatur, Martyrij coronam consequeretur. Non tacebo quoq; Adrianum Iungam, Synopseos, & aliorum librorum autorem, concionatorem disertum, acumine ingenij admirabilem, Helluonem librorum etiam ab externis appellatum: similiter Ioannem Brantum amœnissimi ingenij hominem, pium & doctum, & cæteros quorum memoria, in benedictione est. Abeat itaq; , si noluerit sanioribus consilijs obsequi, ad suos vilissimos pagos, vel potius ad suorum ministrorum inconditam & impexam turbam. Nostrates & in pagis, concionem, modo sit Catholicus sacerdos, inueniunt talem, quæ possit facili negotio de Iesui-*

tis opiniones falsas, & prauas demonstrare, et hæresum insurgentium, fundamenta, dolabris suis ferreis subruere. An nescit vniuersus clerus, Iesuitas ab Ecclesia in Concilio Tridentino admissos, et receptos, à tot Summis Pontificibus approbatos, ac multis gratijs ac priuilegiis dotatos, ab Episcopis, Regibus, Principibus, Rebusspublicis inuitatos, hucusq; cum summa laude versari, qui Ecclesiam exornant suis doctrinis, puritate et innocentia vitæ illustrant, qui in hæresibus vitijs, & peccatis extirpandis strenuam nauant operam, iuuentutem studijs instituunt honestis: præcipuè verò animos teneriores, pietate et cognitione mandatorum Dei, imbuunt. Abeat ergo Anonymus impudens, & Iesuitæ doctissimo, quemlibet è pago sacerdotem opponere, vel præferre deinceps audeat: iterum excipietur a Cichocio verbis qualibus dignus est, excipi ille, qui odiosas serit comparationes, sine quouis delectu et iudicio. Ne quisquam mihi Plazas obijciat, vel alios quospiam, cum nullis sacerdotia eripuerint Iesuitæ, vel si ab aliquibus, peramanter fuerint excepti, & ad suas Parochias admissi, citra præiudicium illorum id factum fuisse constat, integris reditibus Parochis relictis, quin potius & auctis. Nam quod nonnulli de Plaza S. Stephani Cracouiæ quondam Parocho confingunt, meræ sunt nugæ, cùm manifestum sit, illum virum constantissimè vsq; ad extremum halitum, Iesuitas et amauisse, et de pœnitentia facti ne somniâsse quidem, sponte acersiuit, sponte cessit Iesuitis curiali, vbi nunc institutus nouitiatus est domo, nec quidquam detrimenti perpessa est Ecclesia, cùm et ipse locupletiori Præpositura

positum Corcinensi auctus fuisset, et nunc Plebanus S. Stephani Albertus Kozulski, vir pius, et Societatis amantissimus integris imo auctioribus fruatur prouentibus, nam et domo satis commoda potitur, et plurimis curis quibus Parochi officio suo incumbentes, distineri consueuerunt, liberatum se esse lætatur. Sed nec tu ipse Cicboci diffiteri potes, tibi plurimum curæ, et solicitudinis post admissos patres detractum, neq; de foatunis quidquam imminutum; nisi conquereris, opimo sacerdotio, eoquè admodum vicino, eorum opera te auctum esse. Facessant igitur linguæ maledicæ, et ingenium ad quialibet confingendum, promptum et expeditum, non enim se intrudunt, et ingerunt sponte Iesuitæ: sed cùm inuitantur sanctæ obedientiæ nexibus pertracti, voluntati superiorum se totos permittunt: currunt quidem alacriter cum mittuntur, non vt possideant bona, exceptis Collegiis, quæ sine fundatione consistere nequeunt, sed vt se pro Ecclesia Catholica, tot periculis obijciant, tot mortibus, tot persecutionibus exponant, tot laboribus, in administrandis sacramentis, in institutionibus Christianis inculcandis, in pube erudienda, et informanda perfungantur. At si in aliquo loco considendum sit, diligenter examinant et expendunt, num id facere expediat: num inde maior gloria Dei, et proximorum vtilitas sperari debeat, quod proprium est virorum prudentum. Verùm longius fortasse quam par fuerat, protraxi sermonem, domi meæ putans quidem id mihi licere: vereor tamen ne aliquis vestrum exclusum se à loquendo arbitretur, quapropter cedo campo, alteriq; relinquo dicendi locum.

licuius pagi reperiatur, colonus nullus, qui me non nosset, apud quos mihi tantam existimationem sapientiæ comparaueram, vt quo me verterem (sæpius enim mutare locum consueueram) Clementis nomen ab inuitantibus acclamari audirem, nec fas erat aspernari poculorum porrectores: quanquam hæc nimia rustica beneuolentia, in magnum mihi aliquoties excreuerit malum, vitabam igitur, quantum poteram rusticam hanc gentem, & me libenter vel sacerdotibus, vel literarum non ignaris aggregabam, ita vt ne à ministrorum quorundam congressu abhorrerem, præsertim ab hoc vicino Nekrasouiensi, qui mihi videbatur cæteris simplicior, & ferme eodem mecum in literis profectu. Quem cùm semel atq; iterum domini ministri appellatione compellarem, an non tibi, inquit, Venerabilis vel Reuerendus videor? cùm verò subintulissem, sacerdotibus nostris hos honores tantum deberi, ille primum indignari, & tandem mitior factus: protulit Lutheri sui Patriarchæ deprompta verba, ex admonitione ad Francofordenses, vbi ministros suos vult etiam vocari Reuerendos dominos, & inuehitur acriter in illos, qui nolunt se submittere ministris, & illis hunc titulum deferre; quod si nolint ob contemptum hoc eos honore afficere, dicere saltem iubet Chare Domine, vel chare frater, si nolunt dicere patrem, & cum vlterius legendo progrederetur: vides inquit, Clemens, quam se pro honore ministrorum audacter opposuerit reformatæ nostræ religionis princeps, ita vt in Swermeros, hoc est, nostros Zuinglianos inuehatur, qui eas appellationes respuant, & à tenera ætate modestiam atque humilitatem excludant, atq; hanc

suam institutionem derident, contra omnem Polyticam modestiam, & obseruantiam. Seditio inquit ex illorum barathro axhalat, vellent in omnibus esse paritatem vt tandem ipsi soli essent, & dicerentur Reuerendi, sicut Munzerus voluit Dominos omnes è medio sublatos. Deinde ita concludit. Equidem vellem iuuentutem, & populum assuefieri, vt non modo diceret Reuerende Domine, sed etiam sancte Domine, sancte Pater, si enim dicimus sanctam confessionem, sanctam absolutionem, sanctam concionem, & quidquid ad verbum Dei pertinet vocamus sanctum, quid probibet, quare & ministri non dicantur sancti. Hæc ille ex Luthero, at ego cum collaudauissem Clementē, à memoriæ tenacitate: quæsiui, quid ille ad hæc respondisset, dixit se primum esse miratum, quòd illi qui sanctos de cælo detrahunt, & deturbant ipsi volunt dici, & haberi sancti, & qui molestè ferebant Papam vocari sanctum, vel sanctissimum, ipsi propter similem officij rationem iam sancti vocari affectant. Deinde cum se profiteatur non Lutheranum, sed vnum ex Swermeris Caluinistis esse, molestè ferre non debere si Reuerendus non dicatur propter paritatem omnium, quam suus magister Caluinus, omnibus viribus introducere conatur, à qua sententia cum ipse Lutherus non abborreat, mirum est cur ministros, tantum Reuerendos, vel sanctos, non verò quemlibet è populo vocari iubeat, si verò vult vocari Reuerendus, vel venerabilis, redeat ad suum subdiaconatum, quem sacrilegè deseruerat, & Rebecam quæ eum hoc honore priuauerat, cum non sit vxor ipsius legitima, ableget, tum demum se eum Reuerendum vocaturum, nunc verò

nihil commercij cum ipso habere se velle, eoque quo dignus est nomine semper eundem vocaturum. Quonam quæso? eo, quo Lutherus ipse ministros Bohemos insigniuerat, vocans eos dignos qui apud Teutonas laqueos, & coruos mereantur. At verò pater Albertus Michænius Ecclesiastes, his dictis exhilaratus. Clementis demulcens caput subdidit, quis sperauerat Clementem nostrum non adeò clementer se ministro opposuisse. Subtexam & ego aliquid ne chori nostri socium prodidisse videar, nuper enim contigerat me interfuisse colloquiis, quorundam qui & genere Illustres, & ex Senatorio ordine fuerant fere præcipui, aderant & alij æquè præclari viri, sed quos dogmata Hæretica iam pridem corruperant. Cum verò quæstio iniecta fuisset, num expediret ex familijs Illustribus ortos sacris initiari, quidni expediat inquit primariæ nobilitatis vir, cum non indecorum fuerit, Imperatoribus, Regibus, Principibus, & eminentioribus nobilitate viris ex se ortos ad sacros promouere ordines, & vnicum id optauisse vt ex familia sua, aliquis prodiret; qui aris Dei Opt: Max: admoueri, & sacra rite peragere, quiuerit, nec deesse apud nos recentia exempla, Firleiorum, Opaliniorum, Osolinlorum, Zebridouiorum, & in Lithuania, Radziuilorum, Voinarum, Kisskarum, Pacorum, Tiskieuiciorum, Wolouiciorum, & eorum omnium, qui ex Senatorio, & equestri ordine, ad Episcopatus, & Ecclesiasticas dignitates assumuntur, vt pretercam illos antiquiores, etiam quosdam Regia stirpe & Illustrib⁹ procreatos familijs Fridericos, Olesnicios, Odrowanzos, Tencinios, Tarnouios, Tarlones, Iastrebecios

quo-

quorum insignes familiæ id vnum laudi ducunt, quòd ex familijs suis, tot numerauerint sacrorum Antistites, tot sacerdotes, quosdam & religionem arctissimam professos, optare verò se vnicus qui ipsi superstes est filius, tametsi amplissimæ possessiones ad eum ex hæreditate peruenturæ sint, vt nunquam quo semel a puero voti causa indutus est, deponat religiosum habitum. Demum hæresi imbutos, æquè Illustres viros percunctatus est, num aliquis optauerit vt filius eius sit minister, vel vt filia eius alicui ministro iungatur. Pernegantibus cunctis et Deum vt hanc ignominiam à familijs suis auertat obtestantibus, quid aliud sensisse putatis, nisi hoc genus ministrorum ignominiosum, et contemptibile esse, neq; dignum quod aliqua nobilitatis linea condecoretur? Nec obstat quòd Dominus simpliciores ad id munus peragendum elegerit ministros, alia enim est nascentis, alia adultioris, alia senescentis Ecclesiæ ratio: verùm & ipse D. Paulus, cùm se ciuis Romani iure tueretur, nonne indignius se tractari asseruit, quam debuerat? alioquin tot Regum, tot Principum, sanctissimam propaginem sacris initiatam, et in sortem Domini adscriptam, præ istis cerdonibus, et pellionibus, ne quid deterius dicam, facile contempseris. Verum quidem est successionem sacerdotalem non dependere, a generis quod ex carne est propagatione; sed aliunde; hoc est, ex spirituali characteris impressione, plurimum tamen refert, vt is qui ordinari debeat, habeat deforis testimonium suæ conuersationis probæ, tum an legitimæ procreatus sit inquirere iubent Canones Ecclesiastici, imò de conditione, de statu, de aptitudine, de impedimentis

quanta

quanta inquirendi solicitudo solet esse: cùm hæc omnia contemnat, & floccipendat se temerè in sacra intrudens colluuies hæreticorum. Vnde non mirum est, perditis hominibus ad tam scilicet sacra execranda administranda aditus peruios esse, & cuilibet patere. De qua absurditate, etiam ipsos Hæreticos sæpius conquestos esse legimus. Schererius Lutheranus dicit miserabiliter errare, qui arbitrantur se legitimè vocatos, & ordinatos esse. si Respub. vel polyticus magistratus illis mandet, vt conscensa cathedra concionentur, baptizent et sacramenta administrent. Qua ratione, inquit, non procul à Vienna mulier quædam nobilis, per impositionem muliebrium suarum manuum, et lintei quo præcingebatur, loco stolæ, filiorum suorum pædagogum ad prædicantium officium ordinauit, et consecrauit. Sarcerius quoq; grauiter conqueritur, quòd sartores, sutores, textores, cerdones in ministros ordinentur, quos tantum concedit in necessitate ordinandos. Sed et Diabolum *ipsum Lutherus, de missa priuata expressè docet, posse baptizare, cœnam administrare, cur non & prædicantem ordinare? Hoc scio, inquit Lutherus,* Diabolum *posse, Euangelizare fungi officio ministri, et pastoris, porrigere sacramentum, ergo et ordinationem dare. Nam si* Diabolus *aut membrum eius ordinationem Christi seruat, vt Lutherus ait, tunc vera & efficacia ministrat sacramenta, si ea seruat quod Lutherus obseruauit in ordinatione, Schuchmanni et Rorarij, quos ordinauit Episcopos. Dicit enim non hoc attendendum esse, quis ordinet aut seminet solum enim mandatum* Dei, *& ordinatio fructum profert. Iam igitur habetis quid sit sentiendum*

Conc: 1. de S. Stepha: in Post: de sanctis.

Tom: 7. lat: Vitéber.

Sff tiendum

tiendum de ministris, qui etiam Diabolum ipsum in ordinem suum cogunt, & ministrum posse fieri admittunt, quid impedit cur non etiam Reuerendum, vel si placet sanctum eundem vocent? & tamen audebit quispiam illis vel tantillum honorem deferre; & Reuerendos aut Venerabiles quin et sanctos patres existimare? O fæcem ex toto hominum consortio, non Reuerendam, sed euerrendam, et fætidis immergendam cloacis, nec eius spurcitijs, hanc mensam, & consessum nostrum inquinandam. Includendos esse censerem in illam Thraciæ vicinam ciuitatem, quæ πονηρόπολις dicebatur, in hanc Philippus collegisse dicitur, velut in sentinam infames ac moribus improbatis, vt sycophantas, falsos testes, præuaricatores, et id genus alios, ad numerum duûm millium, vt autor est Theopompus; verùm ampliorem vrbem ex ipsa colluuie ministrorum fabricauerint, qui semel è ciuitate Dei exciderunt, non tamen efficient, vt ciuitas Sathanæ potior sit ciuitate Dei, hanc enim solus fundauit altissimus, quæ multitudine ministrorum incursantium, subuerti non potest.

Id est, improborū ciuitas.

Rerū Philippicarum li: 3. & Plutar chus de curiositate.

CAPVT XII.

Paritas fratrum non tollit preeminentiam principatus, & quot modis fraternitas accipiatur, ministrorum cū Catholicis sacerdotib. collatio

Cùm verò Michanius respirare velle videretur. Clemens commendatione sua delectatus, non passus est incæptum impediri sibi sermonem, quin audacior factus quæsiuit

num

num si quando vsus venerit, ministrum quemlibet (quandoquidem nec Reuerendus, nec charus dici debeat) saltem fratrem appellare liceret, & ne temerè dixisse videretur, retulit ministrum quendam Racouianum, serio probibuisse ne aliquem bonorem sibi deferret: præter eum qui omnibus Christianis communis est, pares enim omnes sibi esse dicebat, nec quenquam dominum, Magistrum, vel patrem vocari debere, eo quod vnus sit omnium dominus, magister & pater, qui inbibuit quenquam alium, bis nominibus vocare in terris: satisq; fore si frater diceretur, prout & fœminam sororem, ab omnibus dici posse. Fratres autem quotquot fuerint æquali iure esse, nec alterum alteri præferri decere. Hunc igitur ministrum anteposui priori illi, tanquam ab omni bonoris appetentia alienum. Subrisit Michanius, et vt retunderet eius loquendi licentiam, imprudentem eum esse, et facile à ministro illudi potuisse declamuit. Vides, inquit, bone vir, quid faciat vel lenissima cum ministris, Diaboli satellitibus confabulatio; quorum sermo, cancro, serpenti persimilis est: nec miser senseras te esse captum, vel capi potuisse, cùm non baberes quod responderes obiectanti, dicendum erat fraternitatem multis modis accipi, aliquando enim natura frater dicitur, vt Esau & Iacob, aliquando gente, vt Iudæi, et Nobilitas Polona mutuo se fratres appellat, aliquando cognatione, vt Abraham qui dixit Saram esse sororem suam, cùm tamen esset vxor, aliquando affectu: vt Christiani, aliquando creatione, sumus enim fratres ab Adam procreati: tum etiam per adoptionem inter se fratres dicuntur. Igitur cùm Summus Pontifex vocet Episcopos fratres,

aut Episcopi Canonicos vel Parochos, hæc assertio fraternitatis principatum asserenti non tollit, vt patet de Isaac, cùm dicitur, esto Dominus *fratrum tuorum. Et sicut in vna domo cum deest paterfamilias, antiquior frater est primus, & tamen carnalitate fratres sunt, sed non præeminentia, et iurisdictione: sic Petrus cum reliquis, fratres sunt, sed tamen Petrus singulis præpositus est, vel fratres sunt in ordine et consecratione, non in administratione: sic Pastores et præfecti Ecclesiarum suarum ouium fratres dici possunt, non tamen inde sequitur nihil differre a pastoribus oues, vel ipsas oues non debere agnoscere suos præpositos, et eos honore debito afficere. Quare licebit tibi deinceps, & ministros vocare fratres, sed tales, quales vocantur à D. Paulo, falsos inquam fratres, quos nec salutatione dignos esse iudicat. Erubuit hic Clemens nec demum loqui ausus, Grancouio Presbytero, dicendi partes detulit: qui dum tergiuersatur seséq; miris excusat modis nunc inopem sermonis se esse, nunc alijs negotijs impediri, dicens tandem Cochleuio vrgente, diceret vel interrogaret saltem ex aliquibus occurrentibus, dubijs præsertim circa ministros, de quibus institutus fuerat sermo. Quandoquidem, inquit, eam necessitatem mibi imponitis doceri tantum volo, quid sit respondendum aduersarijs nostris ministris, qui nos Catholicos sacerdotes passim traducunt, & tanquam indoctos & rudes rerum diuinarum et Theologicarum aspernantur. Adducunt opinionis suæ, Bezam inter Caluinianos ministros testem præcipuum, qui in multis locis scribere non veretur apud Pontificios, non nisi indoctos et ineptos, Presbyterij & Episcopatus honore insigniri, idq; sine vllo examine, à se verò ordinatos non*

prius ad prædicationem verbi admitti, quàm constiterit eos esse idoneos, & scripturæ sacræ, quæ sola ab illis requiritur peritos. Ad hæc Cochleuius, *probo equidem, quòd silentium ruperis, ne solus ab alloquijs nostris exclusus esse videare: sed illi* Sodomitico *Bezæ, non alicuius Catholici scriptoris; sed Samuiæ Caluinistæ Apologeticum scriptum opponam, qui hanc Bezæ impudentiam multis reprimit verbis, ita enim contra eum insurgit. Papisticas ordinationes, inquit, exaggerat Beza, qua in re vereor ne bonam causam lædat, apud conscios examinis, quæ hodie plerisq; in locis, apud Pontificios habetur, qui dicent Bezam maleuolentia odioq; in aduersarios abripi ad calumniandum. Ipse ni fallor, examini nunquam interfuit, sed ex ijs quæ non rarò accidisse, ab alijs audiuit in vniuersum de tota re iudicat. Ego quod viderim narrabo, & quod verum est aduersarijs concedam. Errare Bezam fallique fateor, qui apud Pontificios nullum morum, & doctrinæ examen ordinandos subire putat. Ego noui de præcipuis doctrinæ capitibus, graues quæstiones proponi, præsertim futuris presbyteris, & propter imperitiam vitæq; turpitudinem plerosque repelli, & fuisse repulsos in diuersis Diœcesibus, & à diuersis, qui præerant examini. Fallitur Beza quando in vniuersum Pontificiorum examen, damnat hoc nomine quòd semper apud omnes, & vbique de examine ordinandorum violentur Canones, aut quosuis promiscuè admittant, qui præsunt examini, quorum neutrum semper verum est. Et nonnullis interpositis; similiter negare propter solam opinionem eruditionis, & virtutis interdum, vltro deferri Episcopatus, & sacerdotia,*

impudentia est, cùm constat eximiè eruditionis viros, & inculpatæ vitæ, eligi Episcopos, & Presbyteros creari. Deinde excellens eruditio, tam est tam apud eos, quàm apud nos. Sexagesimum iam ago annum, inquit, & quotquot memoria complecti possum Episcopos, paucis exceptis literatos omnes fuisse scio. Lutetiæ Parisiorum aliquando vixi, doctos & indoctos, omnium ordinum Theologos ibi vidisse me, & audiuisse memini: neminem tamen humano iudicio adeo ineptum & indoctum vidi, vt non æquè indoctos concionatores, et ministros apud nos inuenire liceat. Hæc Samuia Caluinianus contra Caluinistarum signiferum Bezam, verum id esse quis neget? Cùm Lutheranus, superintendens Sarcerius in libro de Consistorijs, publicè fateatur, apud Lutheranos ordinari textores, sartores, et similes opifices, qui tota vita sua nullum Latinum verbum didicerint. Meritò igitur talium irridetur ordinatio quid enim nisi Laici sunt, & prophanum vulgus, et cùm seipsos ordinant, euadunt meri Laici, et irritus est conatus, plus non efficitur quàm si Menalcas, Corydonem Doctorem creet.

In cap: Bab. *Hinc Lutherus quærit, an prædicantes possint degradari? quidni respondet: prorsus enim se non videre, qua ratione rursus nequeat Laicus fieri semel sacerdos factus, cùm a Laico nihil differat, nisi ministerio, imò cùm nihil sit aliud nisi laicus, quid procliuius quàm vt laicus fiat. Sed cum volunt dici Episcopi, sacerdotes etiam, pastores superintendentes, et tales esse nequeunt, quid aliud agunt, quàm quòd Melancholici quidam agere videntur. Alius enim se Pontificem, alius Imperatorem esse imaginatur, & exequitur*

illa

illa officia imaginaria, alius belluam immanem se putat esse, et cathenis constringitur, quidam etiam se granum milij putauerat, qui a gallinis vorari metuens, illas quantum poterat fugiebat, & oderat. Sic istos adeò insanire non pudet, vt quidquid imaginarium in suum impresserint cerebellum, id ita esse, nec aliter debere fieri. cæteris persuadere nituntur, Lutherus præ se contemnit etiam Imperatores, Reges, Principes, quos probrosis solet afficere titulis, et Turca deteriores, tam magnus sibi esse videtur, vt etiam Angelos præ se contemnat. Nam inter ministros neminem reperias, qui se granum milij putet, vt propterea vitandas sibi gallinas existimet. Absit enim, vt aliqui de se tam abiectè sentire cupiant, qui vertice cœlum contingere gestiunt, quibus nihil superbius, nihil elatius cogitari potest, quos genuit superbia omnium hæresum mater, et aluit inuidia.

CAPVT XIII.

Ridiculæ rationes, quæ afferunt, vt expeditius Deo seruiatur, vxorem ducendam esse, præsertim ipsius Lutheri. Eiusq; enumerata soboles.

Nihil verius his dictis subintulit Marcissouius: illud tamen vehementer admiror, quod cùm plurimos ex ministris, rudes, ineptos, et indoctos Corydones nouerim, ita tamen imponant plerisq;, vt eruditissimi videantur. Nam cordatiores, facile hoc genus prædicantum contemnunt, & sub censuras suas cogunt. Inter Hæresiarchas qui præcipui fuerunt, totam eruditionem suam, qua pollebant,

ex Papatu extulerunt, his in Orcum demissis raros admodum reperies, qui aliquam eruditionis laudem mereantur, siue quod ille pristinus ardor in illis deferbuerit: siue quòd vxoribus, liberis, & re familiari occupati, satis habeant aliqua scripturæ loca, ab hæreticis deprauata percurrere, & stentorea voce in Pontificem, Monachos, & sacerdotes ex Caluino vel aliunde petitis conuitijs, debacchari. Et certè monstro simile est, quod Caluinus asseruit, dum adhuc cælebs esset, se vxorem ducturum, non alia mente, quàm vt Deo expeditius seruire posset, & asperè quendam obiurgauit prædicantem: quod cælibatum à ministris vrgeret. Mirum dictu, Apostoli, et demum omnes, quotquot fuerant, sanctissimi viri, & Doctores, vxoribus valedixerunt, ne quod impedimentum obijcerent prædicationi Euangelij. At Caluinus aduerso incedit gressu, in aduersum quoq; cælo locum, delapsurus. Hic sese Clemens non continuit, sed male Caluino precatus, eum impostorem, tum nugacem esse exclamauit. At, inquit, Deum immortalem, quàm non puduit hæc Caluinum contra omnem sensum, & rationem effutijsse. Poteram equidem ego tametsi ne mediocribus quidem literis fueram instructus, eo tempore, quo templis & eorum scholis darem operam, liberius & expeditius Deo seruire, nisi me vxoris ducendæ incessisset cupido: qua ducta tantum abfuit, vt Domino seruiendi, concederetur mihi amplior occasio, vt prorsus ardorem illum priorē & studium, quo circa cantum Ecclesiasticum & ministerium æditiuo familiare, occupabar, sensim extingui & euanescere in me sentirem, & varijs curis subsecutis, in tantum distraherer, vt

Epist: 371.

multa

multa vxore, multa liberis poscentibus, millies cælebs, permansisse maluissem, si rescindendi matrimonij aliqua superfuisset facultas. Nunc verò et si cum vxore, honesta quidem fœmina consenuerim non tamen ipsa senectus pellit curas, et solicitudines, quin potius auget, quæ non permittunt me tribuere multum temporis, vt recollectiori spiritu Deo inseruiam: videmus quoq; passim ministros hos conductitios, pene in rusticam plebem degenerâsse, cùm nihil ab illa differant. Audiui istum nostrum Nekrasouiensem quondam conquestum, quòd se vxorijs rebus, irretijsset potuisse enim se aiebat, Dominus vobiscum, nisi Rebecca obstitisset sæpius decantare, si cæptos ordines continuauisset, nunc præter iurgia domestica, & sumptus in elocandis filiabus, nihil sibi relictum esse? Hoc Clementis interloquium, risu excepit Cochleuius, nobis quoq; ridentibus: Quid, inquit, ridetis, vel si ridere ita vobis cordi est, adferam ego vobis alias tres rationes sanè ridiculas, quibus se Lutherus impulsum ait, vt quantocius vxorem duceret, sed à Caluini ratione longè diuersas, quas omnes ex Epistola ad Amsforfium depromptas, vobis exhibeo. Primam ait esse, quòd sperabat, se breue tempus, adhuc victurum. Secundam quòd parenti suo hoc incesto coniugio gratificari voluerit. Tertiam vt facto suo & exemplo ipso, doctrinam suam confirmaret. An non satis vobis, istæ rationes graues, quin potius ridiculæ videbuntur? primò ob breuitatem vitæ ducendam esse vxorem, quis vnquam bene sanus sensit? Cuinam in mentem venit, id temporis ducendam esse vxorem, quo minus vitæ restat? & cùm animus ab omnibus solicitu-

Tom: 2. Lat: Epist: 295

dinibus expediri debebat, nouis vxorijs nexibus velle se implicare? At longe diuersum ad Spalatinum antea scripserat animus, inquit, alienus à coniugio est, cum expecto mortem quotidie, & meritum haeretici supplicium, non abnuissemus, si vt meritus erat haeretici supplicium pertulisset. Sed & secunda ratio non minus est ridicula, videlicet, parenti hoc suo coniugio gratificari voluisse scilicet, ne tam sublimis propago prophetica, & secundi Eliae germen, aliqua iniuria temporum intercideret, vel Lutherorum stirps, vna cum Luthero intermoreretur. Actum enim esset de quinto Euangelio. Si tanquam ex Aaronica linea, nullus superesset, qui illud propagaret, & posteritatem transmittere. Sed vbinam sit tam egregium germen, & in quibus terris versetur, prodeat aliquis, & digito demonstraret, tot filios & filias, quas ipse Lutherus pater, accuratissime in suos annales referre voluit: sic enim habet in colloquiis, potatorijs. Anno 25. in seditione rusticorum 12. Iunij vxorem duxi. Anno 26. 1. Iunij primogenitus Ioannes procreatus est. Anno 27. Elizabetha filia, Anno 29. in vigilia Ascensionis, Magdalena. Anno 31. 7. Nouembris, Martinus. Anno 33. 28. Ianuarij Paulus, Anno 24. Margaretha. En habetis Gallum, & Gallinam cum suis pullis in scaenam productos, vel simiam faetum suum siue simiolos quamuis deformes, arctissime complectentem quos prae nimio amore complecti, & comprimere interdum ita solet, vt etiam enecet, Nec enim compertum habemus, an posteritas Lutheri aliqua supersit, an etiam auus, nepotes tanti filij viderit vnquam, saltem vel tenuis fama horum ad nos peruolasset: si infimae sortis homini & metallario fossori tan-

Tom: 2. Lat:

Gretherus.

tum decus aspicere licuisset. Sed maledictam & sacrilegam progeniem Deus non passus est excrescere in arborem, quæ esset omnib9 conspicua. Talis enim proles ex tali coniugio procreari debebat, qualis ex Monacho, & moniali sperabatur, ita necesse erat pares parib9 iungi, & Monachum, non aliam nisi monacham, incesto connubio, conspurcare oportuisse. Tertiam verò causam quis non rideat, voluisse Lutherum vt facto & exemplo, ipso doctrinam suam confirmaret: Igitur doctrina Lutheri non alia est quam quæ monachis, & monialibus, promiscuum permittit matrimonij vsum, seu potius detestandum, & execrandum concubitum. Et hac ratione suam ex infernopetitam obsignauit doctrinam, vt nihil commercij, habere videatur cum Paulo, Petro, Andrea, & reliquis sanctissimis viris, qui suam prædicationem sanguine, & miraculis obsignauerunt. Abeat impurus ille cum suis varijs ministris, & cum sigillis obsignatorijs, in Orcum, commigret: vbi loco ceræ, pix atra, suppeditabit ipsi abunde glutinam obsignatorium. Tum iterum Clemens, puto multos ex ministris, nec Caluini nec Lutheri rationibus, suum vxoratum defensuros: ego intellexi ex quibusdam, vnam tantum superesse rationem, cur vxores eos habere oporteat. Necessitatem solam inquiunt esse ex diuino præcepto ortam id; authoritate sui patriarchæ Lutheri comprobant, ex sermone matrimonij quem Vitembergæ habuit Anno Domini 1522. Ita enim ille hircus fætidus ausus est, in hæc verba prorumpere. Certi sumus inquit oportere coadiuuari maritum, & vxorem, estque tam durum atq; primum præceptum, & non solum præceptum sed plusquam præceptum esseque necessitatem, Extat: Tom: 5. Lat.

 non

non arbitrij libertatem. Et vt non est in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est etiam mei iuris, vt absq; muliere sim Lutherum suum secutus. Sarcerius Lutheranus, ad finem libri sui de matrimonio scribit. Ministrum verbi obligari vt carceres, exilia, et ipsam mortem ferat, non obligari autem, vt carnis incitamenta toleret. Nam illa his longè sunt leuiora, et faciliora. Sed ego hos omnes dixerim ex prostibulis emersisse, quib⁹ carcer et mors leuior est, quàm priuatio concubinatus, ô quàm libenter ego ista necessitate caruissem, si mens sanior fuisset. Verùm satis est me miserum vxoratum nunc esse, Ministris illam necessitatem non inuideo, rationes Caluini et Lutheri sibi ipsis habeant, cùm sciam nostrorum sacerdotum multò grauiores esse, propter quas ab vxoribus abstineant. Hæc autem citrà offensam vestram dicta à me sunto.

CAPVT XIV.

Ineptiæ ministrorum prædicantum, in administrationibus ministerialibus, & Lutheri censura de easdem.

M*Attheus verò Grancouius presbyter contractiori vultu intuens Clementem, desine inquit tandem garriendo tuam istam concutere barbam. Permittesne me, ægrè ad colloquia extractum, cum tuis istis ministris æquè ac tu vxorijs, & Laicis congredi? & quanta in plerisq; rerum necessariarum sit ignorantia, & iudicij stupiditas, idque ab istius*

istius noui Euangelij exordio, demonstrare? præsertim cum adhuc superstite Luthero, cohors ista ministrantium multa committere consueuerat, quæ Lutherus æquè prudens ac ipsi, virgula sua censoria notauerat, vel potius ridenda toti mundo exposuerat. Non est quod Stomacheris pater mi, Clemens respondit, liberæ tibi facultas per me relinquitur, in ministros dicendi quidquid volueris, quorum solicitudo ad me pertinet nihil, sed si quid & ego postea dixero de quorundam sacerdotum imperitia, & rudi inscitia, nunquid iterum corrugabis, & contorquebis frontem? Multos enim præsertim in oppidis vilioribus, & pagis æquè indoctos ac ego sum reperias, cum eo potissimum nomine à sacerdotio me subduxerim, quòd ea mihi præsidia literarum non comparauerim, quæ sacerdotem efficiunt probum, & rituum Ecclesiasticorum non ignarum. Quare age produc hos tuos ministros in arenam, & nos stoliditate illorum recrea. Tùm Grancouius, non tua causa, sed eorum qui me in Orchestram hanc prodire voluerunt faciam libenter: & nullius vtar testimonio aptiori & magis apposito quàm ipsius Lutheri, qui vnum ex ministris suis nebulonem, & impostorem graphicum vocat, quòd in ditione Norimbergensi, cum cuidam mulieri debebat ministrare cœnam, & careret calice, accepto cochleari, dixit, accipite & bibite, hoc est cochlear noui testamenti: De qua re consultus Lutherus, tametsi primum subriserit, tamen dignum esse, qui ad annum carceri includeretur pronunciauit. Huic enim cochleari talis debetur theca. Ad hæc Cochleuius apparet certè stultum illum ministrum fuisse, qui non inuenerat, quod Luthero responderet,

In Colt symp: Tit: de Miscel.

si enim in translatione Bibliorum licuit Luthero mutare calicem, in poculum, cur eadem libertate prædicanti non licuit mutare calicem in cochlear? nec conuinci erroris potuit, qui mentiri noluit; procul dubio autem mentitus fuisset si dixisset, hic est calix noui testamenti, quia cochlear non est calix, sed perge vlterius Grancoui, Et ille alter inquit non min⁹ ridiculus minister, qui cum consecrare deberet in missa Lutherana plures hostias, putans incongruum esse dicere, hoc est corpus meum, dixit hæc sunt corpora mea, Deinde gloriatus est apud cæteros. de sua scientia, dictitans, nisi tam fuissem bonus Grammaticus, magnam instituissem hæresim, & tantum vnam hostiam consecrassem, & tamen & hunc Lutherus nebulonem vocat, & inuehitur in Grammaticos, Dialecticos, Rhetores, scripturam confundentes, qualis ipse Lutherus, cum suo Melanchtone fuit æque nebulo, ac illi quos carpit. Vultis producam vobis tertium, qui perinde putabat consecratas hostias porrigere populo sicut & non consecratas? Is enim post verba consecrationis dicta, ex incuria, hostiam vnam amisit, quam cum inuenire non posset, et tamen ministranda esset vni rustico cœna, dat illi aliam non consecratam, postea rusticus quidam inuenit illam antea consecratam, quam tollit et tradit ministro, hæsitans num valeret illa, quam non consecratam rustico porrexit, cui respondit minister, idem esse nec esse aliquod discrimen, inter consecratas & non consecratas hostias, quod cum ad notitiam Lutheri peruenisset, iussit illum eijci ex Lutherana Ecclesia, vt sineretur ire ad suos Zuinglianos & Sacramentarios, tametsi rusticum illum qui accepit hostiam non consecratā, non peccasse fateretur, quod fides sua ipsum

In Colloq: Lat: de Ceremonijs.

Ex Epist: Lutheri ad Nico: Ausdor.

iuuerit, quippe qui credidit se verum accepisse sacramentum, diuino verbo firmiter innixus. Addidit suum iudicium Marcissouius, et approbauit illius ministri siue Diaconi factum. Nam ex benedictione siue consecratione, illa Lutherana tantundem accepisset ille rustic⁹, quantum & non consecrata, quoniam ambo eiusdem sunt valoris, & cum ex doctrina Lutheri fides omnia perficiat, qui hoc sæpius inculcat, crede & manducasti, & ille minister cum non esset rite ordinatus sacerdos. (Diacon⁹ enim tantum fuisse scribitur) credebat suam quantumlibet consecrationem, nihil penitus valere, certe inique a Luthero pelli, & loco moueri iussus est, & ad sacramentarios siue Zuinglianos se conferre, qui cum nihil consecrationi tribuant, panē etiam cœnæ, esse nihil nisi panem vocant, tamē ridere satis nequeo ministros quosdam Zuinglianos suam volentes tueri cœnam, tanquam diuinum quid in se continentem eo argumento, quod illi qui ea vtuntur, & si maxime dessideant, tamen aliquando reconcilientur. Non tenuit ad hæc verba cachinum Clemens: Egregium verò inquit argumentum, talia argumenta nobis suppeditant, tot popinæ, quod in Polonia numerantur, sæpius ego in illis mulctat⁹ cum fuissem, sæpi⁹ etiam non nisi in eisdem mulcta persoluta, & aliquod cantaris ceruisiæ epotis, sum reconciliat⁹, imò apud nos vix est certior ratio componendi dissidia, quam eiusdem mensæ, & poculi participatio, quod plerumq; in hospitijs, & cauponis accidere videm⁹, vbi conuiuijs ac potationibus inimici inter se reconciliantur, & vt quidam ait. Quam multos iungit Ceres, et Bacch⁹, quos antea nemo copulare poterat. Sed mittamus hæc fanaticorum hominum deliria, audiamus etiam Grancouium animo nescio qd aduersum me coquentē. Imò vero excoquentem respondit, quis enim ferat toties à te interuptum meum

Grethcerus in summula casū Lutheri.

sermonis curriculum? adeò tibi prurit lingua, vt existimes te inter prophanos tabernarios, non verò in cœtu sacerdotum, & Ecclesiasticorum hominum versari. Bona verba quæso subtexuit Clemens, equidem data licentia, vtor prouocatus, verum tu Grancoui, non admodum mihi videris patientiæ virtutem percoluisse, qui me non feras liberè loquentem, tamen si quidpiam perperam locutus sum vel solius Cicbocij, censuram non subterfugio.

CAPVT XV.

Flagitia, Turpitudo, Imperitia, Grammatices, inscitia quorundam ministrorum detecta.

EGO verò inquam vtriusque vestrûm alloquijs recreatos nos esse dico. Nihil enim quod non sit apposite, & nostris confabulationibus congruè dictum deprehendimus, tamen cum videam Grancouium nondum id quod animo conceperat, protulisse Clementi, quoadusque ille interquieuerit silentium impono. Tum iterum Grancouius non tulistis In defēsione cæ ng. *me fortasse de ministris Luthero, & Caluino coæuis differentem: igitur recentiores adducam, qui in synagogis Caluinisticis magni semper habebantur Stanislaus* Sudrouius, *quem Volanus ille decantatissimus in Lithuania Hæreticus pastorem eximium excellentis doctrinæ, ac pietatis virum integrum, probumque vocare non dubitat communi populi voce cum carnifex fuisse crederetur, (aiunt enim propter orbem argenteum furto sublatum Leopoli suspendendum fuisse, suspendium tamen officio carnificis assumpto euasisse.) tamen*

tamen Volano, Lwowkouiensis ceruisiæ coctoris filio, qui se Secretarium Magni Ducat: Lithuaniæ, nouo et inaudito modo dici volebat, excellentis doctrinæ vir fuisse visus est; Tantus verò, si dijs placet, vir, cùm sæpius à viris quibusdam nobilibus hoc ei probrum obijceretur, tamen præ stupiditate Latinæ linguæ, nunquam aliquo libello, ne quidem Polonico (in ea enim lingua disertus & elegans ab omnibus habebatur) hanc carnificinæ maculam diluerit. Sed esto inficias iuerit Volanus, eum aliquando carnificiam artem exercuisse: probare tamen non poterit aliqua vel mediocri cognitione litterarum fuisse instructum, nisi forte illæ litteræ, quas ad suæ factionis quosdam ministros dederat, eum ab imperitia Grammatices, excusatum reddiderint. Ita enim scripserat: Quia illustris D. Palatinus Vilnensis, in bona Koidanow, sese breui tempore properat, ego nullibi nunc per tres septimanas pedem meum efferam. Et in quadam concione cum Latinum quid adducere vellet, obseruatu digna illa verba effutijt. Donec nostrum corpus corrumpatum erit: et in alio loco grauissimis viris audientibus illud euomuit. Quemadmodum Petro creditum est Euangelium in Præputios. Quid de alijs ministris, quos ille præ se despicere et contemnere solebat, existimaturi estis? Si tam excellentis doctrinæ ille ministrorum antesignanus turpiter et pueriliter, non lingua, sed imperitia toties lapsus sit, sed et probum fuisse frustra Volan⁹ persuadere laborat. Toti enim Vilnensi vrbi notum est eum cuidam Ioanni ciui Vilnensi, adolescenti, egregio quidem, sed Sudrouio addicto, interuertisse nuptias Marthæ Mazurownæ dictæ,

ad quam missus fuerit, conciliandi matrimonij causa. Hic autem nebulo, pro suasore, mox disuasor factus, sibi eam, cùm viduus esset, despondit: & tanquam vxorem propriam domum deportare fecit, misero adolescente, ipsius fraudem execrante, & præ mærore breui extincto. Excusauit tamen hoc factum suum illo vulgari dicto. Proximus sum met mihi, & hæc me nuper à Cichocio, cùm se diceret in illis oris diu versatum audiuisse memini. En habetis, tam magnicætus pastori, bino quin & terno fortasse connubio vti licuisse. qui etiam semel interrogatus num liceret vxoris sororem in matrimonium ducere minime, inquit, superstite vxore: quasi verò quis tam stupidus esset, vt quæreret num etiam viuente, fas sit, alteram superinducere sororem. Adeò autem hoc genus ministrorum, Euangelicorum salax & petulcum est, vt si aliquo pudore vel metu patronorum suorum, non deterreretur poligamiam proculdubio in suas introduceret synagogas: hausto veneno ex dictis Lutheri, qui ausus est scribere, pluralitatem vxorum nec præceptam nec prohibitam esse, quam eius tergiuersationem egregiè promouit ille Bernardinus Ochinus, in suis pestilentissimis Dialogis, de poligamiæ libertate conscriptis. Et certò certius est, in ministris matrimonium toties iteratum, non extinguere flammas ardentium libidinum, facibus Sathanæ accensorum. Narratur de quodam ministro Minscensi Turobolski dicto, qui vt tanto magis ministricam familiam suam augeret, fas sibi putauerat propriæ filiæ iungi, similiter quidam alius, in districtu Osmianensi, cùm à Galliæ finibus longè abfuisset, retulit tamen do-

mum

mum gallicum morbum, quo & vxorem & filiam turpissime infecerat. Quae quidem tam enormia facinora, & scelera, cùm à Volano, ad cœtum illum praeclarum Vilnensem perlata fuissent, satis erat ab omnibus improbata, & diris deuota fuisse, pœnam tamen ad cognitionem & iudicium diuinum remissam: idque authoritate Diui Pauli, qui dicit spiritualem hominem, à nemine debere iudicari, si tota Polonia percurrenda esset, & ministrorum obscœni, & incestuosi concubitus examinandi, multa non deessent nobis exempla, quibus facile probaremus, illas calumnias, quae a Ministris, sacerdotibus Catholicis, quondam impingebantur, in eosdem ministros verè & seriò recidisse. Esto fuêre & inter nostrates sacerdotes, aliqui dissolutioris et incontinentioris vitae, non tamen eiusmodi à pœnis Canonum rigidissimis excipiebantur, maxime his temporibus nostris, si quis visitationes, examina, correctiones Radziuilianas, Macieiouianas, Tilicianas quoque, in memoriam reuocauerit. At ex Libertate Euangelica, confessione & satisfactione sublata, cùm ex Lutheri sententia omnia peccata aequalia esse dicantur, sacrilegus huiuscemodi latro, posci non potest ad pœnam, ab istis Euangelicis praeconibus, qui & Magistratum ciuilem, aut Polyticum sublatum cupiunt, egrè ferentes quod plerumque ad secularium iudicum subsellia pertrahantur, cùm nostros sacerdotes videant ab his exemptos & suos spirituales agnoscere iudices. Hic ego, satis, inquam, satis Grancoui, quo animo erga hos Ministros, sis affectus, declarasti,

 puto

puto te aliquando male ab illis acceptum, si quando Bamnouum, vel Olesnicium, aut Ozarouum pertransiueras. Ab hoc enim Nekrasouiensi quis metuat? qui tantum metuit sibi, vt ad forum Osiecen: nunquam prodire audeat miser, ideò forte ne census in capita Iudæorum scitus, in caput ipsius, vxoris, liberorum, & familiæ etiam sciscatur, quandoquidem ministri in nullum a Repub. relati sunt ordinem, perinde ac Iudæi. Non animaduerteras tamen te ab instituto sermone aliquantulum deflexisse, etenim pro imperitia et ignorantia ministrorum, flagitia eorum nobis obtrusisti, bene et hoc quidem, reuocabo tamen ego & restituam interruptum in ordinem sermonem. Et dico, etiamsi peragraueris omnes hæreticas Academias, si exceperis aliquam cognitionem linguarum, vix aliquem reperies, qui solidæ doctrinæ laudem mereatur. atqui ex sola Soc: *Iesu, Cathalogum doctissimorum virorum, qui a Ioanne Mureto, illius doctissimi Marci Antonij Mureti nepote, nuper editus est si percurreris quantum numerum, insignium, in qualibet professione autorum confeceris? vt præteream illos antiquiores, omni genere scientiarum instructissimos viros, Hosios, Stapletonos, Sanderos, Genebrardos, & reliquos quibus fex ista ministrorum promiscua ne matulam porrigere digna est, ex quibus plurimum abdominis, & saginæ, eruditionis verò aut scientiæ nec vnciam expresseris. Volanus ille ante Societatem* IESV, *in Lituaniam indroductam adeo magnifiebat, vt nullum eò doctiorem, scriptoremue elegantiorem, ne in Polonia quidem extitisse infecta hæresibus nobilitas persuasum habuerit, sed facile detecta fuit non solum ab Ie-*

suit is

suitis ipsis, verum & ab eorum discipulis, non modo Logices, aut Philosophiæ totius imperitia et ignorantia, sed et in Grammatica ..quentes lapsus et solæcismi notati. Obseruauit eiusmodi multa. Andreas Iurgiewic, Canonicus Vilnensis, in scriptis Volani, cum Iesuitas Iesumastigas vocat, & calumnias Iesumastigarum, dignus qui in Infima classe, vna cum pueris vapularet. Mastix enim apud omnes tertiæ, at non primæ declinationis habebatur; Deinde organa nostrorum templorum naula, vocat, non enim fistulis, sed cordis constabant naulæ, aut nauli, consuluisset thesaurum latinæ linguæ reperisset in fœmino naulæ, dictum. Sed neq; ad syntaxeos classem apud Iesuitas promoueretur. Quid enim est dicere, associare in cultu, & diffluere in conuiuia, nisi apertis solæcismis vti, cùm omnes classicorum scriptorum authores, associare semper datiuo casui, diffluere Ablatiuo tantum iunxere. Dominum verò illud panem vocare corpus suum, quis vnquam ita dixit? Si verò volebat Latinæ linguæ purus & elegans videri scriptor, cur etiam barbara immiscuit verba? reperies apud eum dici, Modernos, Locales, Manducationem facere. Haurire progressus, & talia mille. Sed quid mirum est cum ipse fateatur, deesse sibi ingenij vires & doctrinam quibus Iesuitarum argumenta dissoluat, & agnoscat se agro colendo a fortuna addictum, doctrina destitui. Ex hoc discite quid de reliquorum ministrorum turba sentiendum sit, quorum primarius ductor, imperitiam propriam non solum scriptis, sed & testimonio suo prodit. At verò subtrahamus iam de istis ministris sermocinandi materiam, & Clementem, sui cerebri commenta proferentem, audiamus.

In defensione cænæ.

CAPVT XVI.

Quorundam Catholicorum sacerdotum, tum imperitè tum festiuè dicta & facta, commemorantur & excusantur.

ECCE nunc primum redij ad animum; existimabam enim mihi vsum alloquiorum prorsus interdictum esse. Nunc verò cum iam liceat Clementi loqui, opponat se mihi quantum voluerit Grancouius, ministris quidem meritò infensior; sed & mearum propositionum non satis æquus arbiter. Semper enim metuit ne nostratium quoq; sacerdotum, imperitam simplicitatem, ne dicam inscitiam in caueam producam spectandam. Ne tamen Grancouio cholerum moueam; à plurimis imò & ab ipso Grancouio abstinebo manum. Scio enim Catholicorum sacerdotum quibus nihil ad Diuinæ & Ecclesiasticæ rei scientiam deest, tantam abundantiam esse, vt ministrorum colluuies indigna sit, quæ cum numero eorum conferatur; vnum tamen atq; alterum extrabam in arenam; ne nimium sibi de sua industria Grancouius applaudere videatur, cum quo mihi concertatio præcipua animi recreandi causa solet esse. Primus igitur esto Suenon quidam presbyter eiusdem nominis Danorum regis, vt vocant Capellanus, siue dicere malitis Sacellanus, homo prorsus literarum ignarus; attamen Regi admodum charus: cuius æmuli cum in precationis formula pro Rege dicenda, vt Deus Regem suum famulum protegat priores duas literas Fa; expunxissent, ipse verò Latini sermonis ignarus, mulum, legisset Regem, omnium eum ludi-

ludibrio, & risui exposuerunt. d Vides igitur Grancoui, non solum ex ministris reperiri rues, & Latini sermonis ignaros, verumetiam inter Catholicæ professionis sacerdotes. Videte hunc vafrum impostorem quæso Clementem, exclamauit Grancouius, qui apud me nactus quendam libellum, in quem obiter conijcere solebam, ea quæ notatu digna existimabam, prima hæc verba ex Saxone Grammatico arripuit, ad ea quæ sequuntur, minimè attendens, sic enim Saxo habet, ea irrisione motus sacerdos Regijs sumptibus peregrinatione literaria suscepta, latinæ linguæ cognitionem, tanta fælicitate perfecit, vt breui suis omnibus æmulis non tantùm esset admirationi: sed etiam communibus Cleris suffragijs Gulielmo Roschildensi Episcopo surrogaretur, qui demum Hierosolymam deuotionis causa profectus, in Rhodo obijt. Ministri etsi nihil sciant omnia se tamen scire vulgo persuadent: hunc vero probum sacerdotem non puduit discere, quod nesciuerat, sed peregrinatione suscepta, quod ministris & eorum vxoribus, ac liberis integrum non foret, ea didicit quæ non solum Sacerdote, verùm & Episcopo scire necesse erat. Adhæc Clemens: verum equidem est tuum me libellum clam habuisse domi, & non solum percurrisse, verùm & quædam adnotauisse quæ de sacerdotibus quibusdam imperitioribus, citra offensam non iniucunde narrari possunt, quorum tamen nomini parcendum est. Ex pago subsyluano venit sacerdos qui tum citatione vocatus ad Episcopum, interea oblatum elegans, & venistum Epigramma cum auidius ad mensam legisset Episcopus, assidentibus dixit, se nunquam suauius obsonatum esse, ita quippe hoc Epigramma sibi placuerat: simplex sacerdos qui tum ad mensam erat,

Lib: 11. & 12. deprōpta.

putans Epigramma aliquam syluestrem auem vocari, cuius esu Episcopus delectaretur, promisit se, quandoquidem circa densissimas habitaret syluas, curaturum, si forte non solum vnam eius nominis auem, verum aliquot (quamuis nesciret, quo nomine vulgo vocaretur) nancisci posset, seq; non vacuis manibus ad Episcopum rediturum, modo nunc ire domum causa dilata permitteretur. Delectatus Episcopus, hominis simplicitate eum expediri statim iussit, & Epigramm... in curam habere. Non potuit hic se iterum continere Grancouius, credite huic homini quantumlibet, vobis facetus videtur, quòd ego Francisco Gallorum Regi primo, sub quo tum primum efflorescere, literæ cæperant, & cuidam imperito Latinæ linguæ, armorum & aulæ alumno seni, tribui annotaueram, quanta versutia, mox ad Episcopum, & sacerdotem retorsit veteratòr, vt aliquam in sacerdotibus imperitiam carperet: attexuit Clemens. Quandoquidem grauiter fers, aliquorum sacerdotum ignorantiam a me notari: producam igitur eiusmodi nonnullos, qui ingenio amæno & festiuo fuère. Nec tamen producam eos quorum faceta quidem dicta, & facta fuère nihilominus labe turpitudinis in se non caruère, absit vt tales castis auribus sacerdotum quales vos estis obtrudam: illos duntaxat idq; perparcè adducam, qui & festiui fuère, & nihil a sua professione alienum dixisse, vel fecisse conuicti sunt, inter quos fuit quidam Arlotus, S. *Cyriaci apud Florentiam Plebanus, qui tamen conuitiorum patientissimus erat, nam conuitiatori suo ita respondisse fertur, vt tu linguæ tuæ, inquit, seruus es, ita ego aurium mearum Dominus. An verò noster Grancouius, qui*

us, qui solet leuiore verbo, irritatus excandescere, idem dicturus sit valde dubito. Quin profers hirsute senex, quando nam minimo verbo læsus a me fuisti. Et nunc, inquit Clemens, læsisti, & lædis sæpius, verum ego auribus meis serio impero, ne attendant, par enim est eum tuo honori deferre cultum, vt præsentibus sacrorum mystis, piaculum sit contra non solum dicere, verùmetiam hiscere. Ad hæc Grancouius, si iste circa cætus hæreticorum aliquo tempore fuisset versatus, qualis putatis sacrorum mastix, & sacerdotum cauillator euasisset? Minimè, inquit Clemens, & si toto vitæ tempore contigisset me penes eos versari, nunquam gratia Dei accedente, & ineptis & absurdis eorum acquieuissem placitis, si verò offensum te à me putas cædo hinc, nec prius redibo quàm te abscessisse norim? At ego retracto Clemente, mane inquam nec metue, præsentibus, & quæ hinc inde ad nostri instituti cursum dicuntur non ægrè audientib' nobis Grancouium aliquod tibi fastidium importaturum: Scitis enim alloquijs amicis, non verò altercationibus hunc locum delectum esse. Quin tu perge Clemens, & quod cepisti prosequere. Nullam ne nobis ψυχαγωγίαν bone Grancoui permissurus es? Iam permitto, inquit, modò: Ne sutor vltra crepidam. Innatum est enim his laicis, præsertim sciolis oppido infestos esse clericis, quod videntur, et ipsa Pontificum decreta obseruauisse. Tum Clemens animosior factus, non ex tuo, inquit, libello, sed aliunde decerptum, in gratiam eorum qui me retraxere, proferam, vnicum duntaxat festiuè dictum, Arloti apud Florentiam ad D. Cyriacum Plebani: qui cum Alphonso Aragonum Regi se in fa-

Solatiū recreationum.

militatitatem insinuauisset, & rex quendam Maurum Theodoricum dictum, quem ex Baptismo leuauerat, ob idq; charum habebat comparandorum equorum causa in Africam aliquot millibus nummorum instructum, ablegasset, sciretque idem, Arlotus Alphonsum honestæ recreationis causa singulis diebus solitum annotare, quid quisq; stultum dixisset fecissetue, atq; id sub vesperam, ab illis quibus hoc negotium demandabat reposcere; in tabulas referri curauit Alphonsum regem stultum sibi videri, quod Theodoricum Maurum multa pecunia onustum, ad Mauros suos ire iusserit, hoc est, vt ne gratis perfidus esse crederetur, etiam viaticum addidit: suo igitur facto stultorum qui illa die erant primum seipsum Alphonsum declarasse, quem statim Rex vocari iussit, & hominis non inscita libertate delectatus: Reuocabis, inquit, sat scio Arlote, vbi Theodoricum cum generosis equis redeuntem videris. Tum ille, non reuocabo, ait, sed tamen mutabo. Quid illud inquit Rex? eraso tuo nomine Theodorici illius substituam, eumq; stolidum fuisse decernam, quòd habita commoditate fallendi & furandi, fur & deceptor esse noluerit. Redierit ne Theodoricus, autor vitæ Arloti non meminit, vtrum tamen ex sententia Arloti an necesse fuerit ex istis aliquem stultum fuisse, vobis iudicandum relinquo. Iam vero Grancouius subridens, quid facietis inquit isti homini, qui ne ipse stultus videatur, de stultis tam libenter confabulatur: Abeat sane cum suo Arloto Plebano, cuius multa feruntur dicta & facta, quæ tamen apud cordatiores nullam merentur laudem, multò minus fidem. Opposuit se Clemens pro suo Arloto, & retulit ex scriptore vitæ eius, illum probum sacerdotem creditum, vnoq;

beneficiolo contentum, B. Antonino illi celeberrimo Florentinorum Episcopo, fuisse multum familiarem & charum, & maxime eo nomine, quod nullum aliud sit passus obtrudi sibi sacerdotium vnicum sibi sat esse, neque pluribus velle se distineri dicens. Errat igitur Grancouius, qui existimat, sacerdotem toruum depresso animo, & subrigido debere esse, qualem ipsum finxit natura, siue aliunde contracti mores. Ego vero definiui sacerdoti conuenire, vt sit pius & doctus, amæni tamen & quandoq; etiam liberalioris ingenij; conscientiæ enim probæ hoc esse indicium multi Sancti patres existimauêre. Verum si Grancouius externis offenditur exemplis, recreandi hominis causa, vtar & nostratis cuiusdam Plebani facto & dicto non infaceto. Is Markusouiensis Plebanus erat, qui ipsum Arlotum hoc in genere superauisse credebatur. Intra concionem eius, quidam nobilis vir, cum gestatorio accipitre, & canibus venaticis, atq; cum perstrepentibus tintinnabulis discursantibus, templum ingressus, concionem eius interturbabat: quod moleste ferens, inclamauit æditum, fores illicò vt obseraret, leporem dicens proculdubio alicubi inter altaria delitescere, indagantibus odoratu canibus, et accipitre è manu subuolante, omnino foribus clausis non euasurum. Risus reliquæ nobilitatis quæ tum aderat, obortus, illum venatorem templo excedere compulit. Scitum & illud alterius Parochi, æquè festiui qui miro ingenio eluserat, sua Parochiæ, promiscuam nobilitatem, hæc defuncto iam multorum annorum Parocho, cum ad ipsam iuspatronatus, vt vocant, pertineret, conuenit consultatura de successore subrogando,

 seque

seꝗ mutua fide obstrinxit, nemini ius ad obtinendam parochiam relinqui debere, nisi qui sponderet, se a Deo pluuiam aut serenitatem impetraturum si quando communibus omnium votis, quiduis horum impetrare iussus fuerit. Cùm verò è Sacerdotibus vnus & alter, conditionem hanc veluti absurdam respuisset, nec patroni de sua sententia, quidquam remitterent, inuentus est ille bonus vir, qui se eam acceptaturum affirmauit, modo vt tempestiue ab omnibus admoneretur, quid ipsi exorandum foret, non dubitare enim se, quin Deus preces suas exauditurus sit, cum promisisset, si quid peteretur à se, nemini denegaturum. Igitur omnium suffragijs Parochus est renunciatus, vertente vero anno cum segetes succreuissent, & sol iam cancrum torreret Venere quidam eorum ad Parochum postulaturi, vt frugibus refouendis pluuiam, à superno numine impetraret. Ille nihil tergiuersatus se libenter facturum respondit, modo vt omnes in eandem sententiam conuenirent. Superuenerunt reliqui, non pluuia sed serenitate, sibi opus esse asserentes, eò quòd nondum ex pratis fœnum recollegissent, cùmq; mutuo altercarentur, versus ad illos Parochus. Ite, inquit, ac pro se quisq; id quod sibi magis expedire iudicauerit, a Deo impetret, se enim ab illa obligatione exemptum iam esse testatus, nunquam in eadem vota conuenientibus parochianis, & ita plebanatu securo potitus est. Abstine iam ab hac garrulitate tua mi Clemens, inquit Cochleuius, & patere tuum quoq; conciuem aliquid loqui, ne ex hac Scena personatus tantummodo abeat.

CAP.

CAPVT XVII.

De Bartholo & iure Magdeburgensi disceptatio, non iniucunda. Alloquiis finis impositus.

AT ne nunc quidem Clemens, vt taceret cogi potuit, quin denuo ita Cochleuium allocutus est. Non prodam socium meum Woyciechouium, qui me honore, in administratione ciuilis Magistratus, anteit: Si Grancouius eum aliquo carpserit verbo, vel si eundem vtpote literarum rudiorem, ad aliquas extra nostræ professionis, id est, Iuris ciuilis, quæstiunculas extraxerit, ego ipsi adero, tamen siquid vltra conferendum est, Michanium pro me substituo, ne vobis molestus sim. Tum Woyciechouius; neque ego tali adiutore egeo, neque Grancouium admodum reformido, placet tamen cum Michanio colloqui: si quid habuerit, quod me scire oporteat, proferat in medium, doceri semper non disputare paratus. Deus auertat, respondit Michanius, vt alicuius contentionis gratia mouere ea cupiam, à quibus totius nostri consessus, animum abhorrere persenseram; honestam hîc recreationem quærimus, non illam spinosam, aut Sophistis communem loquendi perplexitatem. Osiecum ipsum, & vestræ de rebus controuersis consultationes, præbebunt nobis interlocutionum, non ineptam occasionem. Nuper enim incidi in vnam ciuilis iuris quæstionem, quàm præter Bartholum illum celeberrimum iurisconsultum, nemo poterat acuratiori modo è tot difficultatibus, quibus irretiri videbatur, expedire. Ego eandem ad consilium hoc vestrum Osiecense refe-

ram: nunquid Bartholi decisionem sitis probaturi, vel improbaturi. Rusticus quidam falconem cuiusdam nobilis venatoris, perditum reperit, cum innodamentis & sonalijs vt vocant, illum sub scamno alligatum pane, caseo & carnibus salsis existimans se nutrire posse, reperit intra triduum extinctum, rusticus à nobili in ius vocatus, pretium falconis sat magnum soluere postulatur, idq; actione legis Aquilinæ, quæ occisionem falconis tanti æstimauerat: rustico negante se occidisse, sed captum summo studio nutrire voluisse, se verò nescire ob quam causam fuerit extinctus, Bartholus qui huic iudicio intererat, dixit; rusticum non quidem teneri Aquilina lege, sed teneri actione in factum, quia et imperitè tractando, et nutriendo, causam mortis falconi præbuit: idq; probauit l. *Quia actione*, § *Celsus* ff. *ad legem Aquilinam. Aduocatus rustici dixit, rusticum fecisse quod potuit, et sciuit, et falconem qui iam Iuris sui esset pro arbitrio suo tractauit et aluit: ideò non teneri ad damnum, idque probauit* Cap. *Bona fides de deposito. Bartolus tamen rusticum teneri asseruit, eò quia fuit in culpa non leui, sed immiscuit se rei ad ipsum non pertinenti, cui solum colere terram, de qua viuat conuenit, non de venatione: insuper poterat cognoscere ex innodamentis, falconem in sua libertate non fuisse, & ad alterum dominum pertinuisse, & ne sine lege loqui videretur, annotauit* § *Feræ igitur bestiæ Instit: de rerum diuisione, vnde debuit illum in publicum efferre, & curare proclamari, vt illius inuentio ad Domini notitiam perueniret. Addidit insuper lege de seruo fugitiuo in principio* ff. *de seru. fug.*

Gulel: Benedit in Repu: Cap: Rainút.

&

& l. falsus. § Qui alienam ff. de fur. Hic arrige aures Woyciechoui, vnà cum tuo Clemente, expecto quonam pacto hanc actionem decisuri estis, quorum actiones forenses toti regno iam pridem innotuere; vt etiam prouerbio vulgari dederint occasionem. Adhæc Woyciechouius, Leges allegatas ego non intelligo neque enim in eiusmodi pandectis sum versatus geminum ff. geminum § inter se superne & inferne connexum, tum vnicum l. et initia capitum portentosa, Magdeburgenses non norunt, alias nos iuris nostri per articulos & sectiones habemus notas, & verborum significationes. Quare cùm nos Bartolanis legibus non tenemur, secundùm eius allegata, nunquam eiusmodi sententiam contra miserum rusticum tulissemus, qui inter cornicem & falconem discernere non nouerat, fortasse & inter picam & graculum, tantum abest vt quis cibus vnicuique horum conueniat, haberet exploratum. Bona fide præbendit, bona fide nutriuit, expectauit num quis quæsitum auem veniret, nullo comparente si falco extinctus est illius à quo auolauit culpa extinctum esse decernerem: neque debuisse rusticum cum dispendio temporis laboribus destinati, cùm aue oberrare, per pagos, neque deferre in vrbem vt proclamari faceret, cui nam auis auolauerit: Subtilitates iuris nos non attendimus, sed recta simplicitate, & æquitate in iudicando progredimur, & fortasse ob hanc rem, ab his, qui periti iuris dici & haberi volunt, carpimur. De Bartholo autem isto quid sentiat Clemens nosse peruelim existimo enim de ipso aliquid eum inaudiuisse,

vel

vel etiam ex eo quædam decerpta legisse. Arridens Clemens, inquit, vides Woyciechowi, tua te opinione deceptum, cùm nulla opera mea indigere te dixeras, placet tamen quando id audire vobis iucundum est, de isto Bartholo quædam ab alijs accepta referre. Eius in iudicandis reis seueritas, multis displicuit, causam afferunt, quod postquam vigesimo primo ætatis anno doctoratus gradum suscepisset, iudex maleficorum fuerit, & illic seueritatem illam condemnandi facinorosos imbiberit, vt quos, cùm Iudex esset, non potuerit perdere ore, conaretur postea perdere calamo. Sed neq; calamum, adeò excultum habebat, ingentes solœcismos ex eo profundens, quod facile poteritis ex prolatis legibus de isto rustici falcone colligere, quanquam Michanius, quædam emoliuerit verba, vt elegantiora apparerent. Falconem dixit cum gestis & sonalijs positum, sub Baneo, & dedisse ei beccare panem, rusticum ad interesse teneri, tum etiam teneri actione in factum, debuisse eum in publico prodere, & consignatiuo libello publicare. Quis vero ferat talia portenta verborum? Imo nec puduit eum, quandoq; in frequentia doctorum hominum, enormibus solœcismis vti. De verbibus non curat, inquit, Iurisconsultus, quod fuit ab omnibus complosis manibus, & risu exceptum. Elegantioris autem literaturæ viris, admodum fuit infestus, ita vt etiam Dantem Florentinum, grauissimum & elegantissimum Poetam, hæreseos post mortem insimulatum, ob leuissimam suspicionem effodi iusserit, se ipso teste lib: 1. de inquirendis reis, si quędam ab alijs rectius scripsisse dicatur, certum est veterum nominibus prætermissis: eorum inuenta, sibiipsi attribuisse.

Richardus in eius vita.

Ludou: viues Corr: dic.

Richardus in eius vita.

Quare

Quare merito nobis cum Bartholo, imo et eius æmulo Baldo, nihil vnquam commertij fuit. Magdeburgense ius nostrum, ex iure Cæsareo petitum, elegantissime, exclusa omni barbarie scriptum, et per tot prouincias publicatum, & receptum maiorem commendationem habet, quam vt eius authoritas à quoquam infringi queat. Ad normam eius omnia nostra iudicia procedunt, saluis tamen prouocationibus, ad supremum ius Magdeburgense, vel quinq; ciuitatum, inter quas vehementer miror, cur etiam nostrum Osiecum non fuerit intersertum. Grancouius vero non potuit sibi imperare ne rumperet silentium. O egregios inquit Iurisconsultos, qui etiam Bartholum, et Baldum præ se contemnunt: ausim tamen affirmare hos neq; scire quid sit ius Magdeburgense, neq; vllam rem ritè vnquam decreuisse; si repetieritis huius oppidi exordia, inuenietis consilia & actiones Osiecensium, in commune totius regni dicterium non temerè abysse multoties ad hanc mensam de eadem re, vos ipsos conferentes audiui, sed esto fuerint illi antiqui rudiores. At neq; ego hos qui iudicijs præsunt peritiores illis existimauerim, cum diebus & noctibus, perpotent strenuè, & aliquot incendiorum in curia sua causam præbuêre. Excanduit Clemens & parabat se opponere Grancouio, inhibuit tamen Cocbleuius, ne ad asperiora verba perueniretur: non decebat enim, vt conuiuium iucundè initum, & alacriter peractum, aliquo turbulentiori exitu finiretur. Assurectum est igitur. Ego verò cum iam conscendere currum pararem, & Samborcium meum ibi pernoctaturus, properarem, retinere me cupienti Cocbleuio resppondi;

satis suam benignitatem, & liberalitatem me esse expertum pateretur me iam tandem domum abire, meminisse, enim me illius sententiæ Plautinæ in milite glorioso, quod nullus hospes tam in amici hospitium diuerti potest, quin vbi triduum fuerit, iam odiosus sit. Quid ais? inquit Cocbleuius, tu mihi hoc triduo fuisti molestus? quin nec integro anno me vlla afficeres molestia. Sed quoniam in hac vicinia frequentius congressuri sumus, nunc bona venia Samborcium tuum à te tam pulchre exornatum discede. Alloquiorum tamen nostrorum nulla vnquam mihi subrepet obliuio. Sed heus hæc tibi cura sit vt optime valeas. Imò & tu inquam Cocbleui cum vtriusq; nostrum Marcisseuio detis operam ne valetudini vestræ vim aliquam inferatis.

Finis Alloquiorum Osiecensium.

Autor Lectori benigno.

CVM quodlibet opus vt perficiatur maximè præsentia eius, qui id publicum esse vult, indigeat, vix enim quisquam alieno operi corrigendo, libenter admouet manum, non miraberis Lector: si in hac prima alloquiorum editione, plurima occurrent errata: toto enim tempore, quo imprimebantur, non permisit officij mei functio, me præsentem adesse. Cùm verò in periodorum, membrorum, & comatum distinctionibus, sunt potissimum nõ nulla commissa errata, quæ etiam sensum videntur, reddidisse obscuriorem, tamen ea omnia prudens lector, non difficulter, in ipso lectionis transcursu emendaturus est, verùm & ad finem reiecta est, errorum qui non tam facile corrigi poterant, animaduersio. Dabit igitur lector non admodum austerus veniam, & his alloquijs si modo digna lectu, videbuntur interea fruatur, donec emendatiora & locupletiora prodierint, nec admodum indignabor, multę imò gratię à me habebuntur si quis monere me voluerit, quid addendum, quid detrahendum, vel immutandum foret, præsertim in recensendis insignioribus familijs, quarum non admodum exactam notitiam habere poteram, Daturus operam, ne in secunda si fortè prodierit editione, aliquis se prætermissum esse molestè ferat, maxime si hæc grata esse lectori perspexero.

Errata.

Fol: 17. ver. 28. oppida te illud, lege oppida illud. f: 35. v. 13. Eculina, l. E culina. Fol: 38. v. vltimo, crudelitatibus, leg: cruditatibus. Fol: 51. v. 23. excommunicatione, leg: ex comminatione Fol: 53. v. 24. te elapsus, leg: elapsus. Fol: 58. v. 25. consulcus, leg: consultor. Fol. 69. v. 25. obuersionem, leg: ob versionem. Fol 73. v. 2. fuisse, leg: fauisse. Fol: 84. v. 4. protendentibus, leg: protrudentibus. Fol: 109. v. 24. ex familia, leg: ex ea familia. Fol. 115. v. 21. sydera, leg: hydra. Fol: 125 v. 8. nobiles, leg: nubiles. Fo:146. v. 8. Cunouiensi, le: Lunouiensi. Fo. 152. v. 16. voluit, leg voluerit. ibid: v. 17. sua, leg. mea. Fol: 153 v. 16. Seuecii, leg: Scucii. fol: 161 v. 7. fundato, lege fundando Folio 173. v. 13. prę'ertimque, lege pręsertim qui. Folio 179. v. 12. degenerauerint, lege degenerauerit. Folio 191. v. 18. Ianniki, lege, Sanniki. Folio 199. v. 23. re, lege &. Folio 224. v. 2. quamplurimum, lege quamplurimi. Fol: 239. v. 12. ex, leie ab. Folio 279. v. 25. Halmitonium, lege Hamiltonium. Folio 288. v. 16. secretariis, l. sectariis. Ibid v. 18. infestius, le, funestius. Ibid: 27 reuocatum, le. reuocaturum. Ibid. v. vlt: scoto, Scoto. F. 295 v. 22. haduc, l. adhuc. v. 23. medium, le: modicum F. 299. v. 23. Adonardam,

l. Audonàrdam ibid: Tendomondam, l. Teneramundam. v. 25. Conſti-tia, l. conſtantia. F. 311. v. 9. Kumę, l. Kunicę. fol: 327. v. 9. cerèe, l. certe. fol. 329. ver. 12 Senſerim, lege. Sanſerinum. Fol: Hæc enim vni-uerſa, le: Hos enim diuerſa. Fol: 432. v. 27. quòd leg. id. Fol: 442. v. 25. Rtheneus, le: Atheneus, Fol: 469. v. 2. eſſe, leg: noſſe. Fol. 499. v. 14. qui ſub, leg: quidam ſub. Fol: 516. v. 11. Si leg ſi v. 14. de-monſtraret, leg: demonſtret.

FINE